


INGRA
D

IOANNIS PHILIPPI INGRASSIAE PHILOSOPHI, ET MEDICI CELEBERRIMI,


QVAESTIO De purgatione per medicamentum, atque obiter etiam De sanguinis missione, An Sexta morbi die fieri possint. QVA occasione de omnibus etiam alijs diebus determinatur, in quibus præcipue purgare uel sanguinem mittere possumus.

ILLVSTRISSIMI *Ducis Terrænouæ casus Enarratio, & Curatio. E quibus tum penetrantis in thorace Vulneris, tum Fistulæ curandæ Methodus elucescit.*


QVAESTIO *utrum Victus à principio ad statum usque procedere debeat subtiliando, an (ut multi perpetuo obseruant) potius ingrossando.*

QVOD *Veterinaria medicina formaliter una eademque cum nobiliore Hominis medicina sit, materiæ duntaxat nobilitate differens. Ex quo Veterinarij quoque medici non minus quàm nobiles illi Hominum medici ad Regiam Protomedicatus officij iurisdictionem pertineant.*

Omnia Nunc primum in unum corpus redacta, atque in lucem edita: Ex quibus Medicinæ studiosi maximam utilitatem sunt percepturi.



VENETIIS sumptibus Angeli Patessij Bibliopolæ Neapolitani.
M D LXVIII. Cum Illustrissimi Senatus Veneti Priuilegijs.



ILLVSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO DON CAROLO AB ARAGONA,

Siculæ Terrænouæ Duci, Auulæ Marchioni, & Castri ueterani Comiti, Huiusque regni Siciliæ maris admirato, ac Regio consiliario dignissimo,

Ioannes Philippus Ingrassias salutem, ac fœlicitatem sempiternam.



VANTO fuerimus inæstimabili quidem gaudio, effrænique lætitia affecti (Dux noster elegantissime) de parta iam, adeptaq; tua, præter multorum spem, salute, præsentique incolumitate, ne calamo quidem, scribere, nec lingua proferre possumus. Quis enim de tua tanti uiri gratia, & sanitate mirum in modũ, ac præter modum potius omnem, non gratularetur, pro compertissimo iam habens te, cùm è Regia quidem stirpe oriundus sis, Regia semper gesta patrare non destitisse? Acceptamque à præsentibus, uetustioribusque tuis gloriam multis quidem auxisse tùm honoribus, tùm uirtutibus, nedùm in eodem statu seruasse? Quis econtrà de tuo miserando casu perpetim non ingemuisset, Nisi perfidus quispiam, impiusque, & omnigenæ uirtutis expers sit? qui rabie quadam in uiros omni uirtute præditos, atque illustres sæuire sese erodendo consueuerit? Quis etiam quantumuis liuidus, atque adamante durior maxi

mam agnoſcens de tuo miſerabili, calamitoſoque caſu mæſtitiam, qua quidem Illuſtriſſimus, Excellentiſſimuſque, ac omni ſemper præconio extollendus Don Ioannes à Cerda, Metymnæ cæli Dux, & huius Siciliæ Regni anno propemodum octauo iuſtiſſimus, digniſſimusque prorex, nec non & eius prudentiſſima coniux afficiebantur, magnopereque cruciabantur, non molleſceret, ac miſericordia, & pietate ſimul non moueretur, dùm te ſæuiſſimis illis ſymptomatibus uexatum, ac penè obrutũ, lethaliter periclitari uidiſſent? Quò igitur maior fuerat in tuis periculis dolor, ac mæſtitia, Eò maius nunc eſt in tuæ ſalutis integritate gaudium, & lætitia. Sed quis eo periculi tempore in tota ferè Europa, nedùm hoc in regno erat, ſiue princeps, aut Dux: ſiue illuſtris, aut ſpectabilis, ſiue regulus, aut comes, ſiue Magnificus, aut nobilis, ſiue conſanguineus, aut affinis, ſiue amicus, aut ſubditus, ſiue ignotus, aut etiam inimicus, & demùm cuiuſcunque conditionis extiterit, qui quidem ſolo tuarum uirtutum illuſtri nomine commotus, mirum immodum triſtatus non fuiſſet, perpetimque non ingemuiſſet? Nũc uerò audita iam ſalutis perfectione, quaſi extra ſemetipſum præ gaudio elatus ſupra modum non gratularetur? Tuas enimuerò uirtutes, & regia geſta ſcribere, non eſt, cur hic laboremus, tùm quia ex ſemetipſis iam omnibus pernota ſunt, tùm quia imbecilles uires noſtras excellunt, maximumque præterea ad hæc uolumen exigeretur: Siue ea, quæ in bello Germanico, pro Diui nec non inuictiſſimi CAROLI CAESARIS V. noſtri Imperatoris ſubſidijs, noctu, atque interdiù illi inſeruiens effeceris: Siue quæ hoc in regno aliàs tàm ut generalis præſidens, unà cum Illuſtriſſimo Domino Don Petro ab Aragona

gona patruo tuo, Reuerendissimo, dignissimoq; Panhormitano Cardinali existens, quàm ut Viceregis nostri aliquandò Vicarius, ac Locumtenens, ut cui tàm Illustrissimus Ioannes Vega, quàm Excellentissimus Don Ioannes à Cerda huius Regni iustissimi, ac sapiētissimi prorreges sæpenumerò tibi quàm maximè fidentes, propriam (ut par erat) omnem potestatem, communicarunt. Præsertimq; belli tempore, & quo Turcarum exercitus, classisque Siciliam inuaderet. At quis inseruiendo potentissimo etiam Regi nostro PHILIPPO nedùm CAROLO patri suo, quinimmò & ipsis quoque prædictis Viceregibus Cæsaream, Regiamque Maiestatem repræsentantibus, uel sollicitudine, aut solertia, uel fortassis animi promptitudine, intimoque cordis affectu te unquàm superare potuit? siue propriam exponere uitam, siue fortunæ omnia bona, diuitiasque destruere, pro illorum seruitute, ac subsidio opus fuerit? Quam etiam ob causam ut illustrissimorum, excellentissimorumque Ducum & Methymnæ cæli, & Montisalti, huius consanguinei tui nuptias, festaque (uti mos est) celebrares, honoraresque, in hippomachiam illam hastarumve ludum peruenisti, in quo tàm miserabile, calamitosumque uulnus in sinistra thoracis parte, prope cor, tale quidem inclitum suscepisti, ut in prædictum uitæ discrimen subieris. Atque idipsum ne tibi fortassis à liuido quopiam, inuidoque sycophanta complementi (ut uulgò dici solet) defectus attribueretur. Omitto interim & particulares etiam omnes uirtutes tuas, præcipueque iustitiam, charitatem, atque castitatem apud Deum quidem Optimum Maximum mediatrices, ut insperatæ salutis gratiam obtinueris. Quod enimuerò nunc intendimus exequamur. Dum fistuloso

iam

iam reddito ulcere laborares, periculum adhùc eo mi-
nitánte, tùm stimulis Illustrissimi Don Ferdinandi a Syl
ua, Fauaræ Marchionis, tùm nostro etiam consilio mo-
tus è Roma tanquam totius orbis compendio præsidia
petiisti. Quæ quidem omnia qualia nam fuerint, paucis
abhinc diebus perillustri Don Iosepho ab Aragona, uni
co, ac dilectissimo fratri tuo scripsimus, nostram intereà
sententiam adijcientes: Tuque iam omnia, & illorum
Romanorum medicorum, & Doctissimi etiam Andreæ
Vesalij, & nostra etiam scripta non sine maxima dele-
ctatione interdùm perlegisti. Ex quo rursùs ad eorum
memoriam tibi reuocandam posthæc adiungenda illa fo
re uoluimus: ut quotiès libuerit, eadem terque quater-
que relegere possis. Verùm enimuerò quoniam inter le-
gendum consilium illud doctissimorum Romanorum
medicorũ, uerba hæc imprimis tibi obuiàm facta sunt,
[Quoniam morbus diuturnus est, uulgari, & subuulgari
uictu utendum, ut plus, minusve assistentibus uidebi-
tur] proindè dubitans à me declarandum petijsti, quid
nam sibi uelit, uulgaris, & subuulgaris uictus, & quare,
& quomodo in morbo diuturno utendum eo sit? cùm as-
sistentibus medicis ab illis remissum fuerit: propterea
nos, tametsi quodammodo nouas has nomenclaturas
fuisse responderimus. Quia tamen quid sibi uelint uul-
garis, & subuulgaris uictus, compertum iam habemus
(Eo enim plenum, hoc uerò moderatum intelligere ui-
dentur) Idcircò longum sibi sermonem facere decreui-
mus non diuturnorum modò morborum, sed acutorum
quoque omnium uictus formam generatim perscriben-
tes. Aliàs (Deo duce) particulatim in singulis singulas
formas determinaturi. Scribẽdi autem occasio rursùs in
de

de ſumetur, quoniam nonnulli à principio ad finem uſque (ut communi loquendi modo utamur) ingroſſando: Alij uerò contrà, potiùs ſubtiliando procedendum indifferenter, ex Hippocratis, Galenique (ut utrique credunt) decretis, contendunt. Nullam intereà formam uictus mediam adijcientes. Quam quidem quæſtionem anno abhinc propemodum octauo, Hippocratis aphoriſmorum uolumen primum profitentes, ad ſcholarium uſum Panhormi præſcripſimus. Nunc igitur & eadem ſit noſtræ lætitiæ particeps, ut quæ ſcilicet teipſum non lectorem modò, pro tuæ dubitationis ſolutione, ſortita ſit, ſed unà iudicem quoque acerrimo, diuinoq; potiùs, quàm humano ingenio præditum, ac denique patronum, fautoremque & protectorem inuictisſimum lucrata ſit. Aduersùs inquàm Philippomaſtiges, inuidosque ſuſurrones. Adeò ut ſolo tuo nomine freta per inuidas, impiasque eorum manus tutisſima, ſtimulosque omnes floccipendens, alacris, hilarisque incedat. Vale igitur, & Philippo tuo, uelut annis abhinc circiter triginta conſueuiſti, omnibus neruis, totoque etiam pectore, ad finem uſque faueas: Iterumque, ac tertiò, demùm perpetuò Vale. Panhormi, ſexto Kalendas Februarij. 1563.

QVAESTIO.

Utrum victus à principio ad statum usque procedere debet subtiliando: An (ut multi perpetuò obseruant) potiùs ingrossando:

IOANNE PHILIPPO INGRASSIA AVTHORE,

Distinguitur quæstio hæc, lucidioris doctrinæ gratia, in sex capita; Quorum intentiones, tituli præseferunt.

CAPVT PRIMVM, in quo argumenta ad vtranque partem adducuntur.



MPRIMIS ex multis tùm Hippocratis, tùm Galeni authoritatibus, aliorumq; deindè sequacium confirmatione, ingrossandum in processu uidetur tantò magis, quantò ad uigorem, crisimq; magis accedimus Exordiamur ergo à primo omnium magistro Hippocrate, in primo de ratione uictus in morbis acutis, cùm sic nobis scriptum reliquit *a* [Qui autem in huiusmodi morbis (.s. acutis) ptisana utetur, ne uno quidem die uasa inaniri permittat, sed ab usu eius nequaquam desistat: Nisi uel propter medicamentum, uel clysterem, cum desistere opus sit.] Voluit ergo Hippocrates quòd tutò in acutis morbis, ptisanam demus, siquidem neq; clysteri, neq; medicamento, aut sanguinis misione indigemus (ut etiam infra *b* rursùs de ijsdem recordatus, de sanguinis quoq; misione adiunxit). Quod est quidem, ubi repletio non infestat, nec doloris esset uehementia, si-

Argumentum primum ex multis Hippocratis authoritatibus conflatum.

a tex. 19.

Authoritas prima

2

b. tex. 33. cum 32.

ue periculum ingens imminet. Cùm uerò uel uenæ ſectione, uel al-
ui ſubductione indiguerimus (ob plethoram, ſiue cacochymiam, uel
fæcum diutinam retentionem) factisq; huiuſmodi aliquibus euacua
tionibus, ut oportuerit, dolorem mitigarimus: tunc etiam tutò poſ-
ſumus ptiſanam exhibere. Vel cremorem priùs, & deinde paula- 3
tim adaugere, ac liberaliùs nutrire, prout aliàs teſtatum dereliquit.
c Præſertimque ubi (ut inquit) *d* expurgatio per os inceperit. Ac 4
tantò magis *e*, quantò maior fuerit expurgatio, ad iudicationem 5
uſq;. Quam ob cauſſam & quarti libri author, cùm dolores acceſſe- 6
rint, multa inde ſequi mala ſymptomata prædicens *f*, talibus ſanè
priùs adhibitis fomentis, uenam confeſtim ab initio ſecandam præci
pit *g*, poſtea *h* uerò. ſ. facta euacuatione, reficiendū. E quibus
omnibus præinductis Hippocratis locis, priùſquā euacuatio fiat, uel
nihil, uel fortaſsè ſolus potus, non autem ſorbitio aliqua propinanda.
At in principio nec uenæ ſectione adhùc uſi ſumus, quanquam ſæpè
indigemus. Quod ſi hac uſi fuerimus, uel clyſterem ſuppoſueri-
mus, non tamen adhùc per medicamenta purgationem, tametſi ne
ceſſariam fecimus. nec ſi fecerimus, adhùc compleuimus: Nec ali-
qua per os expurgatio adhùc incepit. Ergo compertiſsimum eſt, in
principio extremè tenuiſsimo uictu, uel ſaltem tenuiſsimo non in
extremo, utendum fore: Deinceps uerò, cùm aliqua uacuationis ſpe
cies facta ſit, inceperitq; coctio (id quod in augumento fieri ſolet)
ad cremoris, ac mox deindè ipſius etiam totius ptiſanæ ſorbitionem
perueniendum. Magisq; adhùc ubi expurgatio ſequatur. Maximeq;
ubi maxima expurgatio, maximaq; coctio facta ſit (Quæ ambo in ui
gore fiunt) ac demùm inclinante morbo ad liberaliorem nutritio-
nem, carnesq; ac uinum, aliaq; huiuſmodi ualidiora nutrientia deue
niendum. Itaq. ſemper à tenui ad craſsius uergendum fore apertiſsi
mum ex Hippocrate præallegatis iam in locis, factum eſt.

c. 2. eiuſdem. tex. & com. 13. cum primi eiuſdem 47
d. primi tex. 23.
e. tex. 25.
f. tex. 27.
g. tex. 28.
h. tex. 29.

Confirmatio.

Firmaturq; id ipſum ex pluribus quoq; alijs eiuſdem locis, ut præ 7
cipuè cùm ait [*i* Poſt hoc ſorbitionem dabis, ſerò autem ad ciba-
ria te conferes]. Itemq; infrà *k* [poſteà ſi dolor quiſpiam uel peri 8
culum comparuerit, ſorbitionem dare oportet, neque multam,
neque craſſam, ſed poſt ſeptimam uel nonam, ſi ualidus ſit.] priùs
autem *l* paulò oximeli, aut melicraton propinandum uexante dolo
re præceperat. Præterea in fine libri primi *m* [imprimis autem, & 9
maximè cremore, deinde ptiſana utaris &c.] Ac tandem in ſecundo 10
etiam libro ait *n* [ſorbitionibus haudquaquam utendum, priuſquam
morbus ad maturitatem perductus fuerit.] Quamobrem in princi-
pio

i. tex. 25. eiuſdem primi.
k. tex. 44. & quarti eiuſd. 90.
l. tex. 43. primi.
m. tex. 47.
n. tex. 54.

pio dum crudus eſt, omninò abſtinendum, uel potu ſolo utendum præcipit: Deinceps uerò ad ſorbitiones, craſsioremq; uictum pertranſit. Author quoq; libri quarti de ratione uictus acut. Hippocrati a 11
ſcriptus, eo textu *o* [ſi dolor ſub thorace &c.] nihil dandum uoluit, *o. tex. 76.*
donec purgetur. purgãdum uerò quarto die præcipit. A purgatione, *& uide ét.*
oximeli tantum dedit donec ad ſeptimum peruenerit diem, qui ſi in *77. tex. &*
tuto eſſe uideatur, imprimis exiguum, tenuemq; cremorem, eumq; *commento.*
melle conditum dedit. ſi uerò facilè reuocatur, facileq; etiam ſpirat, lateraq; non doleant, ſenſim craſsiorem, copioſioremq;, & bis in die miniſtrandum præcipit. Præterea idem author de cauſo legiti- 12
mo, eiusq; curatione loquens *p* [huic aquæ, mulſæq; coctæ, & aquo *p. te. 5.*
ſæ, quantum uoluerit, bibendum dabis.] inquit, Dein poſt paucu-
la ſubdit *q* [ſorbitionem uerò niſi dies iudicatorij tranſierint, *q. tex. 9.*
non dabis.] Rursùs de angina loquens, poſtquam de aliis om- 13
nibus remedijs mentionem fecerat: ſic tandem ait *r* [Bibet autem *r. tex. 30.*
aquam, & mulſam non frigidam] ſubditq; ſtatim, [cremoremq; aſſumet ubi ex iudicatione in tuto fuerit.] q. d. aquam priùs, & mulſam bibat, ſicq; potu ſolo ſuſtineatur: poſt criſim uerò, ad cremorem deueniat. Quare à tenuiori ad craſsius procedendum. Adhuc 14
[*ſ* ſi febris hominem prehenderit, uetere excremento deſcendente, *ſ. tex. 36.*
uel nuper cibatum, ſiue cum lateris dolore, ſiue non: is quieti tantiſper permittendus, donec cibus primùm ad uentrem imum deſcen
derit. Sumat *t* autem in potu oximeli. At quùm grauitas ad lum- *t. tex. 37.*
bos uſq; deſcenderit: tùm uel clyſmum dare, uel medicamento purgare oportet. At cum purgatus fuerit, ſorbitionem primùm, & aquam mulſam, deinde cibaria, & coctos piſces miniſtrare.] Iam er
go uides quomodo ad groſsius à tenuiori, procedit. Forteq. ſimili- *u. te. 44*
ter ſenſit, quùm purgatione per clyſterem facta, mulſam aquoſam bi
bendam (ut par eſt in mane) ſed ptiſanæ cremorem in uerſperi ſor- 15
bendam dedit. Præterea non aliud uoluiſſe apparet *x* quùm ait *x. te. 47.*
[Quibus febres graues, & implacidæ ſunt. &c.] ſubdit enim. [Eoſ- *& in idem*
que ita degere oportet, ut nihil, præter oximeli, aquoſum tangant. *poßet trahi*
ſorbitionem autem non dabis, donec ſe ſe remiſerit, & urinæ matu *quod habe*
rentur.] uides igitur quomodo prius, quam coquatur morbus, oxi- *tur in te.*
meli duntaxat aquoſum permittit: concocto autem, ad ſorbitionem *61. 64. &*
deuenit. ergo ingroſſando procedit. Demùm non aliud in morbis *83.* 16
etiam qui ſine febre affligunt, uoluiſſe patet: Quùm ſic ait *y* [Si ue *y. te. 113.*
rò febris non fuerit, uexentq; tormina: primùm quidem lactis aſinini calidi pauxillum, deindè ſenſim, paulatimq; plus bibat, & lini

ſemen, & triticeam polentam &c.] Numerando igitur aſinæ lac, priùs parum, dein plus paulatim, ac plus ſemper augendo, & deinceps ad craſsiores cibos deueniendo, uidetur apertè ingroſſando procedere. Ex ijs ergo omnibus, atq; unà reliquis interpoſitis, ac præcedentibus, ſubſequentibusq; pluribus locis, exquiſitè perpenſis, quæ in libris de ratione uictus acutorum leguntur, abſtinendum eſt principijs, attenuandum'ue: In ſequentibus uerò diebus, paulatim ac ſucceſsiuè per gradus, magis, magiſque ingroſſandum in nutritione, iuxta Hippocratis, Galeniq; etiam, ut interpretis dogmata, liquet.

Argumentum ſecundum ex Galeni authoritatibus factũ. ζ.x1.meth. cap. 9. poſt principia. Authoritas prima. a. ibidem uerſus medium capitis. a.1.adGlauco. cap. 9. Idemque Aetius. li. 5. cap. 80. c.12.meth. cap. 6. uerſus fin.

Præter hæc autem communia Hippocratis, & Galeni eius interpretis, loca, ipſum quoq; Galenum per ſe, ac ſeorsùm ſcribentem perpendamus. ubi non ſolum dare uinum ab initio ſiue continuarum, ſiue tertianarum, ueretur (ſcilicet coctionem expectans) ſed alios quoque cibos, uel potus. Inquit enim prius ζ [ubi magnitudo febris obſtat, ſicut in continuis, nec uino eſt utendum, nec lauacro, nec ijs, quæ habitum rarefaciunt, unctionibus. &c.] Deinceps uerò poſt aliqua, de humorum conquendorum ſcopo loquens a, ſubdit. [Itaque etiam tum maximè eos cum fiducia, uel in balneo lauamus, uel his, quæ habitum rarefaciunt, medicamentis utimur. uel aquam frigidam, uel uinum bibendum damus, quùm notas humorum concoctorum cernimus &c.]
Idemq; alibi de tertiana loquens inquit, per hæc uerba b [At ubi 2
concoqui cæperit morbus, dandum eſt uinum ab initio tenue, aquoſum, & paucum. ubi uerò iam propè eſt, ut morbus ſoluatur, amplius
eſt offerendum.] De alijs autem nutrientibus itidem, atq; de uino 3
ſentit, cum inquit c [vinum uerò ijs aquoſum neceſſarium inter initia eſt, ſumptum in cibis. Quòd ſi ex ſententia nobis omnia reſponderint, etiam carnei iis aliquid nutrimenti admetiemur, potiſsimum
» poſt quartum diem, ſuccis, qui febrem excitarunt, iam ad concoctio
» nem uenientibus.] Ecce igitur quomodo Galenus ab initiis morborum tenuiùs diætabat: progreſſu quidem, ad craſsiorem uictum conuerſus. Atq. idipſum (ut patet) ex propria intentione. cum per ſe loquatur, & non tanquam expoſitor, prout in alijs præaſſumptis Hippocratis locis. In quibus eius quoq; Galeni alibi ſcriptam ſententiam pro aduerſantibus allegare poſſes r, quòd ſcilicet interpretis munus eſt, elucidare mentem authoris, quem interpretari aggreſſus eſt, quanquam fuerit falſa. Quamobrem ubi tanquam interpres, Galenus loquitur

r.1. progn. com. 4. in digreſſione.

loquitur, eius mentem non ita affirmare possumus, quemadmodum
ubi proprio ex marte scribit. perinde ac in nuper adductis locis ap-
paret.

Quod si Celsum, non temerè alterum Hippocratem Latinum app 1
latum, legerimus: in idem quoq; uenire in febribus patet. Sic enim c
curationum diuersis generibus loquens, ait d, [Itaque abstinendus à
cibo primis diebus est.] Nulli uerò dubiū esse reor, si primis diebus ab
stinet, deinceps uerò cibetur, quòd ingrossando procedit. In quam sen
tentiam ueniunt, & alia uerba paulò post dicta [unum illud est sem
per quod ubique seruandum est: ut ægri uires subindè assidens medi
cus inspiciat, & quandiu supererunt, abstinentia pugnet (ut est in
primis diebus) si imbecillitatem uereri cæperit, cibo subueniat. &c.] 2
Clariusq; id ipsum patet, iungendo cum prædictis ea, quæ paulò post 3
subdit, ad determinandum, quando ad cibum pertranseundum est,
per hæc uerba [In pluribus tamen ad initium cibi dies quartus aptis-
simus esse consueuit.] Vniuersaliùs autem in omnibus morbis idem 4
alibi confirmauerat, dicens e. [Initia morborum primum famem,
sitimq; desiderant.] Ostendit uerò statim, quod paulatim deindè
ad crassius procedendum, & non subitò, ac repentè permutandum
per hæc uerba [Ipsi deindè morbi moderationem desiderant. ut ne-
que aliud, quàm expedit, neque eius ipsius nimium sumatur. Neque
enim conuenit iuxta inediam, protinus satietatem esse.] Præterea 5
non aliud uoluit, quum ait f [Si quotidiana est, triduo primò,
abstinere oportet, tum (scilicet triduo peracto) cibis altero quoque
die uti.

Argumentum tertiū quod ex Celsi authoritatibus collectum est.
d.3.4.
Authoritas prima.
e.2. li. cap. 16.
f.li.3. cap.

Quod si ad Arabum anchoras refugiamus: idem quoque in-
ueniemus. præsertimque apud ipsum, inter medicos Arabes, non
iniuriâ principem Auicennam. Hic enim pluribus quoque in
locis, uictum ab initio tenuem præcipit, procedente morbo ad
crassiorem permutans. Quemadmodum in primis liquet: ubi
paralysim curare intendit. Sic enim ait. g [In regimine autem ci-
bandi eos, oportet ut paralytico, in primis, cum apparet, sis
contentus aqua hordei, & aqua mellis, duobus diebus, aut tribus.
Et si tolerauerit uirtus, usque ad quartumdecimum, Et si non to-
lerauerit uirtus, ciba cum carnibus auium leuibus &c.] Vides er-
go, quòd ad tertium usque aqua hordei, ptisana'ue, aut aqua mel-
lis necessariò contentus est: Inde autem si uirtus imbecillis, ingros-
sandam esse diætam, si uerò fortis, non ingrossandam, nisi post de-
cimum quartum uoluit. Atque idipsum quoque Paulus h ante ipsum
sensisse

Argumentum quartum ab Auicenna Paulo[...] thor[...] bu[...]
[...] Authoritas prima.
g.2.fen.3. cap.4. circa principia.
h.li.3. cap. 18. circa med.

„ sensisse uidetur, cùm priùs dixerit [cibi conueniunt frumentacei, sorbiles, uel alioqui ad concoctionem expediti, nec recrementicij.]
„ Deinceps uerò multis interpositis uerbis, subdit [post diem quar-
tum decimum solidioribus uti cibis expedit / &c.] Præterea Princi 2
pem quoque perpendamus, cùm quotidianæ febris curationem po-
nit sic scribens *i* [Verùm cura conueniens eget, ut subtilietur regimē
imprimis.] Aliquibus uerò interpositis uerbis, subdit [Cumq; per
transierit septimus, non stes tunc super subtiliationem: quoniam il-
la debilitat, & addit in debilitate oris stomachi. &c.] Ecce quomo
do per hæc uerba uidetur, quòd ante septimum debemus subtiliare.
post septimum uerò ingrossare, & sic (uti prædictum iam est) ingros
sando procedit. Maximè quia paulò ante quàm præcitata uerba scri-
pserit, iam prædixerat [& fortassè contentus est aqua hordei (intel
lige ptisanam) in primis tribus diebus &c.] Præterea in cibatione 3
patientium quartanam intermittentem, sic statim exorditur *k* [Re-
ctius est, ut inclinetur regimen eorum in primis septimanis, usque
ad tres septimanas, ad subtiliationem quandam, præter quod de-
struit uirtutem, & illud est, ut abstineant à carne, & alzumet (hoc est
rebus pinguibus, & unctuosis) hoc enim (.s. abstinere ab ijs) mino
rat eorum materias: Et est leue super eos. Et abbreuiat spatium ægri
tudinis eorum. & post illud necesse est uirtutem uiuificare, cum eis,
quæ sunt, sicut pisces alradradi (quod est petrosi) & oua sorbilia, &
pulli, & altheiugi (hoc est perdices) &c.] Dicit autem princeps in
principio subtiliandum [præter quod destruit uirtutem] quasi di-
cat, talis facienda est tenuitas, qualē uirtus sufferre queat. confor-
miter ijs, quæ antea scripserat, ne scilicet laboret in principio cum
eo quod debilitat ex subtiliatione regiminis. Nec aliud uoluisse ap- 4
paret, si exquisitè perpenderimus, in curatione quartanæ continuæ,
m atque etiam sextanæ, septenæ, ac similium. *n* Cùm ad eandem cu
rationem se referat, quæ de intermittente quartana iam dicta est.
Præterea in eandem uisus est cibationis methodum descendere, cùm 5
de sanguineæ febris curatione loqueretur. *o* Nam à principio nil da-
re uidetur: facta autem copiosissima sanguinis missione, subdit
[& succurratur ei, quod accidit de debilitate, & syncopi, cum cibo
subtili, & quiete.] Deinceps uerò uersus finem curationis, ad cras-
siores cibos deuenit. Verùm quis hanc sententiam glossare poterit? 6
Legens priùs apud Paulum, *p* in curatione phrenitidis, ita scriben-
tem [cibus primùm esto, aqua mulsa, deinde [illegible]sanæ cremor, & sor
bitiones ex chondro, cum quadam dulci potione. panis quoque &c.]

i. prima fen. 4. te. 2. cap. 55. circa prin.
K. ibidem. cap. 65. in prin.
l. cap. 63. post principia.
m. ibidem cap. 66.
n. cap. 67. & 68.
o. ibidem. cap. 45.
p. li. tertio. cap. 46.

Deinceps uerò principis ad eundem effectum uerba perlegat, sic dicentis. *q* [Et primò incipe nutrire ipsum cum ultima subtiliatione cibi. Ita ut sis contentus secaniabin zuccarino (idest syrupo acetoso). Deinde post hoc, die uno, aut duobus, permuta ipsum ad aquam hordei subtilem (idest ptisanæ cremorem) cum secaniabin. Deinde ad grossam (hoc est ipsam integram ptisanam). Et quoties uideris accidentia ægritudinis fortiora: incipe in principio à subtiliatione cibi multa. &c.] Quid uerò adhuc ambigendum? Si in angi 7
næ curatione, Paulum *r* anteà perpenderimus sic scribentem [Cibus sit triduò aqua mulsa: Inde ptisanæ cremor, cum dulci quadam potione: deindè & ouorum lutea perliquida. Sorbitionibus uerò utendum est ex chondro. Vbi autem deuorare melius cœperint, & cibis, qui ægri uiribus respondeant. &c.] Mox uero deinde principem Arabum perlegat, eadem ita comprobantem *s* [Et oportet ut sint contenti in cibis suis, usque ad diem tertium, oximelle, aut syrupo de melle (intelligebat fortè aquam mellis) Deinde gradatio fiat ad aquam hordei (intellige cremorem) cum quibusdam potionibus delectabilibus: Deinde ad uitellum oui: postea cùm facilis sit deglutitio, administrentur sorbitiones ex chandarusio (hoc est ex chondro. corrupta enim dictio est, pro chondro, chandarusius) & in fine eius 8
&c.] Amplius cum in pleuritide Paulus *t* aquam mulsam, aut ptisanæ, uel chondri cremorem: ubi dolor mediocris est, propinari ab iniectis Clysteribus præceperit: ubi uerò uehemens dolor infestarit, ad quartum usque diem commoratus, tunc sorbitiones cum mellis momento porrigendas iusserit, procedente autem declinatione doloris, ad solidiorem cibum peruenerit: Princeps quoque ab ijs, quæ minoris nutrimēti sunt exorsus est, dicens *u* [sed iulep, & aqua zucc. sunt conuenientiores ei, & postea aqua hordei (intelligo ex Paulo, ptisanæ cremorem) & post ipsam uinum dulce. &c.] subditq; paulò post de uino [uerùm non oportet ut bibatur in pleuresi, & in peripneumonia, nisi post maturationem.] Rursusq; deinceps *x* [& si fuerit inquieta, sis contentus aqua hordei (scilicet cremore) usque quo declaretur tibi dispositio, & propriè secundum sputum. Nam cùm multiplicatur, securus es de multitudine materiei, & scis necessitatem uirtutis] q. d. quando multiplicatur sputum, poteris magis ad uirtutem corroborandam intendere. quia materia non amplius multa est. Quamobrem, & infra rursum ait *y* [Et sorbeat cùm spuit, uitellum oui. ut remoueatur malitia eius. Et si indiges in pleuriticis cibo fortiore, da pisces alradrada (idest petrosos) & illud cùm fra-

q. prima fen. tertij. tr. 3. cap. 3. ante medium.

r. li. 3. cap. 27. uersus fi.

s. 9. fen. 3. cap. 11. princ.

t. lib. 3. cap. 33. & uide etiam Aetium li. 8. cap. 68. uersus fin.

u. 10. fen. 3. tr. 5. ca. primo uersus med.

Vide Celsum. li. 4. c. 6. uersus fi. de uino.

x. 10. 3. tr. 5. cap. 2. ante med.

y. ibidem circa med.

cta

"ćta eſt febris. Et ſimiliter panem cum zuccaro, & butyrum. quo-
" niam adiuuat ad maturationem, & ad ſputum: & piſces elixatos cum
" porris, & aneto, & ſale.] Ecce quòd prius cum aqua hordei tantùm nutriebat, hoc eſt ptiſanæ cremore. Quinimmò anteà cum Iulep, & aqua zuccari, quæ tenuiores ſunt diætæ: Deinceps uerò ad cibos deuenit etiam ſolidos. Præter hæc uerò demùm in curatione apoſtemanitum calidorum matricis, inquit. z [Et oportet ut prohibeatur cibus, & minoretur in diebus primis, uſque ad dies tres.] In hoc ergo loco, quemadmodum & in alijs præaſſumptis, à tenuitate ad craſsitiem procedit: ſiquidem in primis diebus tenuiſsimo in extremo uictu, quod eſt omnimoda inedia vtens, ad quemcunque ex alijs poſtea peruenerit, iam ingroſſando apertiſsimè procedit. Quod ſi minoretur in primis, augendum in ſequentibus fore cibum, liquidò ſupponit. 9

z. 21. fen. 3. tract. 4. cap. 12. poſt prin.

Argumentum quintum ex rationibus aggregatum.

Quod autem authoritatibus prædictis oſtendimus, Itidem rationibus quibuſdam comprobare nitemur. & primo ſic. Si cibandum in principio, attenuandum uerò in ſtatu foret: Idipſum fieri deberet, uel ratione eorum, quæ ſunt ſecundum Naturam, & præſertim uirtutis, ut per cibum conſeruentur, uel ratione eorum, quæ ſunt præter Naturam, ut per eundem explodantur. Non ratione naturalium, & præcipuè uirtutis. Nam uirtus in principio eſt fortis. Quod ſi debilis aliquando appareat, non niſi uia grauaminis contingit. Igitur uel nullo, uel fortaſsis pauciſsimo cibo indiget in principio: In ſtatu uerò etiam ſalubrium morborum, reſoluta, imbecilliſq; reddita eſt, ob euacuationes, & intemperiem, laboreſq; multos, quos paſſa eſt, ac iam actu plures patitur. Tunc ergo roboranda magis uidetur, inſtaurandaq; per cibationem tunc uenit: Aliaq; ſecundum Naturam exiſtentia, tunc magis conſeruanda. Qua de re Celſus dicebat. *a* [In morbo, qui plus uirium aufert, celeriùs cibus dandus eſt.] Non ratione eorum, quæ præter naturam ſunt, cibandum per initia, attenuandumque in ſtatu eſt: immò potiùs econtrà. Nam tunc eſſet, uel ratione morbi, uel cauſæ, uel ſymptomatum. Non ratione morbi. Nam indicatione ab hoc ſumpta, contrarius cibus, ad contemperandum, ipſumq; refrangendum neceſſarius eſt, iuxta illud Hippocratis *b*. [Victus humidi competunt febricitantibus.] hic autem magis requiritur, ubi maior intemperantia, ut in ſtatu. In maiori enim quanto (ut philoſophi dicunt) *c* maior eſt uirtus, ac per hoc maior quoque neceſsitas. Ergo ſi ratione morbi cibandum eſt, magis cibandum uenit in ſtatu. Firmaturq; id ipſum, quoniam

Ratio prima. Ratione uirtutis.

a. li. 3. cap. 4. ante medium.

Ratione morbi.

b. 1. aphor. 16.

c. uide 3. phiſicorum com. 42.

niam in uigore ipſo, uel multa ſiccitas adeſt, tuncq; cibatione humectandum præcipit Galenus *d*. Ne ſcilicet in maraſmum delapſus fiat: uel ingens tunc infeſtat calor, tuncq; uerisſimile etiam eſſet, refrigerantibus cibis, contemperandum fore. uel utrumq. adeſt calor ſcilicet ac ſiccitas. tuncq; refrigerantibus, atq; unà humectantibus cibis occurrendum, ac tunc magis, quando maior neceſsitas adeſt. Quamobrem (ut ſæpè iam experimento comprobauimus) ſub comburentisſimo ſole metentes meſſores, niſi aſsiduo cibo reficerentur, atque (ut conſueti ſunt) nouiès etiam in die, omnes ob nimium æſtum, & uirium reſolutionem, extinguerentur, ac uitam cum morte commutarent. Non etiam ratione cauſæ, cibandum in principio magis, in uigore autem minùs eſt. Nam in principio materia cruda eſt, multaq;, ac Naturam aggrauans. Ergo cibationi repugnat. Ne uirtus inde ſtranguletur. Quæ tamen materia in uigogore cocta eſt, minorata, & obedientior Naturæ facta, ut cibationi minimè reſiſtat. Firmaturq; idipſum Hippocratis authoritate, docentis *e* [Non pura corpora, quanto magis nutris, tantò magis lædes.] Impuriora uerò in principio eſſe, quàm in uigore, neminem latere autumo. Non denique ratione ſymptomatum. Hæc enim ualidiora, & uires proſternentia maximè in uigore, ſunt: circa principia uerò, & declinationem, (vt Hippocrates ait *f*) leuiora. Caſibus autem, ſymptomatibus'ue uirtutem proſternentibus, illicò cibũ dandum eſſe Galenus edocuit. *g* Reliquum eſt igitur quòd omnino cibandum magis in ſtatu, ſeu uigore eſt, quàm in principio. Quamobrem non attenuando, ſed ingroſſando procedendum nobis eſt. Præterea eadem eſt ratio de temporibus uniuerſalibus, & particularibus. Proportionales enim ſunt amborum definitiones: Sed in particularibus temporibus, deterius particulatim cibandi tempus eſt principium, (Galeno docente *h*). ſecundo autem loco, (ut ex Celſo colligitur *i*) incrementum. Ac tertio demum ipſe uigor, ueluti melius tempus eſt declinatio, ubi calor ad pedes deſcenderit. Ita ergo etiam uidetur, quòd in uniuerſalibus temporibus obſeruandum foret. ut peſsimum ſit pro uniuerſali cibatione, uniuerſale principium, in quo calor quidem Naturalis, inſtar particularis principii, materiæ ſummerſus, ſubiectusq; adhuc eſt. ſecundo loco incrementum, ubi calor iam emergere incepit, inſtar quoque incrementi parricularis. tertio loco uigor, in quo ſicut etiam in particulari uigore, materiæ iam dominatur calor. Quis ergo his prælibatis, non augeret cibum in augumento, magisq; in uigore, atque omnium maximè

Confirmatio prima ex authoritate.
d. 11. meth. cap. ultimo.
Confirmatio ſecunda ex experimento.
Ratione cauſæ.
Confirmatio ex auth.
e. 2. aphor. 10.
Ratione ſymptomatum.
f. 2. aphor. 30.
g. 1. aphor. 9.
Ratio. 2.
h. 1. de ratione uic. acut. com. 46.
i. li. 3. cap. 5. prope fi.

ximè in declinatione, suum ægrotum cibaret? prout totius Italiæ, atque etiam Siciliæ mos est. ut in primis quidem diebus ptisanam, uel eius cremorem propinent. Deinceps uerò Galliculorum, Gallinarum'ue iuscula, usque adeò consumpta, donec tota gallinæ, aut galliculi caro tabefacta sit, pro maioris nutritionis substantia. Mox uero deindè contusa gallinarum pectora, & demùm ædendas carnes, ac uinum exhibeant? Id quod alia rursus ratione confirmabimus sic.

Ratio. 3. In statu calorem naturalem augere oportet, quò ualidior hic redditus febrili, illum minuat, extinguatq;. tunc enim magis id agendum, cùm præter naturalis calor magis urget. hoc autem est in statu, seu uigore. Quod autem augere oportet calorem naturalem, ut febrilem superet: inde probatur Philosophi testimonio *K*, quoniam maior flamma minorem iuxta se positam ad se rapit, extinguitq;. Calorem uerò innatum cibo augemus. Quam ob causam Philosophus quoque *l* cibandum in quartanis præcepit. Itaq; cibandum in uigore, & quidem magis quàm in principio, uel augumento est, magisque ob eandem rationem, in augumento, quàm in principio. Præterea sæpè in principio ignoramus ægritudinem, quæ nam sit, cuius generis, aut speciei, & quonàm tendere debeat: Igitur attenuare uictum in principio debemus. Consequentia patet per Auicennam dicentem *m* [Cum ignoraueris ægritudinem, subtilia regimen] seruata nihilominus interim (prout aliàs inquit *n*) uirtutis tolerantia. Ipsa enim erit (eodem alibi *o* authore) quæ uel superabit ægritudinem, aut illam manifestabit, quotiès uidelicet ipsi Naturæ totum dimittis, nec aliquo pacto, cum effatu dignis remedijs properes. Quam quidem sententiam Celsus *p* quoque ante ipsum Arabum Principem tetigit, uidelicet ad tertium usque protelandum, quinimmò tutiùs ad quartum, ut cibum exhibeamus. Donec scilicet certam cognitionem habuerimus, an tertiana, uel quartana sit febris, quæ hominem ex alto molestat. Nec aliud quidem elicere possumus ex Hippocrate *q*, cùm inconstantibus febribus, uictum, curationemq; conuenientem non admoueri præcipit, donec constiterint. Clariusque ex Galeno dicente *r*, [in huiusmodi itaq; febribus non in principio uictu uti, præcipit (scilicet Hippocrates) sed sinere, donec qualis nam sit febris, cognoscamus, & tunc uictus formam præfinire.] siquidem igitur in principio subtiliamus, necessarium fuerit deinceps ingrossare. præsertim quoties morbus prolongabitur, ne uirtus in medio itinere succumbat.

Ratio. 4. [margin placement as printed beside "neris, aut speciei"]

Ratio. 5. Adhuc omnes ferè morbi materiales, præsertimque putridæ febres, cum uentriculi immodica repletione,

k. lib. de causa longitud. & breuitatis uitæ & prime proble. 57.
l. 1. problem. 57.
m. prima 4. tr. 1. cap. 7. post princ.
n. Ibidem cap. 8. post med.
o. 4. 1. cap. 1. uersus fi.
p. li. 3. cap. 5. in prin.
q. 4. de ratione uic. acu. te. 52.
r. in com. eiusdem.

ac satietate, sæpenumerò etiam nauseatiua, suæ generationis principium sumunt. Hoc præsertim æuo, quo (ut optimè Paulus *f* ait) contrario victu regimur ei, qui apud ueteres in usu erat. Velut enim illi inedia, exercitiisq; corpora sua moderabant; sic nos plurimis, atque inordinatis, & vitiosis cibis, absque ullo exercitio, ad nauseam usque ingurgitamur. Quis esset ergo ille tam rudis, ineptusq; medicus, qui homini iam ob immodicam uentriculi repletionem, cruditatemq; nauseanti cibum à principio morbi statim offerret? Donec uel inedia, uel cibi parsimonia, cruditates illæ uentriculi consumerentur? Quinimò etiam si medicus aliquando circa principia statim uictum exhibere intenderit: tunc non modo ægrotantes respuant: sed astantes etiam, affines'ue, ac necessariæ mulierculæ ipsum medicum deridebunt, atque multa cum infamia, & contumelijs explodent. Idipsum uerò non homines tantùm natu grandiores, atque fortasse experientia, rationeq; præditi obseruant: sed ipsi quoque infantuli, Quin & bruta etiam animalia Naturæ documentum esse testantur, cum omnia in morborum principijs abstineant. progressu uerò temporis, ad coctionem uergente morbo, consumptisq; iam uentriculi cruditatibus, paulatim ad cibaria conuertantur. Cur ergo nos ipsi etiam Naturæ optimè operanti aduersari, nostro cum dedecore, atque ægrotantium perditione, temerariè uolumus? Cibum scilicet in principio ingrossando, ut attenuare deinceps ualeamus, cum ad uigorem accedimus. Præterea dum morbi inchoant, siquid tibi uidetur mouendum, moue (inquit Hippocrates) *t*. In principio ergo uacuandum exposuit Galenus *u*, Sed inædia species est euacuationis (ipsismet Hippocrate *x*, ac Galeno *y* authoribus). Itaq; in principio abstinendum. Sed quid demùm de temporibus in diætando uestigamus, in principio grossius, in uigore autem subtilius cibandum asserentes, siquidem à temporibus nullam sumi indicationem Galenus *z* reclamat? Absq; temporis igitur consideratione, ut tunc abstineamus à nutritione, cum fortis uirtus est, corpusque magis repletum, & materia crudior, cibemus uerò quùm imbecilla uirtus est, corpusq; magis inanitum, ac materia magis cocta, tam rationes, quam experimenta (præter ueterum præscriptas authoritates itidem reclamantes) efflagitant. Contingit uerò inde ut in principio abstineamus, quia fortior uirtus, corpusq; repletum, & materia crudior: In uigore autem ob contrarias causas, sedulò nutriamus. In paracmastica autem febre, quæ ab initio ad calcem declinando procedit, quod in principio tenuiùs, deinceps uerò grossius, paulatim, paulatimq;

f. li. 1. cap. 20. uersus fi.

Ratio 6.

t. 2. aphor. 29.

u. Ibidem in com.

x. 7. aphor. 59.

Ratio 7.

y. Ibidem in com. & 4. aphoris. com. 2. & 2. 18.

z. 3. meth. cap. ult. & 4. eiusdem cap. 4.

Ratio 8.

timque augendo, ac magis ingrossando, diætandum sit, usque adeò
liquet, ut à me declarari, superuacaneum sit.

Argumentum primum, ab Hippocratis authoritatibus cōflatum. Authoritas prima. *a.1.aphor.6* *b.aphor.7.*

In Oppositum habemus expressam Hippocratis, & Galeni
sententiam in aphorismis. Etenim coniunctis aphorismis. 6. 7. & 8.
& 9. atque ad unum reductis habemus, quod quia extremis morbis, „
hoc est maximis, extremæ curationes, ac extremè etiam tenuissimi
uictus congruunt *a* Idcircò ubi morbus ab initio statim peracutus 2
est, & maximas statim habens accessiones, symptomataque, ac om- „
nes deniq; læsiones, in hoc statim extremè tenuissimus uictus adhi-
bendus est, quod est omnimoda inædia *b*. atq; idipsum, quia sta-
tim à primo insultu proximi sumus extremo, ac maximo uigori, uel
in ipso etiam uigore fortassis in prima die sumus: Quo tempore quia
extremus, maximusq; est morbus, & extrema, nec non maximæ sunt
symptomata omnia: Idcircò, & extremè tenuissimus uictus compro
bandus . econtrà uerò, ubi non statim in uigore sumus, nec sta-
tim illi proximi, quia non statim est maximus, nec statim extremos,
maximos'ue labores habet, sed leuior morbus est, à summo uigore
semotus: Ideò non statim oportet ad extremè tenuissimum uictum,
omnimodamque inediam peruenire. Sed non nihil circa initia præ-
bendum, tantoq; minus tenuis uictus sit, quantò magis à uigore lon
ginqui sumus, ac mollior, suauiorq; morbus extiterit: Et sic per ini
tia magis, minus'ue, pro morbi mensura, in magnitudine, ac longin
quitate à summo uigore nutriendum est. Quando autem morbus in 3
c.aphor.8. suo uigore constiterit, tunc uictu tenuissimo utendum est *c*. Hæc „
inquam sic instituenda, à principio ad uigorem usq; sunt, quantum
ex morbi, symptomatumq; ratione est (Nisi uirtus obstiterit: ut
d.aphor.9. quæ perdurare sine cibo, uel cum eius tenuitate nequeat.) *d* In il-
lis quidem acutissimis morbis, per totum sine cibo: in his uerò, mi-
tioribus inquam, cum exquisita cibi minutione, uel etiam aliquando
eiusdem remotione. quando scilicet in uigore sumus, uel ipsi uigori
proximi. Totum uerò, quod dictum est, generatim in omnibus mor 4
bis, in aphorismo decimo concludit, dicens. [Quibus igitur statim „
morbus consistit (hoc est, proximus uigor est) in ijs statim tenuis ui „
ctus adhibendus est: Quibus uerò posteriùs debet consistere (hoc est, „
longior, remotior'ue uigor sit) ijs & in ipso consistendi tempore, ac „
parùm ante illud (hoc est, in fine augumenti) cibus subtrahendus. „
Priùs uerò (q. d. in principio, & maxima parte augumenti) uberiùs „
nutriendum, ut æger sufficiat.] Quis ergo ambigeret hic in principio „
grossius, in statu uerò tenuius, atque in augumento, medio modo,

priùs

priùs quidem minùs, deinceps uerò magis tenuiter diætandum fore ex Hippocratis aphorifmis, Galeniq; fui fidifsimi interpretis comprobatione? Præfertim ubi alijs quoque in locis, idem ex propofito confirmatum ab utroque inuenerimus? etenim fecundo de ratione uict. acut. quanquam fæpenumerò priorem, oppofitamq; fententiam tetigerat, uidelicet ingroffando procedendũ, uelut anteà demonftrauimus: Nihilominus tamen ea, quæ in aphorifmis fcripta iam funt cõ probans, ita inquit *e*, [Melius fiquidem effe dico, ut protinùs ab initio morbi, forbere incipias: quàm inanitis, uacuatisq; uenis, uel die tertio, uel quarto, uel quinto, uel fexto, uel feptimo, fi ante hoc tempus morbus haudquaquam iudicatus fuerit, forbitionem inchoare.] Quo in loco Galenus idem ab Hippocrate fcriptum effe ait, quod in aphorifmis: In morbi fcilicet omnis uigore, tenuifsimo utendum uictu. &c. Ad cuius etiam decreti roborationem infrà rurfùs ait. *f* [Verùm & medicos contrà omnino, quàm oportet, agere fcio. Nempe omnes fcilicet medici, languentes ipfos per initia morborum, duos, uel tres, uel etiam plures dies, inedia ficcare, atque ita tùm forbitiones, tùm potus exhibere uolunt. Idq; forfan, quod magnæ corporis mutationi (fcilicet ex fanitate in ægritudinem) magnam quampiam obijcere mutationem (fcilicet uictus) ipfis decens effe uideatur. uerùm mutatio ipfa bene quidem habet non parùm, fed rectè transferenda uenit. Iam autem & ciborum exhibitio mutationis rationem maximè fubit.] Nec aliud in fequentibus *g* uoluit Hippocrates, quàm uituperare inediam, parcimoniam'ue fummam in principio, deinceps uerò, circa uigorem, cibi exhibitionem, (prout communiter practicantes obferuant.) Quinimò longè peior eft hodiernus multorum medicorum ufus, quam eorum, quos Hippocrates increpabat. [Maximè enim lædi eos (inquit Hippocrates) *h* qui tota (poft uenarum inanitionem inedia factam) utebantur ptifana: Minùs autem, qui folo ufi funt cremore: omnium uerò minimè, qui folo potu contenti funt.] Quantò igitur magis lædi uerifimile eft eos, qui ad carnes, & uinum, & oua, atque alia multa huiufmodi cibaria, poft inediam, uel tenuifsimum uictum quarto, uel quinto, uel fexto die, uel in incremento, uel (quod peius eft) in ipfo etiam uigore perueniunt? Sed cùm minora errata propalarit Hippocrates, maiora interim fubintellexiffe (Galeni *i* expofitione) uoluit. Præfertim uerò lædentur, qui femel, aut bis dumtaxat, dùm fani erant, cibari confueuerunt, *k* ac minima ciborum quantitate quamprimùm grauabantur. Nunc autem quibuf-

Margin notes: Confirmatio. — 5 *e. tex. 15.* — 6 *f. tex. 18.* — 7 *g. uide tex. 19. 20. & fequentibus omnibus ufq; ad fin. 2. libri.* — *h. tex. 19.* — *i. com. 18.* — *k. uide te. 22. 2. & 4. 88.*

l. uide secundi 23. quibuslibet quatuor horis, frequentius'ue *l* contusum gallinæ, aut
Caponis, pectus integrum iure dissolutum, uel hepar, aut oua, ex-
tremitatesq;, ac demùm incredibili nutrientium copia, strangula-
re potius, quàm nutrire dolentes ipsos plurimi ex nostris parant.
Nec unquam magis (quod omnium pessimum est) quàm in sum
mo uigore, cùm intensissima, sæuissimaq; symptomata infestant.
In tantùm enim increuit huiusmodi cibationis, assiduæq; ingurgi
tationis abusus: ut fame necatum ægrotantem proferant, qui ab hu-
iusmodi consuetudine quadamtenùs declinarit. [Non igitur intem 8
m. tex. 32. li. secundi. pestiuè (ut Hippocrates iterùm inquit) *m* Neque fortes uasorum
inanitiones moliri (scilicet in principio) neque econtrà, cum mor
bi uigent, & in inflammatione existunt, cibum dare, neque repen-
tè huc, uel illhuc in toto negotio mutare licet.] Maximè autem in 9
principio, potius, quam in uigore, cibandos fore ægros commen-
n. 2. li. te. 40. dat Hippocrates, *n* ea ratione motus. Quoniam si error cibatio-
nis nimium crassæ contigerit in principio, per sequentia iam tùm in-
crementi, tùm etiam uigoris, corrigi per abstinentiam potest. Sin
uerò in uigore, ob nimiam cibi copiam, deliquerit: non est residuũ
Exemplũ primum. tempus, in quo corrigi queat: sed mortis periculum imminet. Cu-
ius exemplum in ulcere tibiæ malè curato circa principia, uel post
o. tex. 51. secundi. principia, perbellè ab Hippocrate declaratum est. *o* Minus enim
malum est, si circa principia delinquat, deambulet'ue æger: postea
uerò quiescat, quam si ab initio quiescens ritè curetur: Quinto au-
tem, uel sexto, uel superiore adhuc die surrexerit, atque ambulare uo
p. uide te. 43. 2. luerit. Vbi ergo ex uasorum (ut alias inquit) *p* inanitione ad sor- 10
bitiones permutant: econtrà potius obseruandum fuerit, à sorbitio
Exemplũ secundum. nibus scilicet ad inanitiones peruenire. Quod alio rursus exemplo, 11
de mutatione ab ocio ad labores, uel à laboribus ad ocium, com-
q. 2. 50. & 53. probat Hippocrates, *q* quod intendit, uidelicet tutiùs esse, à labo
ribus ad ocium conuerti, pariterq; uentriculum à cibo ad inediam,
quod est à cibi elaboratione, ad eius quietem (ut nos nunc probare
intendimus) transmutari, quàm ab ocio per principia facto, cibi'ue
abstinentia, ad laborem, cibumq; circa uigorem, tyrannorum præ-
cipientium ritu, pertransire. Rationabiliter ergo & Hippocrates mo 12
numentis conformiter quarti libri de ratione uic. acut. Author ait
r. te. 45. & uide 47. *r* [Quùm iudicatio propè fuerit, sorbitionem ne dederis, si pertur
betur: sed cùm perturbatio desierit, atque in melius profectum sit.
Obseruandæ autem febrium omnium iudicationes, sorbitionesq;
s. te. 44. hoc auferendæ tempore.] Qui tamen paulò prius *s* mulsam, ac
ptisanæ

ptiſanæ ſorbitionem ſtatim à principio præbuerat. A principio igitur cibandum eſt. Mox uerò deindè paulatim attenuandum, magisq́;, ac magis, ad uigorem uſque.

Id quod Celſus quoque in peripneumoniæ curatione, comprobat, dicens. *t* [Ergo primis diebus danda eſt ſorbitio ptiſanæ, uel halicæ, uel orizæ, cum qua recens adeps cocta ſit. Cum hac ſorbile ouum, nuclei pinei ex melle, panis, uel elota halica ex aqua mulſa. potui deindè non ſolùm pura aqua, ſed etiam mulſa egelida, niſi quid obſtat. Hæc autem altero quoque die, increſcente morbo, dare, ſatis eſt. Vbi in incremento conſtitit (hoc eſt, quando fuerit in ſtatu) quantum res patitur, ab omnibus abſtinendum eſt, præterquam aqua egelida. &c.] Ecce quomodo craſsius in principio cibat: Minus uerò, ac rarius in augumento (Alternis enim dumtaxat diebus) Minimè autem, uel nullatenus in ſtatu. Alibique etiam prædixerat. *u* [Neque inter magnos dolores, neque increſcente morbo, tutum eſt ægrum cibo impleri &c.] Inter magnos uerò dolores eſt æger, cùm in ipſo morbi uigore conſiſtit. in uigore igitur, & augumento, tutum non eſſe ægrum cibo impleri dicens: circa principia reficiendum fore inſinuat.

Quam quidem Hippocratis in cibando è groſſo ad ſubtile, ſententiam, ſexcentis ferè in locis Galenus, præſertimq́; in curatiua methodo *x* per ſe, atque intimo ex corde loquens, nulloq́; interpretis munere aſtrictus, uel priſcorum reſpectu, ſed rationi, & experimento innixus, enarrando comprobat, præter iam dicta loca, in quibus Hippocratis interpres eſt.

Arabum quoque princeps *y* longo diſcurſu oſtendit, in principio groſsius, in proceſſu uerò morbi tenuius diætandum. eoq́; tenuius, quò magis ad ſtatum accedimus. quando ſcilicet de febricitantium cibatione loquebatur. Sic enim denique inquit. *z* [Verùm eſt tibi neceſſarium, cum hoc, in omnibus ſpeciebus, ut ſit principium tui regiminis groſsius, & poſtremum tui regiminis proueniens ad ſtatum ſubtilius. Et gradatim procedas in eo, quod eſt inter illa, ita ut uirtus ſit conſeruata, uſque prope ſtatum. Tunc enim intende ſuper materiam, & non ſis occupatus in alio. &c.]

Nec aliud quidem cæteri Arabes uoluerunt, ut Serapion, *a* Razes *b*, Hali abbas *c* atque ipſe etiam Auerrhoes. *d* Omnes enim quicunque fuerint, ex Hippocratis aphoriſmis à principio groſſius, procedente autem tempore tenuius cibant, magis quidem ac magis attenuando, quò magis ad uigorem accedimus.

Argumentum ſecundū ex Celſi authoritatibus cōpoſitum.

t. li. 4. cap. 7. in medio.

Authoritas prima.

u. li. 3. cap. 6. uerſus fi.

Argumentum tertium ex Galeni locis ſumptum.

x. uide 8. meth. cap. 3. uerſus fi. & xi. eiuſdem cap. 15. & uide 1. ad glauco. ergo poſt princ. 10. ante med. & xi. circa me. & 13. in prin.

Argumentum quartum ex Auicennæ authoritatibus conflatum.

y. prima fen. 4. tr. 2. cap. 8. & uide pulchra. 4. 1. cap. 1. poſt prin.

z. poſt medium capitis.

Veluti

Argumentum quintum ex aliorum Arabum authoritatibus sumptum.

Veluti multò minus ab hac sententia (ut patet) dissident Paulus, *e* Aetiusq;. *f* Quorum tàm Arabum, quàm Græcorum prædictorum uerba, breuitatis causa omittimus. Maximè cùm aliud non dicant, nisi quod Hippocratis, Galeniq; uerba transcribunt. Sat enim fuerit eorum loca in margine pernotasse.

a.b.breuiary. cap. 14. colligitur post med.
b. x.ad Mãsorem. cap. 34. & 17. contin.cap. 4. littera E F. c. 3. pract. cap. x I. post prin.
d.7.colligitur cap.10. post prin. & cap. 13. post prin.

Idipsum uerò Hippocratis decretum ratione sic roborari potest. Etenim repentinas mutationes Natura non suffert, quemadmodum ex ipsis met Hippocrate, *g* & Galeno *h* sæpiusculè didicimus. Transire autem ad inediam in principio ægritudinis, repentina quædam mutatio est, ex uno extremo in alterum scilicet ex multa cibatione, crapulisq; assiduis, ad ieiunium. Natura igitur sufferre nequibit huiusmodi abstinentiam in principio. Quod uerò paulatim fit, tutum est. Quam rationem sæpè in secundo de ratione uic.acut. Hippocrates assumpsit. *i* Igitur quis melior ordo esse potest, quàm ille, quē libro de prisca medicina *k* didicimus? ut scilicet priùs consueti cibi quantitatem minuamus: deinceps uerò ad sorbitiones descendamus, ac demùm ad potus perueniamus? Quòd si opus tandem fuerit ob morbi acutiem, uiriumq; robur iam insit, ad integram inediam deueniamus? Nec saltu quodam repentino ex plena cibatione ad huiusmodi totalem abstinentiam pertranseamus? In epacmastica uerò febre (quam etiam anabaticam dicunt, hoc est ascensiuam) quod ab initio ad finem usque attenuando procedendum sit, usque adeò, uel ex ipsa rei Natura, pernotum est, ut à me probari, uel declarari, fastidiosum superpondium sit. Itaque si non eodem in aliis modo, saltem uniuersale non est, ingrossando procedendum fore, ut ante oppositum probabatur. Demùm (ut argumentis colophonem imponamus) uictus tenuis periculosior est in principio, quàm in uigore: Igitur cauendū ab eo magis in principio. Qua de re tunc potius cibandum. Quoquomodo autem attenuandum est, magis id in uigore faciendum est. Assumptum probatur. Etenim in tenui uictu, si delinquant ægrotantes, magis læduntur (ut inquit Hippocrates) *l* quoniam errores omnes, in quauis alia re, uel non naturali, uél medicamentosa factos, grauius ferunt qui tenui utuntur uictu, quàm qui paulò pleniore usi sunt. Sed in principio magis errare solent ægri. ut qui negligant adhuc morbum ipsum, ac sæpè nolint etiam cubare, uel medicum aduocare. In statu autem obedientiores facti sunt, & ab omni ferè malo regimine cauent, ac medicum reuerentur, atque omni ex parte illi assentire conantur. Paruus autem error in principio maximus fit in fine (ut rectè philosophus

Argumentum sextum ex aliorū Græcorum authoritatibus collectum.

e.lib.2.cap. 23. post med.
f. li. 5.cap. 84. post prin.colligitūrque cap. 73.

Argumentum septimum ex rationibus compilatum. Ratio 1.

m ait) Itaque cibandum potius circa initia fuerit, roborandumq́. Præſertimq; (ut quarta ſubnectatur ratio) ſi uel ſanguinis miſsione, uel medicamento, aliqua euacuatio facta ſit, iuxta illud n [In principio ſi quid tibi uidetur mouendum, moue.] Quis enim eſſet, qui ſanguine miſſo, aut medicamento propinato, purgationeq; expleta, deinceps fame ægrotum enecandum fore ſufferret, animoque conciperet? [Quùm uerò morbi conſiſtunt, ac uigent: tunc quietem habere oportet] non ſolùm in euacuatione, ſed etiam in ipſa cibi, uel ſorbitionis exhibitione.

g. 2. aphor. 51. & ſecũdo de ratione uict. acut. à 18. uſque ad fi. h. ibidem in com. & tertij artis med. te. 23. i. à te. 18. infra. k. poſt prin. Cor. Ratio 2. Ratio 3. l. primi aphor. 5. m. 1. de cælo te. 33. Ratio 4. n. 2. aphor. 29.

CAPVT SECVNDVM, in quo multa, pro ueritatis determinatione, quæſtionisq; ſolutione, declarantur.


RO quæſtionis titulo atque eius determinatione, ſex articuli præmittendi, prælibandiq; hic ſunt. Primus, quid uictus nomine intellexerimus. Secundus, Quid ſibi uelit groſſus, ſiue craſſus, quid etiam tenuis, ſiue ſubtilis, & conſequenter quid craſsiſsimus, aut plenus, & pleniſsimus, quidque tenuiſsimus. unde quid ſibi uelit ingroſſare, quid etiam ſubtiliare per nouerimus. Tertius erit, ut morborum ſpecies, ſiue acutorum, breuiumque, ſiue longorum prænoſcamus. Quoniam pro horum diuerſitate, diuerſus quoque uictus adhibendus eſt. Quartus, quot, & quæ circa uictum conſideranda ſunt, quid'ue præcipuè intendimus in huiuſmodi quæſtione, perpendamus. Quintus uerò fuerit, in quo pro morbis immaterialibus, quæſtionem determinabimus. Sextus deniq; erit, in quo pro deciſione quæſtionis in morbis materialibus (de quibus præcipuè intendimus) ſex notanda præmittuntur.

Propter primum ergo, ſciendum quòd uictus Græce, Δίαιτα, apud ethymologum, à nomine, δαίς, formatur: quod eſt conuiuium quoddam ingenioſè extructum. quod uulgo dici ſolet apud nos Banchettum. In quo dapes quidem exquiſitè decoctæ, apparatæq;, ac in partes diuiſæ, ſingulis in conuiuio ſedentibus diſtribuuntur. Sic ergo formatur δαίς, δαιτὸς, δαῖτι, δαῖτα, & pleonaſmo, quod eſt, adiunctione quadam unius literæ ſcilicet, i, fit δίαιτα. Dicitur autem dictio, δαίς, (eodem docente) uel à uerbo δαίω, ut idem eſt, quod, μερίζω, quod eſt, partior, cuius uerbi futurum eſt, δαίσω. Apobole autem figura, quæ fit remotione ultimæ litteræ, ω, remanet, δαίς. Idipſum igitur

Articulus primus. uictus Diæta. } qu

nomen iam, quod conuiuium significat, à partitione originem sum psit. Quoniam ueteres in conuiuijs (uti apud nos quoque mos est) epulas diuidere, ac distribuere consueuerunt. Vel ab eodem uerbo δαίω deriuatum est, ut idem sit quod, καίω, quod est, accendo, siue aduro. Indeq; uenit, coquo, quoniam igne coquuntur dapes, quæ in conuiuio sumuntur. Vnde & coquendi ars δαιταλευργία nuncupatur, cæteraq; per oppositum animalia ὠμόφαγα. & ὠμησαι quod est crudorum comedentia nominantur. Neque uerum conuiuium eorum fieri, uel dici ob id potest, quia scilicet cruda comedunt, quanquam in unum conueniant, quantumcunque diuersas, diuisasq; res edentia.

Cibus & potus.

Quanuis autem principalius circa cibos & potus, conuiuium, Diætaque fiat: Nihilominus tamen, & in quinque aliis rebus necessarijs, quas non naturales etiam uocant, obseruatur. etenim si quispiam alicui uiro illustri, uel cuiuis amico aliquod conuiuium, seu, ut uulgò dicitur bankectum præparet, imprimis aerem eligit, æstate quidem frigidum, uariisq; floribus, ac uiridibus herbis, aut frondibus alteratum, lucidum, eleuatum, ubi tamen, neque uentus, aut pluuia impedire, aut lædere queant: Hyeme uerò calidum, & omni demùm ex parte ipsi conuiuarum naturæ congruum, ac salubrem. Præterea in amplo loco, & commodis sedibus decorato. ut tum ante cibum, tum à cibo etiam oportunè exerceri, deambulantesque spatiari, uel sedentes quiescere ualeant. Lectum quoq; perbellè ornatum concinnant. Aliaq; ex parte aleas, cartasq; offerunt, uel trochos, aut pilas, ut dormire, aut uigilare unusquisque percommodè ualeat, prout desideret. Nec minus matulas, excernendiq; uasa idoneis in locis apparant. Quò inanire superflua posśint, priusquam ad cibum, potumq; capiendum accedant: uel à repletione iam expurgare animus sit. Præ cæteris uerò cunctis in huiusmodi ordinato, ingenioseque extructo conuiuio, circumsedentium lætitia, hilarisq; animus requiritur, & dulcisśima omnium pax: Adeò ut neque timor, neq; ira, uel aliqua mæstitia intercedat, sed commune omnium gaudium. Idcirco & uarijs musicæ instrumentis, cantilenisq;, aut scurrarum delectabilibus gestis, aut dictis. Interdum quoque nonnullis comediis, aliisq; spectaculis exornant, quibus risum, ac omnem animi recreationem excitent. Atque hæc omnia usq; adeò apposite, ordinateq; adamussim, & exquisite oblata esse debent, ut ne quid nimis. Ita igitur medicus tàm sanis, quàm ægrotantibus, uel neutris exquisitisśimum, & cuique percommodum, ac saluberrimum conuiuium præparare, atque offerre debet. uocatur autem hoc (ueluti prædictum iam est)

Aer.

Motus & quies.

Somnus & uigilia.

Inanitio & repletio.

Animi accidentia.

Diæta, quæ in ſex rebus non naturalibus uocatis conſiſtit, omninò autem neceſſariis. Quanuis enim a Natura inſitæ nobis hæ non ſint, quemadmodum elementa, temperamenta, humores, membra, ſpiritus, ac uirtutes (quas res naturales uocant): uſque adeò tamen uiuentibus neceſſariæ ſunt, ut nullum abſq; his uitam degere queat. Quis enim cibi & potus neceſsitatem non nouit, quibus humidi radicalis ſubſtantia inſtauratur, quam innatus calor continuò abſumit, cùm in ea pabuletur, eaq; abſumpta, neceſſariò euaneſcat? Quanuis enim Germana puella biennium abſque cibo & potu uixerit, aliiq; Decem & octo, uel etiam triginta ſex annis (ut Apponenſis *o* retulit) plùs minus'ue: Idipſum tamen monſtroſum eſt, rariſſimeque adueniens, cum hoc autem, & ante huiuſmodi abſtinentiam cibati iam ſunt, atque etiam poſt, ad cibum tandem, potumq; pro illius cibi diſtributione peruenire neceſſarium fuit. Quoniam uerò inſitus calor euentatione, atque expurgatione, ac uentilatione indiget. Aliter enim (uelimus nolimus) extingueretur: Idcircò ſimpliciter neceſſarius aer eſt. præſertim ut eo ſpiritus uitalis, atq; animalis nutriatur. Cùm uerò cibi coquendi ſint, ſi nutrire debeant. In omni autem coctione, aliquod ſuperfluum excrementum neceſſariò reiiciendum ſegregetur: Idcirco inanitionis neceſsitas concomitatur: ſic etiam ubi præter modum uaſa, non totius modo corporis, ſed etiam ſeminaria, repleta ſint, inanienda ueniunt: Inanita uerò modeſtè replenda. Quamobrem inanitio, & repletio neceſſariò perpendenda in uiuentibus animalibus ſunt. Sed quomodo motu, aut quiete priuari animal poteſt? Etenim ut animal, præſertimque politicum, & ſociale, neceſſario mobile eſt, de loco ad locum, & ſecundum diuerſas corporis partes. Quin etiam mobile ſecundum ſenſitiuas tum exteriores, tum interiores potentias eſt. Quoniam uero finitæ, nec nō corporeę uirtutes hæ ſunt: Quod autem caret alterna requie, durabile nō eſt: Idcirco pro uirium recreatione, interdum ipſi corporis motui opponitur quies: ſenſuum uerò motionibus, alterationibusq;, ac una ipſi etiam corporeę motioni, quæ in uigilia fiunt, ſomnus tanquam omnium quies altera aduerſatur. Neque huiuſmodi tantum motiones, locales inquam, ac ſenſuum: uerùm & ſpirituum uitalium, ſecundum uarios animi conceptus, uarioſque appetitus exiſtat. Vndè Gaudium, ira, triſtitia, Timor, uerecundia, & cætera id genus accidentia, affectus'ue animi oriuntur. Quæ (uti Galenus *p* ait) ſecundum uarias ſpirituum, ſanguiniſq; motiones fiunt. Quæ (uelimus nolimus) ob inopinatas rerum ſortes, quibus occurrimus, ſub diſiun-

Quomodo res nō naturales ſint neceſſariæ.

Cibus & potus.

o. 10. li. proble. com. ultimo, & Conciliatoris differentia 112. §. 4. uerſus finem.

Aer.

Inanitio & repletio.

Venus.

Motus & Quies.

Motus.

Vigilia.

Quies.

Somnus.

Animi accidentia.

p. 1. de ſympto. cauſis cap. 5. uerſus finem.

ctione nobis insunt. In nostro igitur conuiuio (quam diætam appellauimus) Nos medici hæc omnia necessariò concurrentia metiri debemus, & unicuiq; ut condecens est, adaptare: ut nequid nimis. Nó temerè igitur Galenus *q* aliquando ait [Diætam appello non hanc tantùm, quæ cibo & potione constat: uerùm etiam quæ omnibus alijs, ut ocio, exercitatione, balneo, uenere, somno, & uigiliis, & uerò omnibus, quæ quouis modo fiunt in corporibus humanis.] Intellige autem quæ in sanis per materiam consuetam fiunt. prout ex ipso etiam alibi *r* didicimus. Præsertim uerò circa cibum et potum (veluti prætactum est) Diætæ nomenclatura consideratur: Veluti nomen quoque, δαίς, conuiuium'ue, unde Diætæ nomen deductum est. Nosq; in presentiarum sic etiã capimus, magisque adhuc pro cibatione, potuque nutriente. Latini autem cum respondens nomen uoci Diætæ, non haberent, uictus rationem appellarunt: Interdum uerò absq; uocabulo [rationem] uictum simpliciter nuncupauere. Quemadmodum sæpe in primo libro aphorismorum Leoniceni interpretatio obseruat. Atq; hæc pro primo articulo intantum dicta iam sint.

q. li. 3. de morb. uulg. commentario. 3. com. 9.

r. 1. de ratione uic. acut. com. 6.

Articulus 2.

s. 1. aphor. com. 4.

uictus plenus.

Propter secundum uerò, pernotandum rursus est, huiusmodi diætam, seu uictum à Galeno *s* sexcuplicem insinuari. uidelicèt Plenum, Moderatum, Tenuem, Exquisitum, seu exquisitè tenuem, Tenuissimum, & tenuissimum in extremo. Singulas uerò species declaremus. Est ergo plenus uictus, Græcè ἁδρὰ δίαιτα, qui magis sanis, præsertim laborantibus congruit, quanquam & longo morbo ægrotantibus aliquando necessarius est. Qui scilicet uires augere potens est. Cuiusmodi clasis erunt u. g. carnes, oua, pisces, panis, Itria, chondrus: & omnis deniq; cibus boni succi, multiq; nutrimenti. Ea tamen substantia, quantitate, qualitate, tempore, atque ordine, cuiuis permissus, ut ritè concoqui ualeat, ædentiq; condecens sit. Quamobrem si quispiam fortè fortuna quatuor capones, aut integrum non dico hædum, sed uitulum pransus sit, qui tamen ei congrueret, beneq; concoquatur, rectam seruare diætam dicetur: Non ut uulgares existimant: Tunc scilicet diætam seruare siue ægrotos, siue sanos, quando ptisanam, uel ptisanæ cremorem, uel amigdalatum, uel panatellam, siue quamcunque aliam leuem sorbitiunculam absorpserint, aut tenuissimum fortassè uictum, puta dumtaxat poculum, obseruarint. Plenus ergo uictus est, quem prædiximus, ad satietatem usque assumptus. (Hic uerò est, quam Romani medici uulgarem uictum nuncuparunt.) Victus autem mediocris, siue modicus, aut conmensuratus, Græcè σύμμετρος δίαιτα, ille est, qui

uictus modicus.

nonnunquam ipsis etiam sanis, præsertim delicatioribus, ociosé q; ui uentibus, ac sæpiusculè ipsis etiam ægrotantibus, præcipueq; longo morbo afflictis conuenit, uires quidem conseruans, iuxta uulgarem illum loquendi modum, uidelicet quoniam ædimus, ut uiuamus: Non autem uiuimus, ut ædamus. Quam sententiam Socrates magnoperè indies celebrabat (Hunc sub uulgaris uictus nomine à Romanis illis medicis intellectum esse, opinor,) Fieri autem & hic per eos cibos potest, per quos etiam uictus plenus paulò ante dictus, fit, minori tamen quantitate assumptos. Seruatoq; interim tùm Hippocratis, *m* Galeniq; *t* prius, tùm Principis *u* quoque uulgato canone, quod semper à mensa cum fame, siue cum reliquiis appetitus recedendum. Sic inquam uictus plenus, ac symmetros, absolutè, sanorum'ue duntaxat generali quodam uictus respectu, intelliguntur. Etenim si relatione ad aliquem ægrotantem facta cõsideremus: cremor etiam ptisanæ in acutissimis quidem morbis, imbecillimum hominem reficiens, atque robustiorem reddens, plenus, Alium uerò non adeò imbecillem conseruans, symmetros, dici potest. Ita etiam particulatim alicui integra gallina, calidissimo inquã homini, robustissimiq; uentriculi, atque interim uehementer exercitato, Tenuis uictus, nuncupanda uenit. Alteri uerò, symmetros, atque alteri demum, plenus. Quinimmò imbecilliori, delicatioriq; homini, maximeq; ocioso, ut nimium replens, & incocta eadem remanens, morbosus uictus, non simpliciter diæta, fuerit. Simpliciter autem in humana specie, Tenuis uictus, Græcè λεπτὴ δίαιτα, carnes minimè recipit, uel oua, uel aliquod demùm ex iis, quæ copiosum corpori alimentum præbent. Neque enim sufficiens hic est pro roborandis uiribus. Idcircò dicitur [uires comminuens] quatenùs scilicet non sufficienter roborat, (uti Galenus *x* edocuit) Huiusmodi autem uictus à Galeno ptisana dicitur, uidelicet ad sanos comparando, longosq; morbos. Ptisana enim crassus, plenus'ue, aut mediocris, in quibusdam acutioribus extiterit. Victus autem exquisitus, siue exquisitè tenuis, Græcè, ἀκριβῶς λεπτὴ δίαιτα, iuxta Galeni *y* dogmata, cremor ptisanæ est, uel ptisana etiam, in pauca tamen omninò quantitate, deglutita. Dicitur autem hic tenuior, ut qui magis uirium robur diminuat. Magis uerò idipsum facit uictus tenuissimus, Græce λεπτοτάτη δίαιτα, ut est melicraton, & aqua ex saccaro, seu cum iulebo, aut malorum granatorum succus, & cætera id genus. Hic uerò non secus ac tenuis, & exquisitè tenuis, quinimmò magis, quàm illi uires comminuit, uidelicet quatenus non sufficienter

m. 6. epi. de. com. 4. te. 21.
t. ibidẽ &
u. 3. fen. 1. doc. 2. cap. 7. post prin. et uide 13. 3. et 1. cap. 36. circa prin.

Victus tenuis.

x. 1. de ratione uic. acut. 17.

Victus exquisitus.

y. 1. aphor. com. 4.

Victus tenuissimus

Victus tenuissimus in extremo.

ficienter corroborat, ut qui parum nutriat. Victus denique tenuissimus in extremo, Græcè, λεπτοτάτη ἐσχάτως δίαιτα, omnimoda inedia est, quæ uires imbecilles reddit, tametsi ex accidenti, non per se, uelut aliæ omnes euacuationes, faciunt. Quemadmodum ex Galeni z etiam dogmate didicimus. Penultimus autem uictus, atque ultimus scilicet Tenuissimus, & Tenuissimus in extremo, sub uictu tenui in extremo, tanquam sub genere continentur, si Galeni monumenta sectamur. a Victus enim tenuis in extremo ab eo defini tur, qui per solam inediam, uel melicratum fit. Est autem melicratum uictus tenuissimus: inedia uerò est uictus tenuissimus in extremo. Non ergo idem dictu est, uictus tenuis in extremo, & uictus tenuissimus in extremo: sed differunt ueluti genus, & species. Sex igitur iam dictæ uictus, diætæ'ue species à Galeno in cõmento quarti aphorismi libri primi declarantur. Ex Hippocratis uerò in secunda aphorismi parte, uerbis, septima uictus species elici potest, quæ dici adhùc poterit à quopiam [uictus plenus in extremo] Quanquam hic propriè, atque exquisitiùs loquendo, nec diæta, neque uictus ratio nuncupanda uenit. Cùm omni ex parte, siue in sanis, siue in ægris reprobandus sit. Quapropter Diuinus Hippocrates non uocat diætam sicut alios, sed duntaxat repletiones, Græcè, πληρώσιες. Dixerat enim [& rursus qui ad extremum deuenit tenuitatis (scilicet uictus) grauis est.] subdit tamen posteà secundum alium loquendi modum, dicens [Nam & repletiones. &c.] Non ergo ait [Nam qui ad extremum deuenit repletionis]. Itaque repletio, quæ in extremo grauis est, nec ad uictus rationem siue diætam reducenda propriè est. Ex prædictis autem sex diætæ speciebus, Hippocrates in libro de prisca medicina b, quinq; ad tres reduxit. uidelicet Quæ manduntur (ut est uictus plenus, & symmetros) Quæ sorbentur, ut est uictus tenuis, & tenuior, siue exquisitè tenuis. & quæ potantur, ut est uictus tenuissimus. Quibus si integram inediam pro quarto adiunxeris, quæ est uictus tenuissimus in extremo: statim omnes iam præscriptas sex diætæ species habuimus. Quos quidem tres uictus Hippocrates, unà cum prima diætandi origine, sic perbellè declarat, dicens [Qui medicinam excogitarunt, inuenerunt'ue, sententiam, opinionem'ue habuerunt, quam illi de quibus priùs dixeramus. Primùm quidem arbitror ex eorundem ciborum copia, quid subtraxerunt, & pro multis pauca fecerunt, ac dederunt. Cumq; hoc illis satis non uideretur. Non enim languentibus hæc æquo modo proderant. sed erant nonnulli, qui sic haberent, uti ne exiguos qui-

z. 3. de ratione uic. acut. com. 17. & uide 2. aphor. com. 17. 4. 2. & 7. 59. quando inedia ex accidenti euacuat.

Victus tenuis in extremo.

a. uide 1. aphor. com. 4.

Victus plenus in extremo.

b. post principia.

Quæ comedũtur.

„ dem cibos ſuperare poſſent. Nos itaq; putarunt imbecillioris cuiuſ-
„ dam rei egere. Proptèrea ſorbitiones inuenerunt, paululum quid firmioris, & robuſtioris materiæ multa aqua commiſcentes, quod inerat ualidum, miſtione, & coctura ſubtrahebant, minuebantq;.
„ Quicunque uerò nec ſorbitiones poterant ſuperare, eos ad pocula deducebant. [Hæcque uſu, & copia obſeruando, quod modicè, ac æquo quodammodo haberet, nec pluſquam oporteret, nec minus, nec meracius nec dilutius, nec ſerius propinabant, &c.] Philotheus autem *c* ad ſeptem uictus ſpecies (omiſſa interim immodica repletione) reduxit. Quanquam bimembrem propoſuit diſtinctionem.
„ Sic enim ait [Sciendum eſt autem duas eſſe in ratione uictus generales differentias. Quarum una conſiſtit in tenui. Alia in copioſo.
„ Tenuis autem uictus triplex eſt. Hic enim eſt in extremo tenuiſsimus. vt eſt abſoluta inedia. Alter tenuiſsimus, ut eſt melicraton.
„ Tertius tenuis, ut ptiſanæ ſuccus. Copioſus autem, uel eſt, ut tota ptiſana, uel copioſior, ut piſces, & oua, uel copioſiſsimus ut caro.
„ Eſt autem medius horum, ut panis lotus, uel placenta.] Septem igitur apud Philotheum ſunt. uidelicet Tenuiſsimus in extremo, Tenuiſsimus, Tenuis, Medius, copioſus, Copioſior, & copioſiſsimus. Ex his omnibus iam liquere arbitror, quid per tenuem, & quid per groſſum uictum intelligendum ſit: prætereà quid ſibi uelit [attenuare] puta à pleniori, ad tenuius procedere, quidq; etiam [ingroſſare] quod eſt à tenuiſsimo, uel tenuiori ad craſsius, plenius'ue migrare. Atq; hæc pro ſecundo articulo ſatis, ſuperq; dicta iam ſint.

Quæ ſorbentur. *Quæ bibuntur.* *c. aphor. 1. com. 10.*

Propter tertium uerò aduertendum eſt ex Galeni *d* quoq; monumentis, Morbum duplicem eſſe. Aut enim Brachichronius eſt q. d. breuitemporeus, Aut polychronius q.d. multitemporeus, ſiue (ut aliqui interpretantur) Longus, uel chronius q. d. temporalis, ſeu temporeus, ſiue (ut interpres uertit) diuturnus. Sic igitur uoluit Galenus *e*, quòd Brachichronius opponitur chronio, ſiue polychronio. Et ecõtrà Polychronius, ſiue chronius Brachichronio, ſiue oligochronio q. d. paucitemporeo. Non autem (ut aliqui opinantur) Acutus chronio, diuturno'ue opponitur. Eſt enim acutus ipſius Brachichronij ſpecies. non æquale oppoſitum ipſius polichronij, ſeu chronij. Omnis enim acutus eſt Brachychronius, at non econtrà. Nam aliquis datur Brachychronius, qui acutus non eſt, ut v. g. febris diaria, ſi tertiana ſimplex, multiq; ſunt huiuſmodi morbi breues, qui tamen, ut quia omni prorsùs periculo uacant, febreq; continua: Idcircò acuti dici non queunt. Sed ne tardus quidem Græcè, βραδὺς, æquatum acuti

Articul. 3. *d. 3. de dieb. decre. cap. ultimo cum 2. eiuſdem 12.* *morbus duplex.* *e. 2. de dieb. decret. ult.*

acuti oppositum est. Quanuis enim omnis longus, diuturnus'ue tardus sit: Haud tamen contrà ualet, quod scilicet omnis tardus sit longus. Nam tardus aliquis morbus est o ut v. g. tertiana intermittens, quæ tamen longus diuturnus'ue morbus non est. Præter acutum uerò, & tardum aliquis est, qui neque acutus est, neque tardus, quanquam breuis, & pauci temporeus, siue breuitemporeus est. ut ephemera febris. Non temerè igitur Galenus ait *f* quòd Acuto alia morbi natura opposita est, quæ nullum proprium nomen sortita est. Hæc uerò in eo, quod est periculo uacare, contingit, siue tarditas, siue celeritas adiuncta sit. Ad bimembrem igitur diuisionem ita reducemus. Quoniam morbus omnis uel breuis est (siue breuitemporeus, seu Brachychronius) uel longus (seu Polychronius, aut chronius, quod est diuturnus). Est autem breuis qui intra quatraginta dies iudicatur. Longus uerò qui quatraginta excedit. Rursusq; morbus breuis subdistinguetur. Quoniam uel est periculosus (& hic acutus dicitur) uel periculi expers (atque hic acutus non est.) Subdiuiditur autem hic, qui acutus non est. Nam uel est celer, ut ephemera: uel tardus, ut tertiana, & quotidiana, quę infra quatragesimum intermittentes iudicantur. Longus uerò omnis tardus est. Sed non omnis tardus econtrà longus est, ut ex prædictis patet. Etenim tardus morbus est tertiana, sed non propterea longus, siue multitemporeus, ut qui ne ad quatragesimum quidem peruenit. Quomodo autem tertiana etiã exquisita, quæ septem, aut paucioribus quoque periodis iudicatur, tardus morbus dicatur, sic enucleabitur. Nam qui intermittens est, eò quod quiescit per aliquod intermedium tempus, tardare dicitur. Vnde Galenus *g* aliquando ait [Quod in continuis una dies potest, hoc in intermittentibus una accesio.] Alibiq; *h* rursus. [ut per febres continuas numeramus omnes deinceps dies in prognosticatio-tionem futuræ iudicationis: Ita per intermittentes numeramus accessiones. ut quod in continuis septima dies ualet, id, in intermittentibus, septima circuitio possit &c.] Continua igitur febris accelerat; intermittens uerò retardat. Acceleratio autem in continuis fit, ob periculum, tantoq; magis accelerat Natura contra morbum, uel hic contra Naturam, quantò maius periculum imminet. Duo enim hæc in acutorum quiditate continentur: uidelicet periculum, ac celer motus. ex primo autem nascitur secundum. Quocirca quò maius imminet periculum, eò maior celeritas succedit. Quamobrem ideò celerrimus motus exactè peracuti morbi est, quia periculosissimus ille est. Tertiana igitur intermittens, præsertim, quæ exquisita est,

f. 3. de dieb. decret. cap. ult.

Quid sibi uult, Tardus.

g. 4. aphor. com. 59. circa mediũ.
h. 3. prognost. com. 7. post prin.

est, quoniam quiescit per horas interdum quatraginta. quinimò interdum plus, tardissima, omniq; periculo uacans est. Dicitur autem tardus eius motus, ueluti continuæ febris, celer: quanquam si exquisitiùs loqui uelimus, huius motus frequens dici deberet, illius uerò rarus. Consueuerunt tamen ueteres nostri acutam, continuam'ue febrem, celerem: intermittentem uerò tardam nominare, considerando uniuersalem totius morbi motum: non particulares cuiuslibet accessionis, consequentias. Atque idipsum exemplo sic elucidabimus. u. g. duo sint qui Neapoli simul recedant: quorum alter Puteolos uersùs, alter uerò Bononiam iturus sit. Hic igitur in sex diebus currens, Bononiam accedat noctu, atque interdiù semper continuò deambulans. quod iter plus tercentum milliariis interest. Alter uerò Puteolos quatuor diebus appulerit, quod spatium octo dumtaxat milliaria distat. Quatuor tamen dies interposuerit: quoniam expeditis milliariis duobus, in quodam rure per totum diem, ac noctem amicis congratulans, conquieuit: secundo autem rursùs die duobus aliis milliaribus deambulans, etiam si currere pro illo spacio uideretur, in alio tamen loco, per totum diem, noctemq; sequentem obdormiuit. Sicq; iterum tertio, & quarto die seruarit. Non ne hic à domino suo, uel amicis, tanquam tardissimus increpabitur: ille autem tanquam celerrimus commendabitur? Quanuis enim fortassè eadem passuum celeritate ambo incesserint, ob interpositas tamen longissimas quietes, hic tardus, ille uerò celerrimus iudicatus est. Non secùs igitur de intermittentibus tertianis, quotidianis, aut quartanis dicendum est. Cùm in unica periodo expleant, quod promptius, celeriusq;, ac expeditius in uno die perficere potuerant. Quamobrem si duo morbi sint, ambo in quatragesimo die terminati: Alter tamen horum continua febre sibi coniuncta processerit: Alter uerò intermittente, hic (iuxta Galeni *i* dogmata) tardus: Ille uerò celer morbus nũcupabitur. Quod enim hic poterat expedire in uiginti diebus aut fortè paucioribus, ob interpositas tamen quietes segniter ad quatragesimum protelauit. Idcircò tardus dicitur, quanquam breuis nõ minùs altero sit, ut qui quatragesimum, illius quoque instar, minimè excesserit. Ex præmissis ergo liquet, non ualere consequentiam. Quòd si tardus sit: ergo longus. Tarda enim tertiana est, haud tamen longa. sicq; de alijs multis quatragesimum diem non excedentibus intelligendum est. Omnis autem longus (uti Galenus rectè ait) *k* necessariò tardus est, ut qui non adeo uehementer moueatur, uti acutus, quatragesimumq; excedit. Acuto autem tardus oppositus

Pulchrũ exemplũ de tardo.

i. 2. de diebus decre. cap. 12. & 3. eiusdem ult.

K. 3. de diebus decret. cap. ult.

est, sed non æquale tamen, ac sufficiens oppositum, quin aliquod intermedium contingat. Etenim diaria febris continuo iam motu ab initio ad finem usque procedens tarda non est: Haudquaquam tamen ob id, acuta est, utpotè omnis prorsùs periculi expers existens. Propterea dicebat Galenus, quod acuto alia morbi Natura opposita est, nullum proprium nomen sortita, quoniam scilicet neque temporis aliqua diuturnitas est, quæ propriè opponitur acuto, sed periculorum immunitas. Quòd autem spacium quatraginta dierum Brachrychronium, & oligochronium sit, hoc est, breuis, exiguiq; temporis: ex Galeni Dogmate necessariò colligitur. Etenim omnem acutum morbum, esse Brachychronion, seu oligochronion inquit. Ergo acutus, qui in quatragesimo die terminatur, breuis, exiguiq; temporis esse dicendus est. His igitur præostensis, ita ex Galeno morborum diuisiones adaptabimus. uidelicet Omnis morbus, uel est breuis, exigui'ue temporis, Græcè, βραχυχρόνιος, & ὀλιγοχρόνιος, uel est longus (seu multi temporis, aut diuturnus Græcè πολυχρόνιος, & χρόνιος) longus est, qui quatragesimum diem excedit, omnisq; huiusmodi à Galeno tardus dicitur. Quanuis enim acutos ex decidentia, non solùm quatragesimum diem, sed aliquando etiam sexagesimum assequi dixerit. *l* Determinauit tamen, quando quatragesimum excedunt, ex acutis diuturnos factos esse. Propterea & anteà, enarratis iam omnibus acutorum speciebus, sic denique subdit. *m* [Iam alii manifestè diuturni sunt] de aliis intelligo cunctis, qui ultra præscriptos iam iam à se morbos acutos ad quatragesimum usque diem extensos, sigillatimq; enarratos, sunt. Sed nos ad diuisionem reuertamur. Morbi uel sunt breues, uel longi. Qui sunt breues rursùs distinguuntur: quia uel sunt acuti, uel tardi; uel neque acuti, neque tardi. Sunt autem hi ultimi, ut febris diaria. Tardi autem breues, erunt, ut intermittens tertiana.

l. 2. de diebus decret. cap. 12. in med. & in fi.

m. post princ. capitis.

Acutorũ diuisio.

Acuti autem sunt multiplices adhuc. Sunt enim quinque, uidelicet exactè peracuti, Non exactè peracuti; exactè acuti, Non exactè acuti; Acuti ex decidentia seu conuersiui. Sunt uerò peracuti exactè, seu exquisitè, quos Barbari perperacutos uocant, quicunque in primis quatuor diebus, aut paulò ulteriùs scilicet in quinto iudicantur. Rarò enim in quarto, plurimùm uerò in tertio uel quinto iudicium (Galeno teste) *n* fit. Nam huiusmodi morbi primam statim accessionem uehementissimam habent, & reliquas illis proportionales, per diem tertium. Didicimus autem quòd in uehementioribus accessionibus iudicia fiunt, & quòd morbi, qui in diebus pari-

Morbi exactè peracuti.

Notandũ.

n. 4. aphor. com. 36. uersus medium, et 3. de crisi cap. 4. circa med.

bus

bus accesſiones habent, tardant: qui uerò imparibus, citiùs iudicantur. Propterea cùm fiat per tertium, & imparem diem maior ſæuitas, uel anticipat, ob uehementiam, ſicq; in tertio, uel quia non ita magnus eſt, & poſt ponit: Sicq; in quinto die iudicium fiet. Rariſsimè igitur in quarto iudicium fit. Quamobrem Archigenes in toto tempore uitæ ſuæ bis tantùm in quarta die iudicium obſeruauit. Galenus uerò ad eam uſque horam, quæ hæc ſcribebat, ſemel tantum ſe obſeruaſſe teſtatur. *o* Peracutus ergo, ſiue exactè peracutus morbus eſt, qui diem quintum non excedit, ſed uel in quinto, uel tertio, uel etiam quarto iudicatur. fortaſsiſq; etiam in prima die. Vltimus enim maiorq; eius terminus eſt dies quintus, quem excedere huiuſmodi morbus nequit, quin uel ad ſalutem, uel ad mortem perducatur, uel in peius, aut in melius permutetur. Pro quorum, atque aliorum quoque ſequentium intellectu, Nota, Quod non quilibet morbus, qui ante quintum uel in quinto terminatur, perperacutus eſt: niſi qui cum maximo periculo. Sed neque hic neceſſariò perperacutus, niſi ille, qui uſque adeò imminens periculum habet, ut impoſsibile ſit ultra quintum prolongari, quin aliquam recipiat mutationem. Nec enim quia perperacutus morbus eſt, ideò non poteſt ultra quintum ſimpliciter prolongari. Sed intelligendum eſt, quòd ſua cum maxima acutie, non poteſt ultra quintum protrahi. Cum hoc tamen ſtat, quòd ubi ſummum illud acumen pertranſiuit, quia ſcilicet ad declinationem peruenit, illa declinatio per multos poſtea dies extendatur. Quemadmodum ſæpè nos uidimus peſsimam anginam, ubi ob copioſiſsimam ſanguinis eductionem, remiſſa eius maxima acuties fuit, retractumq; tam imminens periculum, multis tamen poſtea diebus, cum aliquantulo reſidui perduraſſe: Neceſſarium ergo eſt, quòd cum maximo ſit periculo, cum quo aptum nullo pacto ſit, ultra quintum perdurare, abſque aliquo iudicio, mutationeq; uel ad mortem, uel ad ſalutem, uel ad melius, uel ad peius, adeò ut ſæpè interficiat deinceps in ſexta. Sic quoque de non exactè peracuto intelligendum, ut qui nullo pacto ſeptimum pertranſire diem queat, quin aliquam effatu dignam ex prædictis quatuor mutationibus receperit. Adeò ut extendi poſteà poſsit ad nonum, uel etiam undecimum. Mori autem poſsit in illis, uel magis in octauo, aut decimo. Vltimus uerò mutationis terminus, ob ſuã acutiem, uehementiamq;, & periculum, ſeptimus dies eſt. Quod ſi ante ſeptimam ille iudicetur. ut u.g. in quinto, aut tertio, non propterea morbus perperacutus eſt, niſi per ſe, propriaq; ex Natura, in tantum

o 3. de criſi. cap. 4. poſt med.

Notandũ.

Non exactè peracutus.

fæuus ſit, ut quintum pertranſire abſque iudicatione, nequeat.

Exactè acutus.

Exactè autem acutus eadem ratione quartumdecimum diem non excedit, ſua cum acutie, quin aliquam ex prædictis mutationem receperit. poteſt tamen infra hunc terminum finiri. ſed non proptereà peracutus, uel perperacutus, dicendus eſt, ut qui horum ſæuitatem non habeat. Solet autem ille ultra quartumdecimum protrahi, ſed tamen mutatione facta, non cum acutie ſua. Cum hac enim ultra quartumdecimum diem prolongari nequit, quemadmodum perbellè Galenus enarrat *p*. Acutus uerò non exquiſitè, neque abſolutè eſt ille, qui ad uigeſimum, ob minorem ſæuitatem, eadem ratione, producitur. Demum inter acutos, mitior eſt, qui ad quadrageſimum uſque extenditur, duplex adhuc exiſtens (Galeno docente *q*) uel enim ab initio ſtatim lentus, ac uelut prohibitus, nullam intereà ſubitam mutationem molitus, ad quatrageſimum, cum aliquo nihilominùs periculo, continuaq; febre producitur. uel acutus erat abſolutè, qui tamen intra diem quartumdecimum, uel in ipſo quartodecimo imperfectè iudicatus eſt, uel non abſolutè acutus, qui infra diem uigeſimum, uel in ipſo etiam uigeſimo (confracta huius, uel illius uehementia) permutatus eſt, ſicque deinceps paulatim ad quatrageſimũ uſq;, ut reſolueretur, peruenit. Propterea dicitur acutus ex decidentia, ſiue delapſu, Græcè, ἐκ μεταπτώσεως. A recentioribus quidem dicitur tropicus q.d. conuerſiuus, quoniam ex acuto abſolutè, uel nõ abſolutè mutatio, conuerſioque facta ſit. Hippocrates autem his nominibus hunc morbum minimè uocauit, ſed cum his uerbis circumſcripſit *r* ſcilicet [Morbus qui in quatraginta diebus terminatur]. Poſteriores uerò, præſertimq; Galenus, cum acutum ex decidentia, ſeu prolapſu nominarunt. Non temerè autem Hippocrati nomen id, ἐκ μεταπτώσεως, non placuit. Nam cùm duplex hic morbus ſit: Alteri tantum congruit, quod ex acuto delapſus fuerit. Alter enim ab initio ſtatim ueluti prohibitus, atque lentus fuit, Idcircò deſcribere potiùs eum uoluit, uti dictum eſt [Acuti qui in quatraginta diebus iudicantur]. Poſterioribus uerò placuit ſic nominare, ea fortaſsè motis ratione, quoniam ea ſpecies, quæ à principio ſtatim lenta fuit, quodammodo prolapſa, decidens'ue dici poteſt ab acutorum Natura. Quanuis enim ſemper eodem modo progreſſa ſit, cùm tamen in ea ſæuitate non ſit, ita euidenter periculoſa, prolapſa ab extremitate nuncupari poteſt. Sed de nomine quæſtio hæc eſt. Nos autem Galenum inſecuti, ex decidentia acutos hos ambos nominabimus, qui ad quatrageſimum uſque producuntur. Quòd ſi ad ſexageſimum

p. 2. aphor. 23. & 2. de diebus decr. cap. 13. circa medium.

Non exactè acutus.

Acutus ex decidẽtia duplex.

q. 2. de diebus decret. cap. 12. post prin.

r. 1. prognost. tex. 24.

gesimum quoque, uel octogesimum pertranseant, non ampliùs acuti sunt, extra quatragesimum extensi: uerùm ex acutis diuturni, chronii'ue iam redditi, ex Galeno ſ dicendi sunt. Atq; hæc de tertio articulo satis superq; dicta sint. *ſ.2. de diebus decret. cap. 12. circa med.*

Propter quartum uerò noscendum est, circa uictum ipsum, cibationem'ue, ac potum (de quibus nunc sub uictus nomine intelligimus) plures fieri posse considerationes, præcipuè tamen à nobis intendi de forma diætandi. Deinceps uerò de quantitate, qualitate, uicibus, seu numero, & hora siue tempore particulari offerendæ cibationis. Est autem uictus forma præcipuè quatruplex, v. g. solidus cibus, masticabilisq; prima, secunda autem sorbitio, tertia potus: quartaq; demùm omnimoda abstinentia. Cùm uerò solidus cibus subdiuidatur (ueluti prædictum est) in plenum, & symmetrum, sorbitio quoque in grossam & tenuem: ut in ptisanam, & cremorem; quæ est uictus tenuis, & exquisitè tenuis. Ideò sexcuplex ægrotantiũ uictus forma statuatur uidelicet uictus plenus, uictus symmetros, uictus tenuis, uictus tenuior, seu exquisitè tenuis, uictus tenuissimus, & uictus tenuissimus in extremo. Quotiès igitur ab initio ad finem eodem uictu utimur v. g. semper cibis masticabilibus, aut semper sorbitionibus, aut semper potibus, uel semper omnimoda inedia: eãdem uictus formam seruasse dicemur. Ac quotiès nunc sorbitionibus, nunc uerò cibis, interdum prorsùs abstinemus, aliquando solo potu contenti sumus, non eandem uictus formam seruabimus: sed ex alia in aliam pertransiisse dicemus. Sæpenumerò autem ob scoporum magis, minus'ue urgentium necessitatem, sic ex una in alteram permutare cogimur. ueruntamen ingrossando sic procedere possumus, atque etiam subtiliando, ut v. g. a principio ad finem ingrossando procedemus: siquidem à tenuissimo in extremo uictu exorsi, ad potum: Inde uerò ad sorbitiones, ac tandem ad solidos cibos peruenerimus. Quòd si econtrà exequuti fuerimus, subtiliando procedimus. Secundum diuersas igitur uictuum formas, ita subtiliando, uel ingrossando prosequimur. Secundum uerò eandem uictus formam, quantitate ad auctam, uel diminutam, ingrossare, uel subtiliare, pronuntiamus. Adeò ut sæpe seruata eadem uictus forma, quantitatem tamen minuamus, augeamus'ue, sicq; subtiliemus, ingrossemus'ue. Nostræ autem quæstionis intentio est: An scilicet ingrossando, uel subtiliando procedendum sit, tàm seruata eadem uictus forma, quàm ea ex alia in aliam commutata. quanquam & ea commutari interim temerè, ac repentè non debet, sed quatuor corporis conditionibus obseruatis à

Articulus 4.

Notandũ. Victus forma quæ. *ant. 2. præfectio capitis.*

Quæstionis titulus declaratur.

Galeno

t. 2.reg.acut. com. 44. circa prin.
u. ubi supra et com. 36.37.& 54.

Galeno t, Quarum prima sanorum est. secunda morbosorum ab initio ad uigorem usque.tertia ex hoc uigore ad solutionem usque perfectam ipsius morbi. Quartaq; demum cõualescentium ad sanitatem usque. Nisi enim corporis conditio mutetur (inquit Galenus) u mutari uictus forma præfinita non debet, quanquam uel ingrossando, uel subtiliando, procedendum fore decretum sit. Id quod ita intelligimus, uidelicet mutandam non esse uictus formam, stante eadem corporis conditione, scilicet quantum ad hanc attinet, præcipueq; in morbis acutis. Ob alium namq; scopum, puta uirtutis ex inopinato quopiam symptomate succumbentis, præcipueque ex aliqua immodica euacuatione, permutanda nonnunquam uictus forma est, & ex alia in aliam (prout oportet) tranferenda. Quod uerò perpetim seruandum ubiq;, idipsum est, uidelicet repentè mutandam non esse, ac saltu (ut ita dixerim) ut v. g. ab omnimoda abstinentia ad solidum cibum, nec econtrà: sed gradatim, ordine quo propositæ sex uictuum

infra cap.

formæ sunt. Idcircò (uti uidebimus) ex potu ad cibos pertransire uolens Hippocrates aliquando, non repentè ad illos peruenit, sed priùs sorbitionibus usus est, deinceps uerò ad cibos pertransiuit. ex integra quoq; inedia ad potus, uel sorbitiones priùs tenues, deinde autem crassas, non ad solidos cibos uniuersim, subitoque permutandum, recensuit. præcipueq; in morbis acutis. Sed hactenus propter quartum articulum.

Articulus 5. Moribus duplex, materialis & immaterialis. Determinatio sententiæ de morbis immaterialibus ex scopis n. XVI. conclu. 1. Forma, & quantitas uictus.

Propter quinctum uerò, sciendum, duplicem esse morbum, quidam enim materialis est, uidelicet aliquem humorem pro causa habens: Quidam uerò immaterialis. Quemadmodum Hectica febris, aut diaria, & omnis demum siue simplex, siue composita intemperies, siue fixa, permanensq;, ac in habitu sit, siue (ut philosophi dicunt) in dispositione, ac facilè remouibilis. In morbis ergo immaterialibus, difficultas esse nulla potest. Nam uictus forma, cibique quantitas, grossities'ue, aut subtilitas à concoctricis uirtutis robore, aut imbecillitate, præcipuè sumitur, corporisq; necessitate. Adeò ut si corpus inanitum sit, uelut in morbis contingit, qui ex inanitione originem habent, quia maior necessitas urget, sic ubi multus calor, ac siccitas, liquefacientes, exterminantesq; corporis substantiam insunt; Plus cibi offerendum, uirtute quidem imbecilli, pluribus tamen uicibus partium. Ea uerò robusta (de alteratrice loquor) in una etiam uice, multum: Sed plus quidem, aut minus, pro maiori, aut minori necessitate, ac uirium robore. Id quod necessariò medici præsentis iudicio remittendum. Considerantis intereà symptomatum

tum naturam. ut v. gratia si aliquod symptoma sit, cuius ratione, materiæ concursum, ac per hoc phlegmonem uereamur. Quemadmodum si uel ex intemperie, uel continui solutione dolor urgeat: parciùs tunc, quantum ad hoc attinet, cibandum. præterea, & reliqua omnia coindicantia perpendentis, ut anni tempus, cœli statum, regionem, consuetudinem, uictum præcedentem, uitæ industriam, impetum exuperantium morborum, habitum, sexum, & ætatem, ac deniq; ipsum naturale temperamentum, sedesq; affectas, & proprias ipsorum ægrotantium conditiones. Pro quorum (ut uidebimus) uarietate, uaria quoque alimenti mensura permittenda est. Ipse autem morbus immaterialis, quantum ex se est, non maiorem in principio, quam in uigore quantitatem, nec econtrà præbendam indicat, cùm Natura nullius humoris concoctioni uacet, adeò ut non debeamus ipsam à suo opere diuertere uel impedire: sed modò crassius, modò tenuius, plus, aut minus offerimus, iuxta necessitatem, uirtutisque concoctricis robur, ac symptomatum, & reliquorum coindicantium (ueluti præscriptum iam est) diuersitatem. Nec secus de oblationum numero, atque horis dicendum uenit. Qualitas uerò cibi, siue prima, siue secunda, aut tertia, ex ipsa morbi essentia sumi debet. ut si calida intemperies affligat, frigidus sit cibus, & econtrà, sic si humida, siccus, & econtrà. Itidem si asperitas, cibus sit leniens, si lenitas asper sit, si densitas, adhibeatur qui rarificans, si raritas, cibus condensans sit. Præterea si continui solutio, conglutinans, uniensque. si macilentia, impinguans existat. Quòd si nimius infestat adeps, extenuans sit, ac dissoluens. Atque hæc de quinto articulo.

infra cap. sequenti, & cap. 4.

conclu. 2. Qualitas.

Propter sextum uerò denique, pro exquisitiore determinatione materialis morbi, de quo quidem impresentiarum præcipua nostri sermonis intentio est, sex prælibanda ueniunt. Primum quòd duplex cibationis quantitas perpendenda uenit, uidelicet uniuersalis, & particularis. uniuersalis à Galeno interdum *x* dicitur absolutè [quantitas diætæ, seu ciborum.] Græcè [*κατὰ τὴν δίαιταν ποσὸν*] seu [*τῶν σιτίων ποσὸν*] Particularis uerò [Modus usus] nuncupatur, Græcè [*τρόπος τῆς χρήσεως*] interdum autem uniuersalis uocatur [Totius diætæ forma] Græcè [*τὸ τῆς δίαιτης εἶδος.*] Particularis uerò [Particulares, siue secundum partem factæ, oblationes] nominantur, Græcè [*αἱ κατὰ μέρος προσφοραί*] Vnde recentioribus illam uniuersalem, hanc uerò particularem diætam, ac cibandi quantitatem nuncupare libuit. Est autem uniuersalis diæta, seu totius diætæ forma, quæ à morbi principio ad calcem usque obseruatur, siue plena, crassa'ue, siue commen-

Articulus 6.

Quantitas.

Not. 1.

x. ut 1. aphorismorum. 17. 18. & 19. & uide etiam com. 16.

y. ut 1. aphorismorum. com. 11.

Diæta uniuersalis Quid?

surata

ſurata, ac ſymmetra; ſiue tenuis; aut tenuior; aut tenuiſsima, uel demùm tenuiſsima in extremo ſit. ut uerbi gratia ſiue carnibus, & uino, atque ouis, & huiuſmodi ualidis nutrimentis, at iis ad ſacietatem utatur; ſiue modicum de his ſumat: uel ptiſana tantùm: uel eius cremore: aut ſolo potu, uel omnimoda tandem inedia uſus ſit. Aut una; aut pluribus uicibus. Siue ſemper æqualiter, ſiue mutando. Atque hoc, ſiue ingroſſando, ſiue ſubtiliando. Siue uiciſsim, nunc uno, nunc alio cibo utamur. Quouis tandem modo adhibeatur, tota cibatio, quæ à principio ad calcem uſque ſeruatur, nniuerſalis diæta nuncupatur. Particularis uerò dumtaxat hæc uel illa cibatio eſt, quæ in una quauis cibatione fit. Propter primam quidem, uniuerſalia morborum tempora perpendimus. Propter ſecundam uerò, & particularium paroxiſmorum tempora, & modum quoque uſus in partitione, artificioq; præparationis, atque ordine conſideramus: In ambabus uerò tàm ſcilicet uniuerſali, quàm particulari cibatione, qualitatem perpendimus, non ſolùm (ut ſic dixerim) accidentalem: ut calorem, frigus, humiditatem, ſiccitatem, duritiem, mollitiem, denſitatem, raritatem, ariditatem, ſeu ſoliditatem, & lubricitatem ſeu liquiditatem, groſsitiem, & ſubtilitatem, grauitatem, & leuitatem, aſperitatem, & lenitatem: Ac demùm colores, ſapores, & odores; ſed qualitatem quoque ſubſtantialem, quæ in nutritionis copia conſiſtit. Vnde Princeps z cibum plurimæ nutritionis, aut paucæ, uocat cibum multæ, aut paucæ qualitatis. Craſſum ergo uictum dicemus, non ſolùm quia multus quantitate, ſeu multiplicatis uicibus ad hibitus ſit, craſſaq; mole: ſed etiam, ac magis, quia multi nutrimenti exiſtat. Contraq;, tenuem uocabimus eum, qui paucifsimi nutrimenti præcipuè ſit, magis quam ſi in quantitate paucus, moleq; tenuis, raroq; etiam exhibeatur.

particularis. — Qualitas. — Qualitas ſubſtantialis. — z. 4. primi cap. 1.

Sed quoniam de uniuerſali quidem cibatione, ſeu diæta loqui, noſtrum propoſitum eſt, Idcirco de uniuerſalibus quoque temporibus non nihil ſecundo loco prælibandum eſt. Sunt enim uniuerſali a totius morbi tempora quatuor (ſiquidem ſalubris morbus eſt, mortalis enim morbi tria, ut ad ſummum, ſunt. cùm apud declinationem uniuerſalem nullus moriatur (Galeno docente) a æger: nonnunquam uero duo, principium, & augumentum: Nonnunquam uero principium tantùm, cum in omnibus his mori contingat) ſalubris inquam morbi tempora uniuerſalia quatuor ſunt, principium, incrementum, uigor, & declinatio. Quæ rurſus trifariam perpendenda ueniunt (id quod maximè ad præſens propoſitum conducit) uidelicet uel penès morbi eſſentiam, uel materiam, ſiue cauſam; uel denique ſym-

Not. 2. Vniuerſalia morborũ tempora 4. — a. 3. de criſi cap. 5. & 9. — Vniuerſalia tempora tripliciter.

ptomata. Quæ sigillatim propriis definitionibus sic elucidantur. Nam principium quoad materiam, causam'ue, illud uniuersum temporis interuallum est, in quo (uti Galenus *b* edocuit) materia cruda est, nec ullum manifestum coctionis signum apparet. Manifestum inquàm. Etenim quanuis in fine principii huius aliquod minimum coctionis indicium appareat: obscurum tamen, & non nisi oculatissimo medico reuelatum illud est, latitudinem igitur principij non excedit. Quamobrem sępissimè Galenus ait, *c* Manifestum coctionis indicium ipsum morbi principium terminare, ac incrementum inchoare. Qua de causa, Augumentum est totum illud temporis spacium, in quo manifesta coctionis signa inceperunt, perseuerant, increscuntq; manifestè, donec ad complementi proximum deuenerint. Adeò ut triuialibus medicis, completam esse coctionem appareat: quanquam reuera nondùm completa est, si ab oculatissimo medico disquireres. Idcircò uigor, status'ue morbi est illud totum temporis interstitium, quo indicia perfectæ coctionis propalantur, manifestèq; non ampliùs augeri uidetur. perficitur tamen, perseueratq; concoctio ad ultimum usque terminum, segregaturq; à iuuatiuo id, quod nocuum, concoctumq; tamen est: ac demùm expellitur, crisisq; fit. Tria enim hæc Natura in uigore exequitur (ut ex Galeno didicimus) uidelicet coctionis complementum, segregationem, ac (si potest) etiam expulsionem, uel extra corpus, uel saltem ad ignobiliores, uilioresq; partes. Quemadmodùm ergo in principio quædam coctio fit: Ita & in statu. Sed utrobiq; quadantenus occulta. Magis tamen in principio occulta est. Declinatio uerò tandem est uniuersum illud tempus, ubi materia per partem, post partem euacuatur, uel à principalibus ad ignobiliora membra deducitur: nulla indigens adhuc concoctione. Quatuor ergo tempora penès materiam, causam'ue sic in febribus ipsis materialibus definiuntur. Nec secùs in ulceribus, lippitudinibusq;, ac distillationibus Galenus *e* definiuit. atque in ipsis etiam (si rectè perpendamus) absolutis phlegmonis, latinè dictis inflammationibus. Quoad morbi uerò essentiam, sic describuntur. principium est totum tempus, in quo morbus generatur, ac fit, uix apertè increscens. Quùm autem increscit manifestè, totum illud spatium temporis, in quo augeri uidetur, incrementum dicitur. Consistente autem incremento, ac non amplius euidenter increscente, uigoris tempus illud dicitur, ac status. At quoties inclinat, remittiturq; morbus, donec prorsus abolescat, Declinatio totum id tempus nuncupatur. Quemadmodum u.

Quoad materiā tempora quatuor. Princi-pium.

b. lib. de totius morbi temporibus cap. 3. & 1. de Crisi cap. 8. 10. & 17. sed præcipuè cap. 18. 19. & 20.

c. ubi sup.

Aug.

Vigor.

d. 1. aphor. com. 22 & 4. 22. & 23. & 3. de dieb. decret. cap. 8.

Declinatio.

e. lib. de totius morbi temporibus cap. 3.

Quoad essentiam tempora quatuor. Princ.

Aug.

Vigor.

Declin.

Exemplũ in Febribus. Princ. Aug. Vigor. Declin. Exemplũ in tumorib. Prin. Aug. Vigor. Declin. Quoad symptomata tempora. f. 4. 1. meth. cap. 8. & lib. de const. art. med. cap. 15. Nota. g. 2. aphor. 29. 30. & 2. de ratione uic. acut. com. ultimo post prin.

g. febris cùm generatur, atque accessiones suas in eodem ferè statu perseuerantes habet, nec euidenter auctas, etiam si plures sint. principium hoc totum temporis interuallum dicitur. ubi uerò euidenter increscit febris, accessionesq; anticipant, intensisq;, ac uehementioribus cum symptomatibus, & longius una perdurant: proculdubiò morbi incrementum nominatur. At cùm in eodem supremo gradu permanet feruor, firmaturq;, nec anticipat, nec apertè uel intenditur, uel prolongatur: Tunc omnino uigorem adesse decernendum est. Cùm denique remittitur febris, postponuntq; accessiones, breuioresq; fiunt, cui dubium est febris declinationem aduenisse? Ita etiam de reliquis omnibus morborum speciebus determinandum. Vt v. g. Tumor dum fluente materia eius generatio fit, in principio est. Donec scilicet euidens incrementum non aduenerit. Manifestè autem fluxa iam materia, increscens, in augumento est. Qui tamen in ultimo firmatus, consistensq; in statu est, seu uigore. At ubi diminuitur tumor, inclinatio iam est. Præintellectis autem huiusmodi temporum, penès morbi essentiam, definitionibus, quamprimum, & aliorum definitiones liquent, uidelicet temporum, quæ penes symptomata perpenduntur. Etenim & hæc morbum ipsum, uelut umbra corpus, insequuntur. De his præcipuè loquor, quæ quidem propria, & familiaria symptomata, nec non parthognomica Galenus *f* appellat, per se morbo coniuncta. Quanquam si alia quoque perpendamus, uidelicet egregia, insignia'ue symptomata, hoc est actionum læsiones, atque etiam crisima symptomata, quæque naturæ pugnam aduersus materiam insequuntur, aduersusq; ipsam insimul Naturam, huius materiei resistentiam, ac putrefactionem: Hæc etiam adacto morbo, augentur, minutaq;, minuuntur, uel insimul permanent, atque consistunt. Haud enim uerum est quod aliqui reputarunt, salubrem scilicet morbum in uigore leuiorem, remissiorem'ue esse, quàm in principio, symptomata autem fortiora. Quanquam facilior, mitiorq;, ac suauior est, ob materiæ coctionem, ut Galeni *g* sententia exquisitè perpensa, uerbaq; ipsius adamussim trutinata præseferunt. Intensior enim febris est in uigore, quantumuis salubris sit, quàm in augumento, uel principio. Quia tamen materiam coctam iam, benignamq; habet pro causa, Naturæq; obedientẽ, ac omninò subiectam: Idcircò mitior, ac melior, suauiorq; febrisq; illa dicitur in uigore. Quemadmodùm uerò intensior, ualidiorq; febris est: Ita & symptomata omnia. Quæ tamen hæc non modò intensiora, ualidioraq;, sed etiam sæuiora, maligniioraq; ipso

in uigore sunt. Propterea tam de morbo, quàm de symptomate meminit Hippocrates in aphorismo, dicens [Dum pus conficitur, augetur dolor, & febris.] Symptomata enim per dolorem intelligo, per febrem uerò morbum ipsum. Quod si febrem hic non morbi, sed symptomatis rationem habere ipsius apostematis relatione, contenderis: primò certiorem te redditum esse uolumus, febrem ubique per se morbum esse, ut quæ semper, & ubique primò, ac per se functionibus obsit. quanquàm symptomatis rationem quodãmodo nonnunquam subit, uidelicet comparatione alterius morbi, quem ueluti causam insequitur. Secundò tumorem apostema'ue ipsum maius esse in uigore, quàm in incremento, atque in hoc rursus maius, quàm in principio decernimus. (De principio inquam, augumento & uigore, prout de his nunc loquimur, quoad morbi essentiam, ac symptomata) mitius tamen, ac suauius, & à periculo semotius in uigore: quoties materia iam cocta est, & Naturæ obediẽs reddita. Sic igitur trifariam dicta uniuersalia morborum tempora unanimi omnium consensu, definita iam sunt, uidelicet quoad morbi essentiam, quoad symptomata, & quoad causam.

h.2.aphor. 47. Obiectio. Ratio. 1. 3

Notandum uerò adhuc tertiò quòd tot modis etiam particularia accessionum tempora definiri queunt. Nec alia quidem ratione, quoad morbi essentiam, ac symptomata. Quoad causam uerò, si quidem in principio uniuersali sumus, concoctio adesse in particulari uigore nequit. Itidemq; nec in particulari principio cruditas: siquidem in uniuersali uigore accessio fiat. Idcircò non penès cruditatẽ, aut coctionem, sed penès materiæ motum quendam, Naturæq; dominium, aut subiectionem ad ipsam materiam, particularia tempora definientur. Vt scilicet principium sit hora tempus'ue, in quo materia, humorue quodammodo à Natura mouetur, uel à principali aliquo membro ad ignobiliora, uel à parte ad aliam partem, uel à toto ad partem, uel à parte ad totum, uel à centro ad circumferentiam, uel à magnis uenis ad paruas, uel à paruis uenis extra uenas. cum aliqua putredinis occulta, & nondùm manifestata origine. Augumentum uerò, ubi materia hæc manifestè iam, deserto Naturæ regimine, putrescit, expanditurq;, ac uapores per uniuersum corpus trasmittit. Cumq; ad ultimum deuenerit putredo, uaporesq; per totum expansi iam sint, uigor est. A quo facta iam à Natura per sudorem, uel aliam quanuis manifestam uiam, euacuatione, aut saltem per insensibilem halitum facta digestione, resolutione'ue, declinatio sequitur; quæ tunc incipit, quando euacuatio, resolutioq; hu-

Not. 3. Particularia morborum tẽpora tripliciter. Prin. Aug. Status. Declin.

moris, ac uaporum incepit.

Not.4. Sciendum uerò iterum quarto, quoniam præter hæc tria tùm uniuersalia, tùm particularia morborum tempora: & quoad materiam dupliciter (scilicet primo quoad coctionem, cruditatem'ue, ac secundo quoad materiæ motum) & quoad essentiam, & demum quoad symptomata. quarta deinceps quædam temporum consideratio, ac definitio inueniri potest. uidelicet quoad innati caloris motum, quanquàm sub temporibus quoad materiam quodammodo (ut patet) includebatur. Est autem principium, secundùm hanc relationem, tempus, in quo Naturalis calor submersus est, & quasi à materia suffocatus, præsertimq; in principio particulari accessionum (quanuis enim ultimus hic respectus, tàm in uniuersalibus, quam in particularibus temporibus habendus sit: longè tamen euidentior in particularibus conspicitur) Quamobrem pulsus ipse paruus fit, ac ueluti suffocatus. Augumentum uerò, ubi natiuus calor iam expandi, ac reuelari, & quasi à carceribus liberari, & materiei dominari incipit, sicq; paulatim, gradatimq; expanditur. Cùm uerò liber ferè est, ac dominus materiei euasit, uigor est. Quo tandem discutiente, aut pellente humores, uaporesq;, inclinatio sequitur. In qua ob receptam uictoriam, calor ad pedes, refrigerato iam thorace (Hippocratis dogmate) *i* descendit, ac prorsus dominus morbi factus est, sensimque ac succesiuè depatatur.

Tempora quoad motum caloris. Prin. Aug. Vigor. Declin. *i. 1. de ratione uic. acut. te. 46 & 4. 39.*

Not.5. Quintò autem perpendendum uenit, quoniam ex iis temporum quadruplicibus definitionibus, Arabum princeps *k* duas una expressè coniunxit, in definitionibus uniuersalium temporum febris scilicet eam, quæ ex materiæ, causæ'ue coctione, aut cruditate, atq; eam, quæ ex innati caloris motu sumitur, sic dicens. [Et principium quidem est hora, in qua calor naturalis præfocatur à materia summergente ipsum in membro, tamdiù, donec non appareat digestionis, aut diuersitatis eius contrariæ digestioni uestigium. Et augumentum quidem est hora, in qua commouetur caliditas innata ad resistēdū materiei, motu manifesto. Et apparent signa digestionis, aut signa contraria digestioni. Et status est hora in qua uehemens est pugna inter Naturam, & materiam, & apparet uictoria unius ambarum earum super aliam, & est hora pugnæ. & declinatio quidē est hora, in qua calor innatus iam dominatur materię, & uicit eam, & existit in congregationis eius superatione scilicet rei post rem, & tunc alleuiatur caliditas intrinseca, & expellitur ad extremitates, donec resoluitur.] Hæ sunt uniuersalium temporum definitiones. In particularium uerò descri-

k. 1. 4. tex. 2. cap. 3. Prin. Aug. Status. Declin.

descriptionibus, & morbi essentiam, & symptomata (si rectè perpen deris) contemplatur *l*. Vnde ex iis aliis duobus, Morbis inquam, & symptomatibus, particularium temporum definitiones sumptas esse concludendum. Obiicere autem quispiam poterit, quoniam de finit princeps uniuersalia tempora penès signa coctionis, aut disposi tionis contrariæ ipsi actioni (quam coctionem interpres eius digestionem uocat). Nos autem solá coctionem in nostris definitionibus considerauimus. Cur ergo contrariam coctioni dispositionem sub si lentio præteriuimus? Cui quidem obiectioni sic illicò respondebimus. Quoniam propter diætam à nobis obseruandam, huiusmodi temporum definitiones uestigantur. Hanc autem (Galeno admonen te *m*) in morbis dumtaxat salubribus (ubi coctionis, & non contrariæ dispositionis signa requiruntur) obseruandam fore præcipimus. Deploratos enim curare non oportet, ne nostro ascribatur errori, præsidiaque alioqui conferentia infamentur. Sufficit autem futura prædicere, atque omninò ab eis fugere, ut Hippocratis, atq; eiusdem Galeni dogma fuit.

l.1.4.tex. 2. cap.4. post med.

Obiectio

Responsio.

m.1.aphor. com. 8. & 2.29.& 1. prognost. com. 4. in prin. et xi. meth. cap. 9. uersus fin. 12. eius dem cap. 3 in med. li de const. a tis med cap. 16. cir ca med. & alibi sæpè.

Quibus omnibus exquisitè, atque adamussim perpensis, Notandum sextò, circa uniuersalia quadrifariam dicta tempora, est. Nam in quibusdam morbis, omnia simul coincidunt: In quibusdam uerò distinguuntur. Quæ omnia sic elucidantur. etenim materia, quæ ma terialium morborum (de quibus hic loquimur) causa est, uel in totius corporis uenis dispersa est; ut in febribus absolutis, morbisque nuncupatis, contingit. uel ad unum aceruatur locum, phlegmonem, aut quemuis alium tumorem producens, uel aliquod tandem aposte ma. Atque hæc secunda, quæ in unico dumtaxat loco aggregatur, bifariam contingere solet. uel enim tota est insimul unita, donec perfectè concoquatur, ad unam crisim expellenda: ut sæpè in apostema tibus diuersarum partium contingit, quæ nihil eructant extra corpus donec perfectè suppurata sint. Tuncq; ruptione facta, solutio sequitur. uel non reseruatur materia ad unam crisim expellenda, sed paula tim euacuatur, quemadmodum & paulatim concoquitur. Adeo ut quamprimùm coctionis exordia extiterint, una humor, materia'ue ipsa, quæ iam fluxerat, diminui inceperit. Ad cuius diminutionem, expurgationemq;, symptomata quoq; minuantur. Coincidunt igitur quadrifariam dicta tempora in febribus ipsis morbis, ut potè materiam ad unam creticam expulsionem reseruantibus: dùm cruda enim materia est, leuis quoq; morbus est, & symptomata imbecilliora. Ni si admodum multa sit, uel nimium crassa, cruda'ue, aut maligna.

Not. 6.

Nota.

præ-

præſertim quæ ſtatim ab initio ad principes partes uaporibus recurrit. In hac enim circa principia, quantum ad materiam ſpectat, morbus, ac ſymptomata peruenire ad ſummum conſueuere. Qua nihilo minùs deindè comminuta, inciſa, uel attenuata, ac per hoc quadante nùs benigniore iam reddita, roboratiſque interim principibus membris, non mitior modò, ſed minor quoq; , remiſsiorq; febris, ſuis cum ſymptomatibus,euadit. Quamobrem hoc in caſu minimè coincidunt. In communi uerò, nec adeò magna cruditate (ueluti prætactum iam eſt) coincidunt. Etenim dum adhùc cruda materia eſt,ac per hoc in principio (quoad materiam ſpectat) exiſtens morbus, leuior ille eſt,ſymptomataq; imbecilliora. Cum uerò incipit coctio apparere: tunc febris augetur, ac ſymptomata intenduntur. Deinde cum maximè coctio fit, tunc maximè dolor,ac reliqua ſymptomata, & febres, omneſque adiuncti morbi infeſtant, iuxta illud Hippocra-
n.2.aphor. 47. tis *n* [Dum pus conficitur, augentur dolor,& febris, magis,quam confecto.] Tandem ſicut minuitur materia, ſic morbus, & ſymptomata in declinatione ſunt. Quamobrem & idem Hippocrates ait
o.2. aphor. 30. *o* [circa principia & fines omnia imbecilliora: in ſtatu autem fortiora.] Quartum uerò temporum modum, uidelicet circa caloris innati motum, ſub temporibus quoad materiam intelligimus. Coincidunt quoque omnia prædicta tempora in febribus quibuſdam accidentibus nuncupatis.uidelicet quando nil ex phlegmone,ſiue abſceſſu, ad perfectam uſque coctionem, ruptionem'ue extrà educitur. Adeò ut totam materiam ad unam criſim, uacuationemque reſeruent. In hiſce igitur quadrifariam dicta tempora coincidunt, quod eſt principia principiis: Incrementa incrementis: uigores uigoribus: ac denique declinationes declinationibus, unà conueniunt. Diſtinguuntur uerò ab inuicem ſæpenumerò in præſcriptis febribus malignis, ubi uel multa, uel nimiùm cruda,craſſa'ue materia ſit,uel principalia uaporibus graſſans. In quibus omnibus, cum principijs quoad materiæ cruditatem, atque inſiti caloris motum, incrementa, & uigores, quoad morbos, & ſymptomata, coincidere ſolent. Quamobrem non congruunt ad inuicem tempora,ſed diſtant.Ita etiam contingit in pleuritide, ac peripneumonia, ſalubribus, aliiſq; huiuſmodi thoracis affectibus: in quibus materia non reſeruatur ad unam criſim. At paulatim educitur, ſicuti paulatim coquitur. ut etiam in
p.3.reg.acut.com.ultimo. phlegmone contingit (Galeno *p* docente)quæ uulneribus extrinſecarum partium adnectitur. Quamobrem ubi in principio quoad materiam fuerit: tunc maior febris, maiorq; dolor, ac reliqua ſymptoma

ta


ta maiora sunt. Quùm uerò iam expuere nō nihil ceperit æger (quod est in fine principij) iam dolor diminui incipit, ac reliqua etiam symptomata comminuuntur: præsertim uerò si concoctio apparuerit, tantoq; magis, quanto coctio magis augetur. Ita etiam (uti prædictum iam est) in uulneratarum partium phlegmone accidit, quo magis, magisq; concoquitur, eijciturq; à uulnere pus. Quasobres ubi quoad materiam, augumentum extiterit, tunc statim declinatio incipit, quæ ad morbum, symptomataq; refertur. Minuunturque hæc ambo magis, magisque quò maior coctio, & expurgatio fiat. Incrementum ergo uigor, & inclinatio, quoad materiam, calorisq; innati motum, coincidunt unà cum declinatione quæ ad morbum, symptomataq; refertur. Haud enim aliud dicere uoluit Galenus in principio ultimi commenti libri tertii de ratione uic. in morbis acutis, quùm de morbi uigore loquens, ait [Qui interdum cum ipsa coctione existit: uelut in morbis thoracis, pulmonisq;] sic ergo intelligendum, quod morbi uigor interdùm existit cum coctione .i. cum coctionis principijs q. d. quando incipit coctio apparere, tunc morbi status, seu uigor est, qua de re nec amplius augetur. Quam quidem sententiam ipse statim ostendit subdens [coctis quidem, qui affectum progignunt humoribus, confestim excreabunt. Quòd si qualia oportet solum expuere cæperint, in neutro adhùc modorum, neque in affectu, neque in symptomatis augebitur morbus]. Verba autem [qualia oportet] coctionis habent notas, ut in primo libro dixerat *d.* E` quibus quidem uerbis patet, ubi expuere concocta cæperint ægri, non amplius augeri morbum: ergo in statu, seu uigore esse. Incipiunt autem cocta expuere in principio augumenti (prout ex Galeno *q* in sermone de Anaxione didicimus.) Quod autem declinatio statim, & morbi, & symptomatum sequatur, ubi expuere (etiam cruda) cæperint, in eodem Anaxione liquet, etenim die undecimo expuere cæpit, neque adhuc coctum: quod sputum debilis, occultæq; coctionis indicium, principium tamen minimè excludens erat. Cùm uerò expuere in undecimo cæperit Anaxion, febres minores factæ sunt. In decimoseptimo autem die, cæpit quædam pauca concocta expuere. ubi manifesta concoctio existens incrementum præsefert. Quo die leuatus est scilicet febre, ac symptomatibus. Non solum ergo solent in his affectibus in augumento quoad materiæ coctionem existentibus, morbus, ac symptomata declinare: sed in ipso etiam (ut patet) principii fine. undecimo enim die febres minores factæ sunt, ac per hoc etiam symptomata febrem insequentia, quinimmo & ipse etiam dolor.

d. com. 23.

q. 1. de crisi. cap. 10. in principio, et libro de totius morbi temporibus cap. 3.

dolor. Omnia uerò sæuiora, intensioraq; erant ante undecimum, atque ad summum uigorem iam increuerant. quanquam in principio adhùc quoad materiam existebat. Memoriæ autem huiusmodi distinctionem indelebiliter mandes, ut quæ maximam in uictus ratione diuersitatem efficit. Veluti posteà uidebimus.

CAPVT TERTIVM, In quo scopi omnes ostenduntur, pro quantitate, & qualitate uictus necessariò perpendendi.



His omnibus prælibatis, atque in memoriam sæpè sæpius reuocatis, ad salubrium, materialiumq; morborum uniuersalium diætam conuersi concludamus, diuersimodè cibandos esse homines, qui huiusmodi morbis afficiuntur, uidelicet perpensa imprimis diuersa morborum causa, humore'ue, aut (si mauis dicere) materia: dein uerò diuersa morbi essentia: & demùm diuersis quoq; symptomatibus. Præter quæ deinceps, & alia quamplurima, ita hic, sicut in morbis quoque immaterialibus concurrunt, uidelicet anni tempus, cæli status, seu mauis dicere, aeris nos ambientis præsens conditio, Regio seu locus, consuetudo, Victus præcedens, uitæ industria, Impetus quoque exuperantium morborum, Atque etiam ætas, habitus, & sexus. Hæc inquam perpendenda sunt. Nequaquam intereà omisso temperamento Naturali, propriisq; conditionibus, atque sede affecta. Ex altero autem latere, tanquam omnium ad cibationem requisito scopo, uirium robore, primo uitalium, secundo naturalium, ac tertio denique animalium. Quarum uirium, præcipueq; uitalium, gratià nutrimus (ut perbellè Galenus r edocuit). Nec solùm perpenso uirium robore, sed earum quoque occupatione, ut v. g. quotiès ad aliquod opus exequendum intentæ sunt. Hæc enim generatim, ac perpetuò libranda sunt. præter quæ, alia rursùs particulariùs quidem disquirenda, & præ oculis habenda ueniunt, de quibus infra s. quanquam Hippocrates in aphorismis à duobus tantùm, ut breuiloquus existens indicationes pro totius diætæ forma, sumpsit, uidelicet à morbi constitutione, ac uiribus ægrotantis. ut breuiloquus inquam hæc duo duntaxat principaliora tetigit, omnia tamen præscripta, & quæ declaranda restant, perpendenda ueniunt. Quæ quidem, si exquisitiùs adhuc perpenderis, omnia uel ad morbi constitutionem, uel

r. 1. aphor. com. 4. cum 7. meth. cap. ult.

s. cap. sequenti.

uirium robur præsens, aut futurum præsagienda reducuntur.

Verum enim uerò operæpretium fore duximus sigillatim cuncta hæc prius elucidare, quàm ad ultimum rei decretum perueniamus. Imprimis ergo ad materiei humoris'ue, seu mauis dicere causæ contemplationem deueniamus. Et primo ipsius Naturam, substantiam ue cõsideremus. Etenim uel grossus, terrestrisq;, ut melãcholicus, uel nimiùm crudus, ac uiscosus humor est, ut pituitosus, uel tenuis, ut quùm biliosus humor, uel mediocris, ut quùm sanguis superabundat. Quilibet autem horum, aut multus, aut paucus existit. Quantum igitur ad hoc attinet, ubi melancholicus, pituitosusq; humor in caussa est; non tenui modò, sed attenuante etiam incidente'ue, nec non calfaciente uictu indigemus. ubi autem bilis peccat, crassiore possumus cibo uti, ac potiùs incrassante, nec non frigefaciente. ubi uerò sanguis superabundat, tenuiùs diætandum uenit. Præterea ubi crudus humor est, tenuior diæta: ubi uerò coctus, grossior congruit. Sic ubi multa materia est, uictus tenuis: ubi uerò pauca, crassior uictus (quantum ad hoc attinet) iungendus est. Ad quam materiæ copiam, & ipsius in aliquam partem defluxus, aceruatioq; reducitur. ubi enim in aliquam partem defluunt humores, tenuis congruit uictus, eoq; tenuior, quò maior fluoris impetus sit. uerum nihilominùs est, quòd ubi Natura coctioni uacat, tenuis uictus iniungendus, eoque tenuior, quò magis ad coctionem intenta est. ut in ultimi, ex præpositis, scopi enarratione demonstrabimus.

Quoad materiam. scopus primus. Humoris subst. Quantitas. Quoad substantiam. Qualitas. Humoris coctio, seu cruditas. Quoad quantitatem.

Morborum autem formæ, seu differentiæ, aut modi tres (Hippo-
1 crate *t* docente) sunt: Ex quorum consideratione, offerendus cibus est. Quidam enim morbus est statim continuus ab initio florens, uigensque, ac uehementissimè infestans, deinceps uerò paulatim, paulatimq; ad iudicium usque remittitur, minuiturq;, donec prorsùs e-
2 uanescat. Quidam uerò econtrà leniter, ac submissim incipiens, pedetentim in dies increscit, exacerbaturque ad iudicium usq;, in quo abundè elucet. q. d. maximè floret, uigetq;. Contrarius est autem secundus hic modus (uti Galenus rectè ait) primo. Nam primus ab initio ualidissimus, minuendo ad finem usque procedit: Hic uerò
3 ab initio leuissimus, augendo, ad terminum usque protenditur. Tertius uerò denique modus est, (ut idem Galenus ait) ex ambobus cõstitutus, ac si adiunctus esset primus in fine secundi. Etenim leuiter incipiens, mox deinde paulatim increscit, exacerbaturque, donec ad uigorem usque peruenerit, iustamque magnitudinem assecutus sit. Inde autem rursùs, tantò paulatim, magis, magisq; remittitur,

Morbi essentia, scopus 2. Morborũ formæ tres.

t. primi de morb. uulg. com. 3. tex. 10. et 11. et habetur 1. species sub aphor. x. pri. [*Quibus statim morbus consistit*]. *2. uerò & 3. species ibidem* [*Quibus posterius debet cõsistere.*]

minuitur'ue, usquequò penitus discussus sit, quantò priùs paulatim, paulatimq; adaugebatur. Tres igitur non febrium modò continuarum, uel intermittentium: sed omnium deniq; morborum, siue acutorum, siue diuturnorum formæ sunt.

Sympto-mata. Scopus. 3. Symptomatũ formæ. 3.

Quinimò (Galenus addit) symptomata quoque eadem ratione iudicantur. Iamq; dolorem, unum ex symptomatibus, ut exemplum attendamus. Hic maxima sæpè incessit ui, statim circa principia, marcescit autem posteà paulatim, usque dum prorsus discutiatur. contigit uerò idipsum tàm in morbis, quam in symptomatibus, ut in ipsa
1 pleuritide salubri, peripneumoniaq;, atque alijs ferè omnibus thoracis affectibus, & in illis quoque morbis, quorum causa, Materiæ multitudo, uel crassities, summa'ue cruditas, aut malignitas circa principia, præsertimque in principibus membris est, & in his, in quibus materia ad unam criticam expulsionem non reseruatur. In omnibus ergo his, in principio tùm uniuersali, tùm particulari ægrum mori contingit, ni Medicus decenti diæta, congruisq; aliis omnibus præsidiorum generibus præstò sit, (ut ex Galeno *u* colligit. Qua tamen multitudine comminuta, crassitie attenuata, cruditate concocta, malignitateq;, seu acrimonia sedata, symptomata quoque minuuntur. Eoq; magis, quò magis materia ipsa in prædictis conditionibus melior euadet. Interim leuiter auspicatus, ubi paulatim ad uehementis-

u. 3. de cris. cap. 9.

2 simum increuerit, subitam habet decessionem. Quemadmodum in his contingit morbis, qui materiam ad unam crisimam expulsionem reseruant, apostematibusq; ad superationem materiæ in loco aggregatæ, collectæq; deuenientibus. Qua suppuratione facta, & eruptione, solutio statim morbi, crisisque fit, uel fortasse ad mortem te-
3 minatio, si non rectè, ut opus est, reguletur. Interim post absolutum uigorem, quanto tempore increuerit, tanto remittitur, ut quando in medio tempore materia mouetur, quæ ex bonis, ac prauis succis quodammodo mista erat, frigidis'ue & calidis. In his uerò id genus morbis aliquando contingit circa incrementa mori, siquidem Natura superetur. Qua tamen euincente, inclinatio quòad symptomata sequitur. Quòd si non in augmento, sed in ipso uigore ad summum peruenerint symptomata, & crisis imperfecta consequitur, paulatim quoque morbus resoluitur. Itidem si nulla concocto iam morbo crisis succedat. Quòad morbi ergo essentiam, ac symptomata, quò ualidiora hæc ambo sunt, eò tenuius diætandum: Quo autem remissiora, eò crassius cibandum est. Quamobrem in prima forma ingrossando (à principio, in quo tenuiter, ad finem usque, in quo crassiùs)

fiùs) procedimus. In secunda autem econtrà subtiliando. In tertia uerò priùs ad uigorem usque subtiliando: post uigorem ingrossando rursùs, ad finem usque incedendum est. Qualitas *x* uerò semper contraria morbo esse debet, symptomatibusq; ac causæ, atque ex his ei quod magis importat: quanquam cibi qualitas ad contrarium, gra du æquali esse non debet, ueluti neque ubi similis esse his quæ sunt secundum Naturam debet, æqualis gradus quærendus est. Tunc enim non absolutè cibus, sed medicinalis, uel medicina cibalis erit. Sat igitur superque erit, quòd uel ad similem, uel contrariam uergat qualitatem.

Qualitas. x. 1. aphor. 16.

Not.

Verum enimuerò circa symptomata, non parui momenti distinctio quædam pernecessaria est omnibus neruis perpendenda. Nam quædam symptomata sunt cibum efflagitantia, eoq; magis, quò uehementiora sunt, ut uerbi gratia, Animi deliquium ex humorum tenuitate, atque pororum raritate, Itemq; ex uentris fluore immodico, seu sanguinis hæmorrhoidalis, uel menstrui, uel per nares, uel sudoris, aut demùm cuiuslibet alterius euacuationis occasione. siue manifesta sit, siue sensum effugiat. Quemadmodum in ea canini appetitus specie contingit, quæ ex immodica transpiratione, cutisq; exolutione fit, cui cibi exhibendi sunt (ut Aetius *y* inquit) stabiles, & ægrè corruptibiles. Quibus, & quidem copiosis hoc anno, puellam quandam è nobili prosapia descendentem curauimus. Sic & in Bulimo, quem (eodem *z* docente) curat in uniuersum omne quod ualdè nutrit, uitabimusq; (inquit *a*) omninò in his, qui hac affectione sunt apprænhensi, longiorem cibi dilationem, ac inædiam, & ne alter nis tantùm diebus cibum offeramus. uerum solerti ratiocinatione facta, singulis horis simplicissimum, modicumq; cibum dabimus]. Multiplicatus autem cibationum numerus copiosam, crassamq; diætam aggregat, præsertim (uti prædictum est) quia ualdè nutriens cibus esse debet, etiam si modica in qualibet uice quantitas exhibeatur. Præter eà ubi uigiliæ, ob immodicam corporis arefactionem, infestant, cibandum. Sic ubi syntexes, hoc est colliquamenta molestent. Quòd si animi deliquia, ob siccitatem in principiis accessionum aduenerint, cibis ante accessiones adhibitis (Galeni dogmate) succurrimus.

Sympto-mata cibū efflagitantia.

y. lib. 9. cap. 22. circa med.

z. ibidem. cap. 6. post prin.

a. in fine capitis eiusdem.

Quicunque uerò ex humorum redundantia crudorum syncope periclitantur, cauendum est (ut inquit Galenus *c*) ne uel cibum, uel sorbitionem dederis, nisi mulsa tribus primis diebus duntaxat uti &c.] Cuius uerba Paulus transcripsit *d*. Sic in somni nimietate, tussi, do

b. 1. ad Glauco. cap. 14. & x. metho. cap. 3. & 5.

 loribus,

Symptomata cibũ respuẽtia c.12.meth. cap.3.post prin. r. li. 2. cap. 37.

loribus, aliisque multis symptomatibus ex repletione potiùs obortis, abstinendum à cibis est.

Anni tempora, scopus. 4. r. primi aphor. 15. Hyeme. e. pri. aphor. com. 17. post med. f. sang. pri. aphor. cõ. 15. g. pituita pri. de Na. hum. com. 35. Vere. h. pri. aphor. com. 17. uersus finem. i. pri. aphor. com. 17. uersus fin.

Præter hæc autem, & alia concurrentia perpendenda ueniunt, ut in primis est. Anni tempus. Etenim uentres, (ut Hippocrates inquit *r*) hyeme, & uere calidissimi sunt Natura. Quare per ea tempora, alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus est: unde & pluribus egent alimentis.] Necesse igitur est crassius in hyeme (quantum ad temporis rationem attinet) cibare, secundo loco in uere, tertio in autumno, quartoque demùm in æstate: siquidem in sanis loquimur. In ægrotantibus uerò econtrà se habet. Nam quia in hyeme non multa fit euacuatio, Idcirco raro (uti Galenus ait *e*) eos cibare debemus. Quoniam uerò discussio, ob cutis, pororumq; densitatem, non fit, uirtus autem fortis est, ac sanguis *f*, & pituita *g* in corpore abundat: Ideo non tantum raro, sed pauca etiam offerendum uidetur. Vere autem omnium minimè adiiciendum, præsertim in ea parte, quæ fuerit æstati proxima. Nam id tempus periclitatur (Galenus ait *h*) ne proximè accedat ad plethoricam dispositionem, propter humorum, qui hyberno temporis frigore concreuerunt, fusionem. Quemadmodum ergo in plethoricis dispositionibus, si uires ualidæ fuerint, paucum cibum, & ex longo temporis interuallo damus. sic & in uere faciendum, præsertim in febricitantibus.] Quod autem in uere plethorica corporibus insit dispositio, indeq; periculum potiùs ex multitudine, ac superabundantia immineat, habent homines satis ipsa experientia compertum (Galenus idem ait *i*) non in se ipsis tantùm, sed etiam in iumentis. Nam ante æstatis initium, circa ultimam ueris partem, & sibi, & illis sanguinem detrahunt. Quoniam ad memoriam reuocant, quibus capiantur morbis, quando repentè calor æstiuus superuenerit (Adde tu, & multo magis, quùm actu iam ægrotant, febriuntque) Hic enim amplius sanguinem extendit, atque diffundit, & quodammodo efferuere facit. Adeo ut, quod hactenùs modicum fuerat, non posset amplius in uenis contineri, sed uel disrumpat ipsas, uel exedat. Et quando impetum fecerit ad aliquam debiliorem partem corporis, in ipsa uel phlegmonem, uel erysipelas, uel aliquod aliud morbi genus operetur. Nam multò plures, ac grauiores morbi, quibus plenitudo dedit occasionem, ex humorum fiunt fusione.] Quis ergo demens tàm fuerit, qui ægrotantibus in uere crassiorem uictum, ad citiorem strangulationem offerret? Autumno autẽ, quia corruptioni assimilatur, (uti Galenus inquit) *k* mul

Autũno. k. pri. aphor. cõ. 17. post med.

ti

ta indigemus adiectione. Omniumq; maximè in æstate, ut in qua dissoluti homines sunt, & uires habent imbecilles. Hæc de uictus quantitate, indicatione ab anni temporibus sumpta, in tantùm dicta iam sint. Quoad modum uerò usus, uidelicet quibus semel, aut bis, uel pluriès, & quibus plura, an pauciora in qualibet uice, oporteat offerre: sic ex anni temporibus considerabitur. Nam in hyeme pauca, & raro exhibebimus: uere adhuc parcius, atque etiam rariùs: Autumno parùm, ac sæpe: Aestateq; demum parum. sed sæpius, quàm in Autumno. Quòd si nostram determinationem de hyeme, Galeno aduersam esse obiicias, quoniam nos in hyeme parùm & rarò exhibendum præcepimus, Galenus *l* uerò multa quidem, propter uirium robur, sed rarò in ægrotantibus offert. Respondebimus nullam esse inter nos repugnantiam. Etenim Galeni sermo respectiuè intelligendus est. Multa enim danda pro qualibet uice in ipsa hyeme, respectu aliorum temporum. Nam minus in uere, minusq; adhùc in Autumno, quàm in uere, omniumq; minimè in æstate præbendum, iuxta illud, *m* [Aestate & Autumno cibos difficillimè ferunt.] Aestate prius, secundò autem (Galeno docente *n*) autumno [Hyeme facillimè, secundum locum post hyemem uer habet.] Respectu ergo aliorum temporum, in hyeme dici potest multa ea quantitas, quæ unica cibatione danda est. Absolutè autem (ut nos intelligimus) pauca est, quoniam uiribus siue imbecillibus, siue robustis, æqualitateq; humorum, seu plethora, in corpore existentibus (eiusdem Galeni *o* dogmate) parùm, & raro cibus offerendus, magisq; ex iis, si cum Naturæ robore, humores superabundauerint. Hyeme autem robustas esse uires ipsemet in commento decimoseptimo primi aphorismorum declarauit, *p* sanguinem autem abundare in commento decimoquinto: *q* pituitamq; copiosam in hyeme reperiri, primo de natura humana demonstrauit. *r* Nulli ergo dubium esse debet, absolutè loquendo parùm, ac raro, in hyeme ipsis ægrotantibus concedendum. parùm quoque respectu suimet ipsius sani, etiam ratione temporis. Quoniam in sanis (ut idem testatur) sufficienter euacuatio fit, quoniam plurimus est calor innatus, unde & plurimo indiget alimento, quod facillimè ferunt. Quantum uerò ad qualitatem spectat, *t* tempori contraria sit. Aestate enim frigidiores non modò actu, sed etiam potentia, & hora quidem frigidiore. Hyeme autem contrario modo cibi, ac potus exhibendi: tempore autem temperato, hi quoque temperati sint.

Cæli uerò status, seu præsens aeris constitutio, atque etiam Regio,

Aestate. — Modus usus. — Obiectio. — *l. pr. aphor. com. 17.* — Responsio. — *m. pri. aphor. 18.* — *n. ibidem in com.* — *o. in eodem com. 17. ante med.* — *p. post med. com.* — *q. uersus finem. com.* — *r. tex. & com. 35.* — *s. com. 17. post. med. & com. 15.* — Qualitas. — *t. uide 8. metho. cap. ultimo.*

Cœli status, scopus 5. u. li. 3. cap. 4. ante med.

gio, eadem ratione, qua & anni tempora, intelligendæ sunt. Dicebat uerò Celsus *u* [Plerique ex antiquis tardè dabant: sæpe quinto die, sæpè sexto. Et id fortasse uel in Asia, uel in Aegypto cæli ratio patitur:] contrà uerò post aliqua de Africa subdit, dicens [In morbo, qui plus uirium aufert, celeriùs cibus dandus est. Itemq; ex eo cælo, quò magis digerit. Ob quam causam in Africa nullo die æger abstineri rectè uidetur.]

Consuetudo, scopus 7. *x. 2. de temper. cap. 4. uersus med. et uide. 8. meth. cap. ultimo.*

Consuetudo per se notam quoque indicationem præbet, cùm altera hæc Natura sit (uti Galenus *x* ait) acquisititia. Quis ergo nescit plus alimenti offerendum Heluonibus, ac Sardanapalis, quàm sobriis, delicatisq;, ac philosophis? Sic etiam humidos, liquidos'ue, aut solidos, frigidosq;, aut calidos, his uel illis, qui tali uictu uti con sueuerunt, quis permittendum ambigeret? Quis etiam nostra tempestate Germanis non cibis modò, sed potibus quoque multis, ac uariis, sese infarcire consuetis, ita uictum ut his panis in ægritudine, Tyrannorum ritu, attenuaret? Et tantum quidem consuetudini Galenus aliquandò *y* attribuit, ut ipsius indicationem, proprii tempe ramenti, & ætatis indicationibus dignitate præposuerit. Ab his enim (temperamento inquam, & ætate) cum intemperata sunt, con traria indicari ait, non absolutè tamen, sed cum consuetudine, quasi per se nil determinatè indicare ualeant illa, præter consuetudinem.

y. ut 8. meth. cap. 8.

Victus procedés, scop. 8.

Quod si præter consuetudinem, præcedentibus diebus, aut mensibus, immodica usus fuerit abstinentia, seu motibus, aut Venere, seu uigiliis, pluribus'ue euacuationibus, aut exterminantibus animi curis, & sollicitudinibus, uel in aere degerit calfaciente, & exiccante, uel horum pluribus, aut omnibus. Non ne pleniùs (quantum ad hæc attinet) nutriendum? eoq; magis, quò pluribus ex non naturalibus rebus exterminantibus, maximeq; si omnibus usus sit? Contra uerò si præcedentibus diebus, præter consuetudinem, immodicè in conuiuiis uersatus infarctus cibis fuerit, uel ociosus, aut somno deditus, uel incuriosus, uel aere degerit frigido & humido, uel temperato, à Venere quoque abstinuerit, stipticusq; præter modum extiterit, uel horum plurima, uel omnia adfuerint, quem latere potest, hunc tenuiùs, parciusque nutriendum? magisque si pluribus ex iis, maximeque tandem si omnibus usus fuerit? Cùm ex prioribus indigum, ex postremis uerò nauseatiuum corpus resultauit, forteque etiam (quoad qualitatem spectat) primum humectandum, secundum uerò desiccandum uenit.

Qualitas.

Vitę industria, scopus 9.

Quòd si vitæ institutum (siue industriam dicere mauis, aut studiũ,

Græcè

Graecè ἐπιτήδευμα) consideremus, omnibus ijs, qui laboriosam uitam exercuerunt, plus, ac citiùs, eis verò, qui sediles artes, aut literarium studium prosequuntur, minus ac tardiùs alimenti offerendum, quis inficias ibit? cùm prioribus, longè purius corpus, ac per hoc qualitate humectandum: posterioribus uerò impurius, quam ob causam, & exiccandum (quantum ad hæc spectat) omninò existat?

Sed ne floccipendendus quidem est impetus exuperantium morborum, temporisq; conditio. etenim si hac temporis parte, morbi species uagentur illæ, quæ ob copiam premunt, strangulantque, aut cari, uel lethargi, vel comata, seu epilepsiæ soleant superuenire: tenuiùs diætandum, etiam si nil ex ijs adsit, ut ab huiusmodi affectibus præseruemus. veluti contrà, crasſiùs, ubi consueuerint animi deliquia, uel syncopæ, uel marasmi, uel diaphoretici sudores superuenire. Ex hoc enim pestiferæ cuiusdam colicæ Pauli etiam tempore uagantis, curationem quidam medicus in Italia (vti Paulus ait z) uictus quadam ratione infideli, refrigerante, ac maximè temeraria seruauit. Lactucas enim non coctas, refrigeratasque ipsis porrigebat, intybumq; similiter supra facietatem comedendum. Item uuas, mala, pisces dura carne præditos, omniaque crustacea, ostracosa'ue, pedes bubulos, bulbos, & similia, non solùm facultate, sed & tactu frigida. vinum rarò præbebat. Cùm autem dabat, frigida miscebat, ipsamque frigidam, vel etiam poscam frigidã exhibebat. ab omni alio calido, & medico cibo abstinens. Atque plurimos sic præter omnium opinionem persanauit. Imò nonnullos, qui iam in morbum comitialem, vel resolutionem prolapsi erant, propemodum sanitati restituit.] Non modò igitur cibi quantitas, sed qualitas etiam inde electa est. uerisimile autem est, atque omni ratione comprobabile, quod etiam talis uictus, & sanis & ægrotantibus alia quauis ægritudine, adhibitus, à tali colica, suis cum asseclis morbis, symptomatibusque à Paulo relatis, præserua rit. Id quod alia quidem temporis conditione minimè conferret.

Aetatum quoque differentia confert aliquid ad capiendam uictus rationem. Etenim primi senes (ut rectè inquit Hippocrates) a facillimè ieiunium ferunt. Pueruli autem, ac decrepiti contrà, difficillimè. Medio autem modo, qui inter has ætates sunt. [Qui enim crescunt (Hippocrates ait) b plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus absumitur. Senibus uerò parum calidi inest: paucis propterea fomitibus egent: quia à multis extinguuntur.] [Decrepiti autem tale quid patiuntur (Galeno docente) c quale lucernis penè extinctis accidit, quæ continuam exigunt olei suffectionem.

Impetus exuperantium morborum. scopus 10.

z. li. 3. cap. 43. & etiam cap. 18. uersus finem.

Aetas, scopus XI.

a. 1. aphor. 13.

b. 1. aphor. 14.

c. ibidem com. 13. uersus fin.

ctionem. Multam autem,& simul totam nequeunt substinere.] Quam obrem puerulis, & decrepitis parum & sæpè (quantum est ratione ætatis) cibus adhibendus est. Differenter tamen. Nam pueris multa quantitas, in multiplicatis illis uicibus, ac sæpius etiam danda. Decrepitis autem pauca erit tota quantitas, nec adeò frequenter, ut in puerulis iniungenda. Tametsi mulierculæ, Grægarijque medici frequentiùs decrepitos, plurique nutrimento, quàm puerulos refocillare conati, multos ex illis ante fatum ad manes ire strangulatos cogunt. Senibus verò primis parum, ac rarius dandum est. Aetate autem constitutis semicanis'ue, ac crudis senibus, plus, nec adeò raro. Plus uerò adhuc, frequentiusque iuuenibus, maximeque adolescentibus. Sicut autem pueris humidior, liquidior'ue; Ita senibus aridior, sicciorque uictus, pro conseruatione congruit.

Qualitas.

Habitus, scopus 12.

Sed habitum perpendamus. etenim qui habitu sunt carnoso, qui etiam duræ, aut densæ carnis, & cutis, crudis interim, crassisque humoribus difficulter difflabilibus infarcti, illisq; enutriti, facillimè uictus tenuitatem ferent, quòad habitum spectat. econtrà uerò qui graciles, raræque texturæ, aut molles carne sunt, humoresque tenues, ac facilè difflabiles habent, quibus nutriuntur, hi uberius, ac frequentius cibãdi ueniunt (si Galeno *d* præter assidua experimenta confidimus) [Habitum nanque intelligimus (ut idem alias *e* edocuit) in illis maximè partibus, quæ primæ oculis subiiciuntur. Sunt uerò hæ musculi, qui omnia ambiunt ossa, carnes quædam compositæ] Pingues quoque facilius, quàm graciles inediam sufferre, cibi'ue parcimoniam queunt. *f* Hi enim ne in marasmum decidant: Illi uerò ne repentè strangulentur, periclitantur. Vnde Hippocrates inquit *g* [Qui Natura admodum crassi sunt, citius intereunt quàm qui graciles.] In pinguibus ergo crassis'ue est iam, quod morbus demat (ut Celsi uerbis *h* utar). In macilentis autem, extenuatisq;, non est, quod ipsum morbũ ferat.] Qualitas uerò cibi ad conseruandum, similis, ad permutandum uerò, reducendum'ue, contraria sit.

Nec sexus autem negligendus est. etenim fœminas uiris sufferre magis ieiunium, hoc est cibi parcimoniam, uel omnimodam abstinentiam, quis est quem lateat? Cùm experimentis quotidianis compertissimum id habeamus. ultra quod ratione etiam comprobatur. etenim frigida & humida corpora, reliquis omnibus temperamentis, facilius ieiunium ferunt (ut ex communi cunctorum bonorum authorum consensu ostenditur *i*) Nosque paulo post dicemus. Mulieres autem uiris frigidiores esse, atque humidiores, nõ substantiali, sed re

d. primi ratione uict. acu. cõ. 44. post princ. & uide 7. meth. cap. 6. usq; ad 9. oct. eisdẽ 2. et sequentibus præsertim cap. 9. noni eiusdẽ 14. usq; ad finem. decimi eiusdem 3. & sequentib.
e. sec. art. medicæ te. 57. & 60.
f. uide 8. meth. cap. 8. 9. 14. eiusdem cap. 15. & 16.
g. sec. aphor.
h. li. 2. cap. 2.

cremen

crementitia etiam humiditate, usque adeò Hippocraticis, Galenicisque, ac Peripateticis pernotum, compertumq; est, ut à me alias comprobari superuacaneum sit. Quoniam verò scopus hic ad temperamentum reduci uidetur, Idcirco Fæminis proprium contemplemur, videlicet conceptionem. Vtero enim gerentibus, præsertimque in ultimis mensibus, inediam sterilibus, aut masculis parem iniungere, siue quāuis aliam euacuationem præcipere, trucidare potiùs, quàm mederi dicendum est. Quemadmodum ex multis quidem aphorismorum commentis k liquet. In ultimis inquam mensibus, in primis enim ac præcipuè tribus, ob retenti sanguinis menstrui recrementorum, quibus adhùc embrio minimè indigebat, copiam, ad assiduum uomitum excitantur. Quod si nil fortè uel parum euomuerint, abstinentia potius corrigenda illarum cacochymia, quàm ciborum copia malè augenda uenit. Impura enim corpora quanto magis nutris, tanto magis lædis. Idem verò de qualitate hic dicendum, quod in habitus consideratione, præscriptum iam est. Nisi uehemens aliquis, peculiarisque appetitus prægnantibus insit. cui sæpissimè, uelimus, nolimus, intendendum est, etiam si pica sit. Ne abortus (ut sæpè uidimus ob rei, quam summo perè appetit priuationem) consequatur.

Qualitas. Sexus scopus 13.
i. uide concil. andria 117.§.3.
k. ut quinti aphor. com. 30. 31.34.37. 38.41.
Qualitas.

Præter hæc verò decem coindicantia eiusdem ferè inter se se ordinis existentia (Græcè σίσιχα, & συνεδρένοντα. q.d. concurrentia nominata) sunt alia quædam Naturalia consideranda. Quæ numero quatuor fuerint, omnimodam sui conseruationem præseferentia. Et sunt Naturale temperamentum: propriæ ægrotantium conditiones, ac sedes etiam affectæ: præceteris uerò omnibus, ipsarum virium robur.

Imprimis ergo naturale totius temperamentum perpendatur. siquidem enim calidum & siccum l id sit, atque ex toto, præsertim verò parte superiore picrocholum, difficillimè abstinentiam feret. Contrà uerò, facillimè, quod frigidum, & humidum est, atque per totum, maximeque parte superiore pituitosum. Hoc enim in primo gradu facilitatis à Galeno m ponitur. secundo loco quod humidum tantùm est. tertio quod duntaxat frigidum. quartoque deinceps quod frigidum, & siccum. Quintoque demum, quod siccum tantum est. Quanuis enim in longioribus inediis gracilescat magis hoc, quàm quod frigidum & siccum temperamentum est: reficitur tamen facilius, quùm idoneum nactum est uictum. Addemus autem sexto loco calidum & humidum temperamentum. septimo autem quod temperatum, æqualeque est. octauo calidum tantum. Nono denique loco, calidum & siccum, picrocholumque, præsertim parte (ut diximus) superiore. Id enim

Naturale temperamentum scop. 14.
l. uide secundi de ratione uict. acut. 29. & 30. et decimi meth. cap. 3. et 5.
m. oct. meth. cap. 8.

nim sufferre ieiunium nequit. Maximè nanque ab illo offenditur (ueluti è regione, maximè potius iuuatur quod frigidum & humidum, parteque superiore pituitosum est) Vnde in principio etiam accessionum necessariò cibanda ueniunt, quæ tali temperamento scilicet parte superiore picrocholo prædita corpora sunt. Quemadmodum perbellè Galenus n ostendit. Qualitas autem uictus, & si morbo semper contraria esse debet: Nihilominus tamen, indicatione à naturali temperamento sumpta, semper similis, pro eius conseruatione, fit. Pro reductione autem, quadantenus etiam contraria. leuiusculè tamen, at paulatim, ne repentina mutatio morbū adaugeat, uel aliquod nouum affectum aduocet, uiresque prosternat.

n. 8. meth. cap. 2. & 8. & 10. eiusdem ca. 3. & 5.

Qualitas.

Propriæ conditiones scop. 15.

Propriæ autem ægrotantium conditiones sunt, indiuiduæ proprietates. Quæ quidem nec calamo unquam scribi, nec lingua proferri queunt. Nec nisi sola relatione sciri. Nonnulli enim ex rosarum odore syncopizant, ut Illustrissimus Reuerendissimusque Dominus Henricus à Cardona Cardinalis, & Montis Regalis Archiepiscopus, erat. Alij ex odore uini, & multos quotidiè inspeximus. uel inebriatos, uel in syncopen solo uini odore cecidisse. Nonnulli autem contrà, ab incunabulis usque adeò uinum exoptant, ut aquam peius quam rabido cane morsi, pertimeant. ut multas nouimus fœminas nedum uiros. & uix trimulā quandam uidi puellulam diebus elapsis, quæ ob uini desiderium quasi animo delinquebat. Mulieresq; aliquas noui quę omnia domus suppellectilia clam per fenestras fune ligata huic, uel illi dedere, propter uinum. Alii nunquam potuerunt acetum, uel acetosa deglutire, quin usque ad uiscera euomant. Nonnulli uero sic in dulcibus se habent. Nonnulli salsis summoperè gaudent. Alii ea deglutire nequeunt. Multos nouimus qui amaris uoluptuantur, dulcia interim abhorrentes. Alii quoque carnes abhorrent. Alii ptisanam. Alii demum alios, atque alios cibos, usque adeo, ex propria quadam conditione abhorrent. quos tamen alii desiderent, uel econtrà, quos hi summoperè nauseant; illi uehementer optent: ut nulla possint uel reprehensione, aut lege in contrarium assuefieri. Præterea nonnulli sunt, qui nisi parùm & sæpiculè comedant, in animi deliquium perueniunt, aut uehementer fame cruciantur. Nonnulli autem contrà, semel tantum, & copiosum, una die naturali comedunt. nec hi, neque illi aliter assuefieri queunt. Quidam propterea nunquam possunt elixa gustare, nec iura bibere. Quidam uero assatis inimici perpetuo sunt. Multi nunquā potuerunt oleracea masticare. Hæ, & aliæ multæ proprietates in hominibus reperiuntur, quæ nec calamo scribi, neque lingua proferri

queunt,

queunt, tùm in quantitate, tùm in qualitate ciborum, ac potuum, tùm & in ipſo etiam aſſumptionis tempore. Quæ ſola ægrotantium, uel aſtantium relatione, aut obſeruatione ſciri poſſunt, non autem ratione. Omnes tamen cuſtodiendæ ſunt, ne ipſi Naturæ uim inferamus, ægrumq; uel perdamus, uel in peius, aut aliquod effatu dignum malum deportemus. Ad has ergo proprias ægrotantium conditiones cum reducantur, uel maximus alicuius rei appetitus, uel abhorritio: Dixit uero Hippocrates o [Parum deterior cibus, aut potus, delectabilior autem, ſuauiorq; melioribus quidem, ſed minus delectabilibus præferendus eſt] Ideo non aliter obſeruare nos debemus. Quamobrem & in Pleuriticis etiam Galenus ait. p [Quòd ſi æger aquam mulſam, ptiſanamq; faſtidierit: piſces ſaxatiles ſunt maximè idonei, atq. ex non ſaxatilibus aſelli.] Quis autem non admiraretur, in pleuritide audiens piſces potiùs, quàm ptiſanam concedi modo hi opiparè delectent, illa uero faſtidium, nauſeamue excitet? Non ob id ſolùm, ut ægro gratificemur (Galeno docente) ſed etiam quia utilius ipſi exiſtit id quodcunq; cum uoluptate aſſumitur. Nam quæcunq; cum uoluptate aſſumuntur, iſta uentriculus amplexatur, ut nihil uacui remaneat, rugaturq;, & in ſe ipſum collectus, uigoroſior fit, ac faciliùs, perfectiusq; concoquit. ſicuti contra, quæ diſplicent refugit. unde & nauſeæ, & flatus, & fluctuationes ſubſequuntur: Indeq; cruditates, atq; alia quamplurima incommoda. Quinimmo in tantum ualet huiuſmodi uoluptati nonnunquam gratificari, atq; indulgere, ut multos uiderimus à quartana febre, uel notha etiam tertiana, ob piſcium uel braſsicæ, uel porcinæ carnis, uel alterius cuiuis praui cibi æſum cum multa quidem uoluptate, ac deſiderio factum, liberatos. Appetunt enim quæ ſecundum Naturam ſe habent membra, præcipueq; (uti ex Galeno r didicimus) uentriculus, quod ſimile eſt. Quæ uerò præter Naturam diſpoſita ſunt, contrarium. Quamobrem appetitus ille ſic uehemens ſæpe numerò Naturæ neceſſitatem, ac remedij oportunitatem præſefert. uel enim temperati ſunt, aut calidi, & humidi cibi exiſtentes, frigidam, ſiccamq; qualitatem, ac reuerſionis paroxiſmi cauſam exiſtentem diſpoſitionem, in Quartana extinguunt. 1. uel ſuo fumo inebriãtes ſomnumue prouocantes, ac per hoc ſenſum hebetantes, expulſionem humoris è uenis extra uenas in principio acceſsionis faciendam cohibent. 2. quæ non niſi irritata Natura fit. uel fortaſſe ob nimiam deſideratorum ciborum crapulam irritatur Natura ad peccantis quoq; humoris euacuationem. 3. uel id contingit ob acrem, aut ſalſam illorum qualitatem, aut 4.

o.2.aphor. 38.

p. primi reg.acut. com.27.

q. ſecundi aphor. 38. & tertij de pot. Naturalib. cap.4.6.et 11.

Nota.

r. ſecundi artis med. tex.72. & tertij. 20. & 21.

5. quoq; ſubductiuam. uel à nimia fortaſsis eorundem qualitate calida,
naturalem calorem incendente, atq; ad reſiduorum ſuccorum diſſo-
6. lutionem, pororumq; apertionem coadiuuante, morbus ceſſat. Adiun
ctis interim maxima, ob talis cibi copiam, lætitia. profundaq; in ip
7. ſum meditatione, quæ tùm lætitia, tùm profunda imaginatio, uel ſo
læ interdùm ſatis, ſuperq; potes ſunt huiuſmodi morbos terminare,
8. Naturam à ſuo pulſionis opere diuertentes. Atq; etiam addita opti-
ma concoctione, ac eius cibi dominio, mirum in modum (uti prædi
9. ctum eſt) amplectente hunc, ac perficiente ipſo uentriculo. uel deniq. occulta quapiam, ui, & appetentibus familiari, præditus cibus ille eſt: quem Natura ab intelligentia non errante, commota, experrectaq; tantoperè appetit, ut ſalus inde proficiſcatur. Quemadmodùm brutis omnibus datus eſt, ad ſui mali, ueneniq; remedium, proprij cibi, medicamenti'ue appetitus, perinde ac aliàs uberrimè id in quàmplurimis animalibus, oſtendimus.

edes affecta ſco. 6.

Sedes autem affecta non parum confert ad uictus formam determinandam. Tenuius enim in uentriculi phlegmone cibandum, uel alio quouis eiuſdem partis affectu, quàm ſi ſplenem ille idem affectus occuparit, uel (magis) ſi quampiam exteriorē particulam deprehenderit. Quod ſi gutturi aduenerit, non ne tenuiùs adhùc diætandum, quàm ſi uentriculo, uel faucibus, aut gulæ inſit? Itaq; ſedis affectæ munus, ac momentum perpendenda ueniunt. pro quorum diuerſitate, uictus quoq; diuerſificandus eſt. Qualitas autem eligatur in hepatis affectibus, quæ ipſi hepati congrua eſt. uelut ſplenitica (ut ſic dixerim) qualitas, hoc eſt ſpleni congrua, quùm lien ipſe affectus eſt. Quemadmodùm enim Cicorium iocinori: Ita cappares lieni congruunt. Aliaq; huiuſmodi perpendenda ueniunt, quæ ex cibariorum qualitatibus agnoſcuntur.

ualitas.

iriū ro- ur ſcop. 7.

colligitur pti. meth. ap. ulti- o.

primi a- hor. 9.

ompa- tio pri- ia.

tertij de iſi cap. 5. erſus finē.

Virium autem robur illud duntaxat eſſe, cuius gratia nutrimus, præcipueq; (uti Galenus *ſ* ait) uitalium, ac ſecundo Naturalium, tertioq; demùm animalium, uſque adeò compertiſsimum eſt, ut a me declarari, uel probari, ſuperuacaneum, ac ſatis ſuperq; tædioſum ſit. Quam ob cauſam non cibationis quantitas modò, ſed qualitas etiam perpendenda, pro uirium diuerſitate, uenit. ut u. g. cibus cerebro cōgruus ſit, pro animalibus: cordi autem familiaris, pro uitalibus: ac demùm ipſi hepati amicus, pro naturalibus. Coniectari ergo ex Hippocrate *t* oportet, An uirtus ad uſque morbi finem, uel ſaltem uſque ad tempus à medico præfinitum, perdurare queat, an non. Cùm portanti onus aſsimiletur, morbus uerò (uti Galenus *u* edocuit) oneri,

neri, tempus autem, quod usque ad statum extenditur, longitudini uiæ respondeat. Quemadmodum igitur portans onus, nisi fortis sit, uel in medio itinere reficiatur, deficiet: Ita & uirtus Naturalis, uitalisq;, atque inde etiam animalis succumbent, ni uel ex se fortes, robustæque sint, uel quotiescunque deficere appareant, refocillentur. Iuxta tenorem ergo harum uirium, uictus ratio metienda est. Quæ uires etiam non temerè, nec inscitè ab antiquioribus medicis (Hali ab bate referente) expensis, ueluti medicus peregrinanti: Morbus uerò peregrinationi, seu morbi longitudo, ipsius peregrinationis longitudini assimilatur. Quemadmodùm ergo peregrinans expensas æstimat, perpenditq;, ac preparat secundum itineris longitudinem, ut sufficiant, nec inter medium iter, ob defectum expensarum fame pereat, Ita & medicus debet uires secundum morbi longitudinem metiri, atque æstimare, & toto pectore aduertere, ne in augumento, uel statu, priùs, quàm morbus discutiatur, deficiant. Assimilarunt *y* quoque medicum mercatori, patientis autem uires pecuniæ alicuius summæ, qua mercator in suis negotiis usurus sit. Aegritudinis uerò sanationem, ipsi negotiationis, ac mercaturæ lucro compararunt. Oportereque medicum dixerunt tanquam probatum mercatorem esse, qui satis interdùm pecuniæ lucrum facit, si ipsam saltem custodiat, quam primitus acceperit summam. Ita & hunc, si morbum curare nequiuerit, satis lucratum esse decernendum, siquidem quas ab initio susceperit uires, in eodem saltem tenore conseruarit. Decoxit enim qui principalem perdiderit pecuniæ summam. Ita deploratus homo est, cui uirtus iam defecerit [Hæc enim est, quæ curat, non medicus, (uti perbellè Galenus *z* ait) Hæc quoque primaria animalis opifex, iterumq; ægroto sanitatem comparat (prout alibi *a* testatur) Non alia profectò ratione, fætui, alia in præsentia, in lucem ædito alimentum suppeditat.] Quin etiam similiter nunc operatur, alit, digerit, excernit, omniaque (ut semel dicam) in præsentia (ut priùs) eadem ratione ministrat. Medicum autem Naturæ esse ministrum, primariamq; esse Naturæ artem, ac ritè celebre esse dictum illud φύσις ἐξαρκεῖ παντάπασιν.] hoc est. [Natura in omnibus auxiliatur, sufficiens ve est]. Quin etiam Naturam morbos iudicare, Naturas morborum esse medicatrices *b*, à priscis sapientibus abundè tradita. Quid ego iterùm superuacuè repetam?] Quanquam hæc, & plura alia Naturæ miracula ignorauit (Galeno etiam alibi *c* referente) Asclepiades. Ad ipsas ergo Naturæ uires dexter oculus dirigatur: sinister uerò ad morbum. Hi enim duo primi curationis scopi sunt. Ille quidem, qui uirtutis,

Comparatio secunda.

x. tertij pract. cap. x 1. post prin. & 8. eiusdem cap. 35. circa prin.

Comparatio tertia.

y. 8. pract. cap. 35. circa prin.

z. tertij art. med. tex. 29.

a. libro de salubr. ad Trasyb. cap. 26.

b ex libro sexto epid. com. quinto tex. primo.

c. de crisi. cap. 8.

d. 9. meth. cap. 10. & 13.
e libro. 3. cap. 4. ante med.

uirtutis, pro custodia uitæ *d*, hic autem, qui morbi, pro curatione (ut curatio est). Quamobrem Celsi *e* perpulsa sententia scopum hunc sigillemus, sic docentis [Vnum illud est semper, quod ubiq; seruandum est, ut ægri uires subindè assidens medicus inspiciat, & quam diù supererunt, abstinentia pugnet: si imbecillitatem uereri cæperit, cibo subueniat. Id enim eius officium est, ut ægrum neque superuacua materia oneret, neque imbecillitatem fame prodat.] Distinguere autem oportet uirium imbecillitates, unde nam prouenirant. Et quibus cibus congruat: Quibus uerò non. Sed de his iterum infra *f*. Quemadmodum uero in uniuersali cibatione, quanto imbecillior uirtus est, tanto crassior, maiorisq; nutrimenti uictus congruit. Ita in particularibus quibuslibet cibationibus, quantitate quidem parcior, multiplicatisq; uicibus diuisus exhibeatur, ne, dùm succurrere uirium imbecillitati intendimus, eam fortassè magis strangulemus, cum nequeat imbecillior existens uirtus multam simul copiam coquere, nec distribuere.

f. infra ca. sequenti scopo. 10.

Naturæ occupatio. scop. 18.

g. pri. aphor. com. 7. & 8.

h. ut dicitur libro de causis et à Mes. in ten. prima de consol. med. cap. primo in fi.

i. prima quarti. tex. 2. cap. 7. post prin.

Nec satis est, robustas esse uires, aut imbecilles, considerasse: uerum etiam oportet animaduertere ipsarum munus, siue, occupationē. etenim cum occupatæ sunt in materiæ coctione, neque tunc distrahere oportet Naturam ad alteram nouam coctionem (ait *g* Galenus) Quod præcipuè contingit in uigore. cum eo tempore uni humorum noxiorum coctioni fortiter uacet, & haud ita multo post ipsos sit euictura. uirtus enim dispersa imbecillior se ipsa unita, est, ueluti quæ unita fortior se ipsa dispersa existit. *h* Quamobrem non modo ipsius Naturæ distractio fit à suo intento opere, ut humoris febrem facientis coctio impediatur. Sed etiam nuper assumptus cibus coctione priuatus corrumpitur. unde etiam causa augetur, & obstructio. Indeque morbus, & symptomata. Quamobrem perbellè Princeps ait *i* [Et cibatio quidem est amica uirtuti (in febribus putridis) ex parte uiuificationis, & inimica uirtuti, ex parte, quod ipsa est amica inimico eius, & est materia.] Quanuis autem in principio adiuuet utranque scilicet materiam & uirtutem: Adaucta tamen materia deinceps uirtuti læsio inducitur. Quamobrem (ut subdit) indiges in regimine eius, canone. Tantum ergo cibi indulgendum est: quantum pro uita necessarium sit, ad sustinendas scilicet uires ipsas, siquidem fortassis imbecillæ fuerint. Sin uerò sint robustæ, ut absq; cibo, pugnando durare queant. Ad quid medicus Naturæ minister, eiusque adiutor nuncupatus, impedire potius eam, atque inimici, interfectorisque officio fungens, à tanto sanitatis, & quidem celeris,

ac securæ lucro, distrahere tam impiè uellet? Quòd si cibus (quando dandus est) sua qualitate ad coctionem, apertionem, siue digestionem, segregationem'ue, aut expulsionem, & illam (uno uerbo dixerim) Naturæ occupationem adiuuet, Cui dubium est hunc optimum esse? Atque hæc de quantitate, & qualitate uictus dicta, collectaque ex prædictis scopis sunt. Forma uerò in Quinto capite uberius declarabitur, ubi de cibandi, nutriendi'ue tempore ac uicibus, modoque usus loquemur. ,, ,,

Ex his ergo omnibus, intelligi (Cælis k etiam dogmate) potest, ab uno medico multos non posse curari (longa enim indigemus mora, ut ægri necessitatem exquisitè perpendere ualeamus) eumq; (scilicet medicum) si artifex est, idoneum esse, qui non multum ab ægro recedit. Sed qui quæstui seruiunt (hoc est medici, qui ad lucrum potius, quam unius, uel duorum salutem intendunt) Quoniam is (scilicet quæstus) maior ex populo est (q.d. quoniam maius lucrum ex multis, quam ex unius uisione reportant) libenter amplectuntur ea præcepta, quæ sedulitatem non exigunt. ut in hac ipsa re (scilicet in ipsa uictus ratione) Facile enim est dies, uel accessiones numerare, his quoque, qui ægrum raro uident (q.d. generatim, & absq; omni sedulo, uictum ordinare. u.g. ut per tertios dumtaxat dies cibetur. uel à quarto die incipiat cibus dari. Item quia in tertio & quinto infestant accessiones; Ideò abstinendum his diebus esse, facile quidem hæc, & similia dicere) ueruntamen ille assideat, necesse est, qui quod solum opus est, uisurus est. Quando nimis imbecillus futurus sit, nisi cibum acceperit.] q.d. Qui particularius, & unicuiq; opportunum, & condecentem uictum ordinare uolet, ut ægrotanti assiduus sit, necesse est, quò exquisitè uictum appositeq; ordinare possit. cognoscereq; adamussim, quanto tempore, quot'ue diebus aut horis ualeat æger absq; cibatione substineri. Quamobrem summoperè laudandus quoad hoc noster usus est, continuum astantem aliquem medicinæ scholarem practicum ægrotis iniungere, siquidem idoneus, atque accuratus, uigilansq; ille sit, singula medico referens, quo possit inde medicus recte cuncta præcipere. Quemadmodum contra periculosius morbo est, ignauum, ineptumq;, ac somnolentum aliquem astantem in ægrotantis crumenæ potius, quam salutis custodiam, adiungere, ut à multis perperam obseruari uidimus. sed de his hactenus.

k. libro. 3. cap. 4. cir. med.

Coroll.

CAPVT QVARTVM, In quo librorum quattuor de ratione uictus acutorum scopi omnes ad cibationem necessarij, ex Hippocrate, & Galeno, elucidantur.



His uerò tandem exquisitè prælibatis, altius cuncta repetentes, ad antiqui Magistri diuinas sententias conuertamur. ubi non sine ingenti admiratione, quæstionem proponit *l* [Cur in acutis morbis, medici quidam ptisanas non colatas perpetuo exhibeant,& rectè curare se se existiment. Alij omninò contendant, hordeum ut nullum æger uoret, subsequuturam inde, quæ insignis sit, offensam ueriti, sed cremorem linteo colatum porrigant. Alii uerò neque crassam ptisanam, neque cremorem exhibeant? Atque ex his (scilicet ultimis, qui neque ptisanã, neq; eius cremorem exhibendum, sed uel potum tantum, uel nil pœnitus propinandum censent) Quidam quoàd æger ad septimam usque peruenerit diem. Alii perpetuò, donec morbus iudicatus fuerit?] Non sine (inquàm) ingenti admiratione, quæstionem hanc proponit. cùm medici ea, quæ insignes afferunt profectus,& quæ insignes afferunt offensas, quanquàm indies, quinimò qualibet hora sexcentiès, præ manibus habeant. certè nihilominùs, ac determinatè ueritatem cognoscere non ualent. sed ne ptisana quidem tantum, aut cremore, huiusmodi medicorum confusio, ac opinionum diuersitas multa inuenitur: sed in omni ferè ipsorum operatione. Quemadmodùm primùm in aliis quoque, tùm cibis, tùm potibus uidemus. Hic enim crassiù s, ille tenuiùs, hic carnibus,& uino, ille autem sola panatella, uel aqua mellis suum diætare ægrotum, usque adeò pertinaciter contendet: ut alter alterius uictum, tanquam perniciosissimum reprobet, proprium uerò, ut saluberrimum, commendet. Id quod deinceps in curatione uulneratorum in capite quotidiè uidemus, non solùm in huiusmodi uictus ratione, sed etiam in localium applicatione. Hic enim exiccantibus sanandum, humectantibus uerò moriturum. Ille autem contrà, humectantibus, putrefacientibus'ue, incolumem reddendum, siccantibus uerò perdendum, toto pectore defendit. Quisque autem (quod mirabilius est) sua bona experimenta, aliorumque mala propriam roborantia opinionem, hilari fronte, in medium adducit. Quid de uenæ sectione, ex eodem latere, secundum rectitudinem, uel ex altero potiùs facienda concludemus? Cùm tot, tantæq; sibi

l. primo de ratione uict. in morb. acut. tex. 13. Exemplũ primum. Opinio prima. 2 ,, 3 ,, ,, 4 Exemplũ 2. Exemplũ 3. Exemplũ 4.

ſibi inuicem aduerſæ opiniones emerſerint? & unaquęq; pro ſe, contraq; aliàs, experimenta, & rationes penè innumeras offerat? Adeò ut nemo in re, quam præ oculis, ac manibus continuò habet, ueritatem noſcere queat. quanquam hanc inueniſſe quilibet firmiſsimè tenet. Quadere adhùc ſub iudice lis eſt. Quid prætereà de purgatione dicendum circa initia ſtatim, ubi multa materia eſt, uel principalia petens, aut uenenoſa, mali'ue moris? Quas aliqui (niſi quàm citiſsimè minorentur) hominem perdere: Alij uerò prorsùs contrarium, ſi quouis medicamento moueantur, interficere. omitti uerò ad coctionem uſque, ſaluberrimum fore: innumeris non modò rationibus, quotidianis experimentis, propriis inquam bonis, aduerſorum uerò malis, in tantum firmiter, ac pertinaciter defendunt: ut mori potiùs decreuerint, quàm propriam ſententiam commutare? At quis non uehementer admiraretur, in rebus, quæ continuo præ manibus, oculisq; occurrerunt, medicos tam aduerſa experiri? Non ſecus mehercl è, ac ſi rem conſpiceremus per ſe candidiſsimam, quæ tamen mihi rubea, alteri uiridis, alterique fortaſsis alba appareret. Multæq; id genus contradictiones paſsim apud medicos inſurgunt. Eſt autem (vti perbellè Galenus *m* elucidauit) omni admiratione dignum id. Nā ſi apud philoſophos (ita etiam, ſupple tu, aſtrologos, magiſq; theologos) quàm plurimæ difficultates, uariæq; ſententiæ inueniuntur, v.g. An unus, uel plures ſint mundi, an genitus, uel æternus. An extra mundum ſit inane, ac cætera id genus: Mirum non eſt, cum in noſtris experimentis, noſtroque operi ſubiecta non ſint. Quo circa nonnulla quidem iudicare prorsùs nequimus. Alia uerò non ſine magna contemplatione. Verùm de his, quæ ægros iuuant, aut lædunt, non ſimiliter eſt. Nempè ſi ægris quidem adhibita præſidium attulerint, laudare oportet, atque cognoſcere: ſi uerò detrimento fuerint, uitare, atque expellere. Quæ uerò nihil auxilii, uel offenſæ effatu dignum præſtiterint, in neutrius ratione cenſere conuenit. effatu dignum (inquit), etenim ſi parum exuperantibus inſiſtant, qui uel bonum, uel malum hoc remedium ab initio ſunt opinati, nihil mirum uideri debet. In his uerò, quæ admodum receſſerunt, apertiſsimumq; uel iuuamen, uel nocumentum operata ſunt, uſque adeò, ut à quibuſdam ſummopere laudentur, ab aliis culpentur, admirari quiſpiam eos poterit qui ea, quæ ualdè offendentia ſunt, extollunt, uel eos, qui ea, quæ uerè, ac magnoperè iuuantia ſunt, uituperant. Quapropter (ut inquit *n* Hippocrates) Acutiſsimis in morbis (de quibus ibi loquebatur. adde tamen tu cum Galeno *o*, & in longis, ac demùm in omnibus)

Exemplū 5.

m. primi de ratione uict. acut. com. 13. post prin.

n. tex. 16. euſdem.

o. com. 13.

usque adeò dissentiunt inter se artifices, medici'ue, ut quæ alter porrigit, optima esse existimans, ea alter mala esse putet. Atq; fere ob id, uaticinationi ars ipsa medica similis esse uideatur. Vnde calumniã usque adeò grauem patitur apud uulgum *p*, ars tota, ut nullo pacto medicina esse uideatur. Id sanè est, quod Hippocrates particulari duntaxat uno exemplo (de ptisana scilicet atque cremore) proponit. quanquã in quàmplurimis quoque aliis ad medicam artem spectantibus (uelu ti prædictum est) eadem admiratione præponenda quæstio foret. Quinimò quæstionem hanc (quam se se primùm ipse proposuisse refert. *q* Quod si fortè quispiam ante ipsum proposuerit, nullus tamen ante eum soluit) in omni simpliciter arte, quæ experimẽtis tùm discerni, tùm iudicari queat, Hippocrates intendebat. Quemadmodùm perbellè Galenus ostendit *r*. Consueuit enim Hippocrates subiectos, specialesq; sermones, pro aliis quibusdã uniuersalioribus obsignare *s*, doctrinamque uniuersalium ex ipsis, quæ tanquam exempla constituit, efficere. Quo igitur modo de ptisana sermonem fecit, causam eius quæ de ipsa est, contentionis, tùm uestigans, tùm decernens: sic & de omni acutorum morborum uictu, rectam tulit sententiam, quin etiam & de uenæ sectione, & purgatione, & tùm glandis, tùm clysteris usu. de cataplasmatis item, fotibus, uino, aqua mulsa, oxymelite, & balneo, non parua inter medicos exorsa est controuersia. Quæ omnia in eo libro percurrit Hippocrates methodo una, quam nuper dixi] (hoc est ex particularibus exemplis, uniuersalem intelligens propositionem). [Particulare autem unum est (Galenus *t* inquit) quod de ptisana medicis in controuersiam uenit. Sic uerò & quod de uictus ratione intelligere oportet, non acutorum modò, uerum quoque & morborum aliorum, atque etiam (quod generalius est) de curatione uniuersa, & quod adhùc generalius hoc, uniuersaliusq; est, de omni corporis prouidentia, & si sanorum fuerit, ut præsens sanitas conseruetur, uel se se exercitantium, ut bonum habitum consequantur. At quod in omnibus quoque aliis artibus hanc dissidii artificum causam uestigare uoluerit Hippocrates, per id uerbum ostendit, cum ait *u* [& ad quod quilibet uoluerit.] quod in Augure, Aruspice, Musico, Rhetore, ac demùm omni simpliciter artifice, Galenus *x* elucidauit. Est uerò (ut idem *y* ait) secundum ueritatem non commodissimum modò huiusce controuersiæ causam uestigare, uerum quoq; & omnium primum, ac pernecessarium. Inde enim deuenimus in exquisitam cognitionem uictus, quibus scilicet hic, aut ille perpetuò congruat, quibus'ue non semper, at nunc unus, nunc uerò

p. ibidem tex. 15.
q. tex. 14.
r. com. 16. in fin. & com. 17. & 18. in principijs.
s. uide com. 18. in prin.
t. com. 17. post prin.
u. tex. 17.
x. com. 17. ante med.
y. com. 13. in prin.

uerò alter conueniens sit. Ita etiam & in aliis omnibus contingit. Not.
Sed ne omnium quidem controuersiarum causas disquirit Hippocrates (quemadmodum scitè admonuit Galenus z) Non enim earum, *z. com. 17. post med.* quæ uafris ab hominibus subdolè excitantur, uel odiosè, calumniandi causa, prout nonnulli faciunt, contrarium semper ei, quod socius 1 proposuerit, commendantes: Nec earum, quæ gloriæ, lucriq;, uel 2 adulationis ægrotorum studio fiunt. Sed earum duntaxat, quæ uerè 3 controuersiæ sunt, ex intima utriusq; partis conscientia excitatæ, apud ipsos quoq; prudentes, omnigenaq; uirtute præditos uiros.
» [Atque ob id iustè laudandus uenit (Galeni *a* documento) Hippo *a. com. 17. uersus fin.*
» crates, qui de sola secundum rei ueritatem meminit controuersia.
» Quam qui artem constituere aliquam uolunt, patiuntur, quùm se-
» cum, suaq; in anima, differenter opinantur. & non uerbis subdolè simulatis id agunt ob gloriæ uel lucri cupiditatem.]

Verùm enimuerò ut nostrum consequamur intentum, ad quæstionis solutionem, controuersiæq; causam accedamus. Quæ (vt appositè Galenus *b* ait) alia non est, nisi quod unusquisque ex particulari, uniuersale facit. Ex suo inquam particulari experimento, u.g si uidet quispiam alicui morbo conferre ptisanam, uniuersale facit, omnibus pariter proficuam esse concludens. Alter uerò uni uidens nocuisse, uniuersale itidem facit, reliquis conformiter omnibus obfuturam determinans, cremorem potiùs commendans, ut quem fortassis alicui profuisse expertus sit. Alius deniq; utrunque expertus, in aliquo alio morbo, nocuisse, uniuersaliter tàm ptisanam, quàm cremorem culpabit, potum potius perpetuò extollens, ut quem alicubi summopere proficuum inuenerit. Cumq; ex his aliquod sibi primitùs decreuerint, uniuersaleq; fecerint, quoties præter optatum successerit, diuersitates dispositionum, diuersa quoque indicantium, multarum causas ignorantes, in aliud potius, quã in suum determinatum uictũ, præsidium'ue (quodcunq; sit) transferunt: pauperculos sæpenumero *Quæstionis ab Hippocrate, propositæ solut. sentẽtiæq; determinatio, ex scopis. 22. b. com. 17. circa med.*
» ægrotantes incusando. Atque ob id (perbellè Galenus *c* inquit) lon *c. com. 13. post. med.*
» go tempore sua in cibi exhibendi regula permanent, quod nonnullos
» ab ea euidenter iuuari uident. In cæteris autem, qui nihil inde auxi-
» lij recipiunt, citò quidem, & ægros occultè aliquid deliquisse suspican
» tur, quanquam id non sit. Sed quod retulit Hippocrates in libro *d* de *d. com. 3. tex. 8.*
» fracturis, ubi agens de his, qui fracturas cum uulneribus perperam
» ligant, atque ob id lædunt, ait [Non enim deligationem causam es-
» se existimant, sed aliud quoddam infortunium] Sic ergo & eos in ui-
ctus ratione opinari par est]. Sic uerò & de controuersiæ causa in a-

Controuersiæ causa in uulneribus capitis.

liis quoque præsidiorum generibus dicendum. Videntes enim nonnulli aliquem in capite uulneratum, desiccantibus medicamentis curatum, usque adeò uniuersalem sibi talem curandi methodum fecerunt, ut quoties æger moriatur (fortè quia nimiùm siccans medicamentum fuit, uel illi ut pote inflammationem patienti, uel puero, atque natura humido minimè congruebat) proprium tamen errorem nullatenùs aduertentes, ægrotantis delicto, uel astantium, aut exteriorum, aut alteriùs fortè medici errori ascribunt, atque ita quicunque sanitati restituuntur, suis attribuuntur præsidiis: morientes autem aliorum ascribuntur errori. Nec secus in propria perseuerant opinione, qui contrariam sententiam tenent, ut potè humectantibus procedendum. Ita etiam indies in sanguinis misione conspeximus.

Controuersia in sanguinis missione.

Qui enim ex eodem latere secandam esse uenam arbitrantur, hi sanatos omnes propriæ gloriæ ascribunt: mortuos uero, uel alterius medici, uel ægrotantium, aut astantium, exteriorum'ue culpæ uendicant.

Controuersia in medicamentis.

e. com. 17. circa med.

Nec aliter in medicamentorum purgantium propinatione, in principio morbi, quotidie diuersas medicorum phantasias intelleximus, atque omnibus denique aliis remediis [Nempe falluntur (Galeno authore *e*) qui artes constituunt, quùm quod cuipiam contingit, id uel in omnes, uel in plures quàm oportet, extendunt.] Artis autem omnis constitutio (prout idem paulo prius dixerat) ex propriorum à communibus distinctione oritur. Qui enim hæc distinguere potest, is optimus censetur artifex. ut autem constitutio, sic & iudicatio in distinctione substantiam habet. Cuius uim non ignorasse uisi sunt, qui se Empiricos nominauerunt *f*. Diorismis, diastolis'ue (hoc est, distinctionibus) propria à communibus separantes.

f. com. 18. post prin.

Solutio particularior.

g. com. 13. 19. & 42.

De uictu.

Controuersiæ igitur, diuersarumque opinionum in eadem re, quantumuis apertissimæ lesionis, aut iuuamenti causa est, quam Hippocrates (Galeni *g* enarratione) in sequentibus exequitur, atque Erasistratus in primo libro de febribus ostendit. Est autem ea, quoniam aliqui solo ptisanæ cremore indigent: Alii uerò hordacea ptisana: Sed alii horum neutro, sed potibus solis, ad iudicationem usque fæliciter seruantur. Quemadmodùm alii sunt, qui statim ab initio (nisi purgentur) intereunt: alii uero statim purgati exacerbantur. Ita etiam nonnulli sunt, qui sanguinis misione, ab initio ex eodem latere, alii uerò ex opposito indigent. Sic denique aliqui morbi sunt, qui à principio grosiore indigentes uictu, ad tenuiùs paulatim procedendum indicant. Aliqui uerò contrà, in principio tenuiùs, in processu autem ingrossando, diætandum requirunt. Nonnulli ab initio crasiùs, in uigore

De purgatione.

De sanguinis missione

De uictu.

re

re tenuiùs,ac tandem ad crassius reuertendum ostendunt. Alii tenuissimum; aliiquc tenuissimum etiam in extremo,ad iudicium usque uictum expostulant. Inde igitur uariæ insurgunt opiniones, & controuersiæ, nescientibus medicis singula, ubi congruunt, uel non conueniunt,distinguere: atque apposite in omnibus aptare.Atque id ipsum est,quod tandem Hippocrates,pro quæstionis solutione, ac omnium pariter controuersiarum sedatione,subdit. *h* videlicet scopos, quibus noscere quilibet ualeat, qui sint,qui tota indigent ptisana,qui'ue solo cremore, quique neutro. Hos enim discernere scientes, omnis controuersiæ immunes erimus,atque ita etiam in omnibus aliis remediis,obseruandum.Cuncta verò,quæ in libris de ratione uictus acutorum, pro dictorum elucidatione,scripta ab Hippocrate sunt, in breuissimum compendium reducemns, & quasi (ut uulgò dicimus) super digitis collocabimus. Vbi ex ultimo commento libri tertij ad scopos reducemus, quos numero duodeuiginti collegimus.Ad quos quidem attendentes,aliosq; plures subintellectos,illisq; annexos, apposissimè poterimus unumquenq; ægrotantem cibare.

h.in tex. 19. & sequentibus.

Sed uideamus priùs in acutis. Inquit enim Galenus *i* [Non sum autem immemor uerborum Hippocratis, quæ in principio libri huius,hoc refert pacto. K Quæ autem medicum ante animaduertisse, ægro non referente, oportet, plurima dimissa sunt.] Hæc siquidem uerba duas habuerunt expositiones apud antiquos Hippocratis interpretes. Prima eorum, qui Hippocratem dogmaticum esse putant. Nã illi, quæ aduertisse medicum oportet, à ueteribus dimissa, locos affectos esse dixerunt,& ipsorum dispositiones, & caussas. Adeò ut tres hos duntaxat scopos illi considerarint: sedem affectam, morbum, & causam. Secunda expositio fuit eorum, qui Hippocratem Empiricum esse existimauerunt. Hi enim ea anni tempora esse,regiones,ætates, & consuetudines, & ambientis nos aeris conditiones affirmauerunt. Quinque igitur hos scopos aduerterunt. Subdit uerò Galenus [Hæc quidem omnia, tùm quæ à dogmaticis, tùm quæ ab Empiricis dicuntur,utilia esse non ignoro (uidelicet omnes hos prædictos octo scopos,tres quidem dogmaticorum,& quinq; Empiricorum) uerùm scopos multos hoc in libro recensens Hippocrates, ad quos quidem respiciens, uictus formam inuenire possit: Nullius eorum quæ dicta sunt,præterquàm consuetudinis,mentionem fecit.] (Quanuis enim ab ætate indicationem aliquam sumpserit in tex. 45. primi libri, non tamẽ indè immediatè cibationem determinabat, sed clysteria potius, uel glandem).subditque deindè Galenus [Sed sanè nonnulla,quæ remini-

Expositio cõ.ultimi tertii libri de ratione uictus acut.

i.tertij reg. acut. commento ultimo ante med.

k. in fine tex.primi libri.

Expo. pri.

2

cuius consuetudinis meminit lib. 2. a te. 18. usque ad finem. libri,& li. pri.tex.20. & 21. eodem ultimo comm. libri tertij.

minifcentiam exigunt,præpofuit Hippocrates] fub quibus (ut uidebimus) & prætacti fcopi, & alii quoque plures comprehenduntur.

Morbi ficcitas uel humiditas fcopus primus.
l.tex.22. primi
m. Idem tertij 22.
n.tex.23. primi.

Vnus fanè, & præcipuus fcopus (quem nos ordine primum iuxtà Galeni feriem conftituemus) tanquam in exemplo pleuritidis, talis in dictione ab Hippocrate *l* enarratur.[Siquidem ficcior fuerit morbus,quàm ut quifpiam putauerit, non multum dare oportet, fed ante forbitionem, uel mulfam,uel uinum, *m* utrum magis auxiliaturum putaueris,propinare conuenit.] Hic fcopus eft, ficcitas, uel humiditas. De ficcitate quidem prædictum iam eft. De humiditate autẽ, poft hęc deinceps ait. *n* [At fi os madefcat,& quæ à pulmone expuuntur, talia funt,qualia effe oportet, forbitionis quantitatem, ut fummatim dicam,augere oportet.] Hæc de primo fcopo. Atque alia quoque fuppleas,quæ in tex.24.25.26.cum 27.dicuntur.Quinimmò,& quæ deinceps, in tex.28.29.30.& 31.fcripta funt,perpendito. Subdit uerò Galenus *o* [Verùm tùm hæc,tùm quæ ferie continuata dicuntur,non funt per Gnidias fententias definita.]

o.ibidem f. 9.ultimo tertij de ratione uict. acut.
Morbi coctio & cruditas fcopus 2.

Poft hæc & morbi coctionem animaduertendam effe ait Hippocrates.Qui fanè fcopus totius propemodum eft Hippocrati uictus inftituendi generis,atq;earum,quæ in eo particulariter fiunt, permutationũ.] Secundus igitur hic fcopus eft à cõcoctione,cruditateve fumptus,qui ex præaffumptis quoq; cõtextibus elicitur. Etenim fi coctus morbus eft,humidus quoq; eft. Maximè quùm in.23.textu libri primi dixit [qualia effe oportet] hoc eft cum concoctionis notis, atque ita in fequentibus intelligẽdũ,ut in text.25.27.& 33.& uide cum his ea, quæ fecundi libri tex.40 42.44.& 54.Ac de cruditate rurfus tertii libri tex.26.27.28.& 29.Meminit autem rurfus de fcopo,qui à coctione fumitur,Galenus circa finem commenti huius fcilicet ultimi tertij libri,quod nunc interpretandum in medium adduximus. Cruda igitur exiftente materia,abftinendum,ea uerò concocta,cibandum fore,huiufmodi fecundo fcopo decernimus.

Fæcum diutina retentio fcopus 3.
p.tex.32. primi.

Sed tertium fcopum uideamus, qui à diutina fæcum retentione, in inteftinis fumptus eft,cùm Hippocrates talem appofuit definitionem *p* [Quippè enim quibus cibus inclufus eft,fiquis non uacuato eo,forbitionem dederit,dolorem,fi adeft,augebit,fi non adeft,protinus inducet.] Propter hunc uerò fcopum,unà etiam uideas, quæ in. 19.tex. primi quomodo nonnunquàm propter clyfterem defiftere opus eft. atque etiam in tex.42.& quarti libri contextu 36.& 37.& 75.&.76.

q. primo de crifi cap.7.

Expofuimus autem dictionem αὐτίκα ex Galeni alibi *q* fcripto dogmate [Quippe] non uerò [ftatim] ut interpres uertit.atque in fermonis

nis exordio (Galeno *r* etiam docente) transposuimus. Ideò legimus [Quippè enim] & non ut interpres ait [Quibus enim cibus statim &c.] Dictio enim αὐτίκα, hic idem significat, quod ἀμέλει, quemadmodum perbellè Galenus primo de crisi declarauit. *r. primi re. acut. com. 32. in fine commenti. cap. 7.*

Quartum uerò scopum mox deindè subdit Galenus, dicens. [& amplius prætereà *t* si lateris dolor assiduus est, calidisque fomentis non remittatur.] est autem id uigoris morbi inditium: quo in tempore, abstinendum fore, declaratum iam anteà est. Morbi uigor scopus 4. *ſ. tertij. reg. acut. com. ultimo.*

Quintum uerò innuit, subdens [Sputumque non procedit, sed καταγλισχραινόμενον ἀσαπέως, quod est summè citrà coctibilitatem glutinosum sit.] est enim scopus hic à morbi quadã malignitate sumptus. cuius ratione abstinendum potius, ne ipse ægrotans stranguletur. quanquam non in omni (ut aliquis opinetur) malignitatis specie sic intelligitur, sed imbecillitas uirium perpendenda est, eiusque causa, ut infra in decimo scopo demonstrabitur. Pro his uerò duobus iam iam dictis scopis scilicet quarto, & quinto, adhuc ea quæ à tex. 33. ad 41. usque dicuntur, considerato. Deinceps uerò, quæ in sec. libro tex. 5. 15. 32. & 40. usque ad 46. & quarti 18. & 114. *t. primi eiusdem tex. 32.* Morbi malignitas scopus 5.

In his uerò, quæ subdit. *u* sextum possumus scopum eligere, uidelicet à plenitudine, seu cacochymia, quas euacuare oportet, quùm subdit *x* [Nisi quis dolorem, uel alui subductione, uel secta uena, pro utriusuis significatione, soluerit, ptisanam autem ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem.]. Pro quo rursus uide tex. 19. primi. atq; etiam secundi libri. 10. usq; ad 17. tertii. 3. 4. & 6. quarti libri. 18. 19. usque ad 38. Rursusq; 43. 44. 63. cum 64. 73. usque ad 76. 109. 111. 116. 117. 118. Abstinendum ergo à cibo est, donec uacuatio expleatur. Plenitudo seu cachymia scopus 6. *u. tertij re. acut. com. ultimo. x. primi te. 33.*

Dixit autem in tex. 18. quarti. [Sorbitiones dato attractorias] indicatione (ut patet) à repletione sumpta: præsertimque in maligno causo, ac iocinoris phlegmone. In maligno inquam causo, ex quarti de ratione uictus acutorum authore. ut scilicet purgetur corpus ipsum, atque unà quoque nutriatur (admisto inquam sorbitioni purgante, humoresque trahente medicamento) ne uires in purgando exoluantur. Quibus quidem in malignis quibuslibet, morbis, quantum indigeamus, ut robustæ sint, compertum iam est. secunda ratio quare sorbitiones dandæ sunt attractoriæ, est, quò minùs calfiat, desicceturq; corpus ipsum in purgatione, minusque medicamenti ui perturbetur. quasi ea sorbitionis admistione, quadantenùs refracto, & Naturæ familiariori iam reddito medicamento. Tertia uerò his ualidior est ratio, quoniam in uisceribus aliqua phlegmone existit (quam ob causam 3 Sorbitiones Attractoriæ Quæ, & Quare, & ubi. Ratio. 1. 2.

extre-

y.tex. 16. quarti reg. acut. extrema frigida esse prædictus author y suppofuerat) hæc autem ad se calorem, spiritusque, & sanguinem ut cucurbitula attraxit. Vnde rursus in uisceribus obstructio quædam inest. hac autem inexistente, medicamenti uis penetrare nequiret, nisi adiuta esset à Natura, quæ tale medicamentum ad se traheret. præsertim in phlegmone iocinoris, de qua Galenus loquebatur. z Adiuuat autem Natura trahendo, quoties purgans medicamentum sorbitioni admiscetur. trahens enim sorbitionem ipsam, ut familiare nutrimentum: ueluti sub esca pisces hamum, sic Natura medicamentum subinclusum ad se rapit. Vndè paulatina quædam purgatio fit, quasi κατὰ ἐπίκρασιν. pluriès enim data huiusmodi sorbitio, paulatim, paulatimq; totum expurgabit humorem. Vnde non singulari, sed plurali numero dixit [Sorbitiones dato attractorias.] prædicta uerò obstructio præcipuè inuenitur in causo illegitimo, de quo Author ibi loquebatur, tanquam ex pituita oborto. Quarta autem ratio aliis fortè potentior est. Ne à remotis attrahat, & ultra iecur medicamenti uis pertranseat. Maximè si nimium trahens, ualidumque medicamentum esset. Tunc enim plus esset illud quod in affectam, inflammatamq; partem irritaret, quàm id, quod ab ea minueret. Ob has igitur causas, condecens esse Galeno a uisum est in iocinoris phlegmone, sorbitiones dare attractorias. Nec aliud uoluit Hippocrates, siue quisquis ille fuerit quarti libri Author, quanquam Galenus sui met dogmatis oblitus, tanquam obscuram, nihilque docentem illius orationem reprehendit. Verum enimuerò cum huc usque protractus sermo sit, operæpretium fore duximus huiusmodi attractorias sorbitiones declarare, quando, & quomodo propinandæ. Etenim ex Galeno omnia didicimus. b Haud enim in principio statim ad hæc uenit, i sed procedente tempore, ubi phlegmone iam concoquitur: incipientem uerò magis excitari purgatione iam prædixerat Galenus. c Hæcque sit prima conditio. secunda uerò est, quòd non cũ omni cibo, sed cum pauco, eoque facilis coctionis, ac liquido, ut ptisana, uel eius cremore. undè non temerè uocauit ille senex sorbitiones attractorias. possumus autem nostro tempore, quo ius gallinæ, uel cõtusum pro sorbitionibus absorbere solemus, in eo iure, uel contuso trahentis medicamenti uim admiscere. Sic enim illud absurdum insequi minimè potest, scilicet quòd cibus perturbetur, corrumpatur'ue. undè membra nutrimento priuentur. Nam cum cibo multæ quantitatis, non admiscetur, nec masticabili, sed ita (ut prædictum est) quasi cibus medicinalis fit. unde sorbitionis nomen, non medicamenti adeptus est. Adiectum uerò est appositumque [attractorias] q.d. medicinales.

Margin notes: z. 13. meth. cap. 15. — 4 (beside "timo, de quo Author…") — a. ibidem. scilicet 13. meth. cap. 15. — Contra Galenũ. — b. ibidem. — c. ibidem cap. xi. circa med. — Conditio prima. — 2 (beside "trahentis medicamenti…")

nales. debilitata autem (si contigerit) uirtute, poterit deinceps purga
tione iam facta, sola sorbitio, uel nutrimentum adhiberi. Tertia con- 3
ditio est, quòd medicamentum in pauca quantitate apponatur. Si e-
nim ualidum esset, uel in multa quantitate appositum, non amplius
sorbitio diceretur, sed pharmacon. Ideo Galenus dicebat [ego filicu
læ aliquid in ptisana aliquandò incoxi, & nigri ueratri corticem. No
ta igitur dictionem [aliquid]. q.d. pauculum quid. Quarta conditio 4
est, quòd medicamentum ex eorum classe sit, quæ modicè aluum deii-
ciunt (ut idem ait) præsertim uerò, quod prius admiscebitur. magis
enim ac magis declinante morbo, ad ualidiora peruenire possumus.
Nec præter rationem adhuc quintam quoque conditionem adiunge- 5
re poterimus. uidelicet ut uentriculus multum imbecillis non sit, ne
ex medicamentosa illa qualitate nimium offendatur. Tutius igitur
tantò exhibebimus, medicamentosamq; uim augebimus, quanto ma-
gis morbus, phlegmoneque ipsa inclinabit. uerùm de hac sorbitione
intantùm hic obiter dictum sit, pro septimi scopi elucidatione. Aliàs
enim uberior sermo fiet. Galeni uerò, Hippocratisque methodum in
iocinoris phlegmone secuti sunt Serapio, *d* Razes, *e* atque ipse e-
tiam Arabum Princeps. *f*

d. quarto Breuiarij cap.2. post. med.
e. 7. conti. cap. 2. ante med. litera. k.
f. 14. fen. tertij te. 3. ca. 12. cir. med.

Septimum uerò scopum Galenus ex Hippocrate subinfert, sic di-
cens. *g* [Proindè, & rursus definiens, ait *h* [Si nuper pasto cuipiam,
& alui oneribus haudquaquam purgato febris, uel cum dolore, uel si-
ne dolore inceperit, à sorbitione tantisper est temperandum, donec ci
bum ad infernam intestini partem descendisse coniectum sit.] Sumi-
tur autem hic scopus, (ut patet) à uentriculi repletione pro quo rur-
sus uide in tex. 45. Ne scilicet crudum super inconcoctum appona-
mus. Itaque usque dum prior cibus exquisitè coctus sit, abstinendum
prorsus à cibo est.

Ventriculi plenitudo scopus 7.
g. 3. de ratione uic. acut. com. ultimo 3.
h. te. 42.

Tum rursus (subdit Galenus) [Si nuper cibato *k* cibus prior non
descenderit, uirtusq; ualida fuerit, & floruerit ætas, subluere oportet.
Si uerò uirtus imbecillior fuerit, Balano est utendum: Nisi aluus sua
sponte probè deiecerit. Adiecit ergo in hac dictione eum, qui à uir-
tute est, scopum ueluti in sequentibus sæpenumero.] Est autem sco
pus hic ordine 8. pro quo etiam uide, quæ in tex 44: & secundi libri
tex. 35. & 36. & 37. tertii libri tex. 17. 19. 20. 21. 28. 33. 40. 45. 46.
47. 48. 49. & 59. Dicit autem Galenus, quòd Hippocrates adiecit,
Græce [προσέθηκε] q.d. [apposuit] præter alios scopos, etiam scopum,
qui à uirtute. Etenim in eodem textu accepit scopum prius, qui à uen
triculi plenitudine sumitur, quem ordine septimum enarrauimus.

Virium robur uel imbecillitas scop. 8.
i. tertij re. acut. com. ultimo.
k. primi te. 45.

Aetas florida scopus. 9.

Vltra quos etiam posteà addit eum, qui à florida ætate sumitur. pro quo etiam uide quarti libri tex. 19.& 25. Duo autem hi scopi scilicet 8. & 9. ad uacuationem potiùs immediatè referuntur, quàm ad cibationem. Quamquam secundariò post euacuationem, ad cibationem referenda uenient.

Caussa imbecillitatis uirium scopus 10.

l.3. de ratione uic. acu. com. ultimo.

m. secundi reg. acut. tex.47. & 48.

Decimum uerò scopum, qui à causa imbecillitatis uirium sumitur adiunxit Galenus immediatè ad cibationem referens, sicque dicens. » *l* [& id considerari præcipiens, quænam causa, & affectio sit: quæ uirtutem prosternant. ubi & hoc à medicis ignorari adiecit.] etenim sic » scribit Hippocrates *m* [Neque sanè horum ita peritos uideo medi- » cos, qui ut oportet, dignoscant eas, quę in morbis contingunt uirium imbecillitates &c.] ubi ergo ob uasorum inanitionem, imbecillis uirtus est: assiduis cibationibus roboranda uenit. ubi uerò ob dolorem uel morbi acumen, multoque magis si ob immodicam plenitudinem aggrauantem, suffocantemque infirma sit, minutione potiùs, abstinentiaque, non cibi adiectione (quantum ad uniuersalem uictus rationẽ attinet) roborabitur, uel à casu præseruabitur. Quòd si intẽperies, uel aliquod quod uis symptoma imbecillitatis causa sit: Cui dubiũ est illius ablatione, non cibis roborari uires? Quo in numero (Galenus »

n. secundi reg. acut. com.54.

ait *n*) censetur & morbus, quem acris humor siue in intestinis, siue » in uentriculo, & præsertim ipsius ore parit: & uigilia, & ira, & mæror, » & lumbrici elminthes, qui ab intestinis ad uentrem usque ascendunt. » & cutis totius, aut membri alicuius qui nocte aggrediatur, pruritus. » Ita & uirtus non solùm ob irritationem, uerùm quoque & propter uigilias exoluatur &c.] Non ne igitur morsus ille, ubicunque fuerit, uacuationem indicat? Itemque si ex uigilia, quid magis quàm somnus, pro uirium restauratione fuerit aptior? Quòd si ex mæstitia, uirtus debilitata est, nullus quidem præstantior cibus, quàm lætitia. Sic & in ira. Vbi uero elminthes debilitant, quid melius, quàm illorum è corpore eiectio? Quòd si fætor uirtutem prostrarit, quis aptior ad instaurationem cibus, quàm gratissimus odor? Non est igitur (ut aliqui ineptè obseruant) protinus absolutè determinandum, cibi necessitatem adesse, ubi uirium imbecillitas imminet. Verùm perpendenda est debilitatis causa, illique occurrendum. Quòd si ex inanitione, ac spirituum resolutione aduenerit: Tunc cibis è uestigio succurrendum. haud uerò cum repletio in causa est (ubi purgandum potius uenit) uel aliqua ex prædictis occasio inest. Cuius ratione nec dandus, neque abnegandus cibus est.

Materiæ Inclinatio scop. XI.

Præterea alium adiecit scopum, quem ordine XI. locabimus, & est

mate-

» materiæ inclinatio ſurſum,uel deorſum, uidelicet quòd iis qui dolo-
» rem ad hipochondrium pertinentem habent, *o* ea quæ per talia me *o. te. 10.*
» dicamenta fiat,auxilio ſit purgatio. Cæteris autem, quibus dolor, uel *11. ſecundi*
grauitas ad brachium, uel pectus extenditur uenæ ſectio.] Quibus in *libri &*
caſibus, niſi uel purgatio,uel ſanguinis miſsio (quæ harum opportu- *quarti*
na fuerit) iam præceſſerit,cibatio danda non eſt. ut in 6. ſcopo præ- *73. et 76.*
ſcriptum iam eſt.

Hæc autem(ſubdit Galenus) *p* & reliqua huiuſcemodi,Quæ item Conſue-
de conſuetudine dicta ſunt à Gnidiis medicis omnino ſunt præter- do ſcop.
miſſa.] è quibus quidem uerbis 12. à conſuetudine ſumptum ſcopum 12.
tetigit, de qua quidem, plura uidere potes libro primo in tex. 20. & *p. tertij re.*
21.& libro ſec.tex.12.13.& iterum tex.18.uſque ad 35.quomodo ſer- *acut. com.*
uanda conſuetudo ſit. Inde autem ad calcem uſque ſecundi libri, *ultimo.*
quomodo rectè ſit transferenda,ſeu mutanda,præſertimque circa ui-
ctus rationem,de qua impræſentiarum loqui duntaxat intentio eſt.

Sed 13.ſcopum intelligamus,quùm ita Galenus addit. [Multoque Natura
» magis Naturæ, & corporum temperamenta, de quibus ſæpenumerò ſeu tem-
» in hoc libro egit, hos picrocholos appellans, alios melancholicos.] peramen
Addeq; tu alios pituitoſos,aliosque megaloſplachnos. De picrocho- tum ſco-
lis quidem ſecundi tex.29.36: & tertii 2.9.12.& 38. De Melancholi- pus. 13.
cis autem textu tertii 38. De pituitoſis tex.ſecundi 30. De megalo-
ſplachnis tex.9.& 12.tertii. De Natura autem communiter tex.ſecun
di 31.& 33.& uide tex.36.eiuſdem ſecundi. Quibus omnibus in præ
tactis locis rationem uictus definitam legere poſſumus.

Scopo autem ſuccedente q. d. conſequentiæ ſermonis neceſsitate Sanitas
» ductus Hippocrates,de ea quæ tùm in ſanis,tùm in ægris fit, uictus ra uel ægri-
» tione agit, *q* quonam pacto & emendare,& corrigere oporteat,de- tudo ſco-
» monſtrans.] Vnde quartus decimus eligitur ſcopus,qui præſens cor- pus 14.
poris diſpoſitio eſt ſcilicet ſanitas, uel ægritudo. Ad quem reduce- *q. ſecundi*
mus eum,qui à morbi eſſentia ſumitur, pro quo rurſus uide primi de- *de rac.uic.*
cimum octauum: tertii nonum,ſextumdecimum,uigeſimum quartũ, *acut. te.*
quadrageſimum,quadrageſimum quartum,quadrageſimum nonum, *20. et 26.*
quinquageſimum ſecundum, quinquageſimum octauum, & ſexage-
ſimum primum. Præterea (ſequitnr Galenus) & in eo, quem de uino
(tertii pri. uſque ad 8.)oximelite(tertii 24. uſque ad 39.) & aqua
(tex.4.uſque ad 43.) facit,ſermone,ſcopos recenſuit eoſdem. Adde
tu,& in ſermone de melicrato tex.9. uſque ad 23. & de balneo in tex.
44.uſque ad tertii libri finem. Dicit autem eoſdem in his recenſuiſſe
ſcopos prædictorum ſcilicet aliquos expreſſos, alios uerò ſubintelle-

 ctos.

ctos. Quinimmo & alios uel expressos, uel subintellectos, qui inter iam prænarratos connumerati adhuc non sunt. v.g. in sermone, quem de uino fecit, meminit de scopis, qui à sede affecta, atque etiam temperamento sumuntur. in tex. quidem sec. In tex. uerò 5. alterum scopum considerat, morbi scilicet malignitatem. In 7. autem, & 8. rursus sedes affectas, ut scopum considerat. Hi sunt expressi scopi. Exquisitiùs tamen perpendentibus, & à morbo simul, & symptomatibus, atq; ipsa etiã morbi causa, repletioneve indicationes, ac scopi capti sunt. ut in tex. 2. 5. & 7. & 41. à morbo cum symptomatibus (quanquam expressè potiùs à symptomatibus sumi apparet.) A repletione autem, morbive causa in tex. 3. 4. & 6. In sermone autem de hydromelite, septem perpendisse scopos inuenimus, à quibus indicationes sumebat: videlicet morbum tex. 9. & 16. sedem affectam tex. 9. 11. 12. 14. & 19. & 22. Temperamentum tex. 9. symptomata tex. 10. & 14. Causas continentes tex. 10. 11. 12. 13. 19. 21. Virtutem tex. 17. 19. 20. & 21. Siccitatem uentris tex. 22. 23. In sermone autem de oximelite nouem inuenio scopos. videlicet morbum in tex. 24. symptomata tex. 24. & 30. Causas tex. 24. 26. 30. 31 & 33. Malignitatem, summamque cruditatem, in tex. 27. vires tex. 28. & 33. sedes affectas tex. 30. & 36. uentris siccitatem tex. 32. 35. Temperamentum tex. 38. sexum denique in tex. 39. In sermone quoque de aqua sex scopos perpendit. uidelicet Morbum, causam, symptomata, sedem affectam, uirium robur, & uentris siccitatem, in tex. 40. At symptomata etiam in tex. 41. In sermone demùm de Balneo expressos octo scopos colligimus, scilicet morbũ in tex. 44. 49. 52. 58 & 61. uires tex. 45. 46. 47. 48. 49. & 59. sedem affectam in tex. 53. 54. uentriculi repletionem, tex. 55. 56. Consuetudinem tex. 57. 60. symptomata tex. 58. 59. uentris humiditatem, aut siccitatem, tex. 59. Morbi tempora tex. 61. Multos igitur scopos recensuit ex prædictis Hippocrates, in eo, quem de uino, oximelite, aqua, itemque de melicrato, & balneo sermonem fecit. [Meminit quoque (subdit Galenus) & coctionis morbi sæpius, non paruum scopum uniuersæ uictus formæ, earumque quæ in ipsa fiunt, mutationum, hunc efficiens (quem coctionis scopum ordine secundum declarauimus) pari modo, & in morbi uigore quippiam dixit. ad quem respiciens, neq; tanquam ad abiectissimum in uictus ratione scopum, alimoniam ministrat (quem rursùs ordine quartum anteà posuimus). Cuncta hæc & reliqua talia, à Gnidiis medicis prætermissa sunt.] Nos igitur alios adhùc ab Hippocrate prætactos scopos ostendamus, iis qui à Galeno elucidati sunt, adiungentes, numerumque multiplicantes, ex iis etiam

r. ter. reg. acut. com. ult.

quo

quos iam iam ex multis Hippocratis locis demonstrauimus.

Præter hos enim quatuordecim scopos in primo libro, quintusdecimus quoque erit, uidelicet ipsa symptomata, ut tex. patet 18. 27. 30. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 43. 44. Item libro sec. tex. pri. usque ad xi. & ter. 2. 5. 7. 10. & 14. 24. 30. 40. 41. 58. 59. In his enim omnibus, aliquod insinuatum, ac præ oculis positum symptoma exquisitè singula perlibrantibus apparebit. ut u. g. sitis, uentris fluxus, uel stypticitas, dolor, uigiliæ, deliria, cordis morsus, & aliquod aliud id genus, uel in actione læsa, uel exeuntibus, uel affectibus corporis mutatis. Symptomata, Scop. 15.

Præterea sextusdecimus est, sedes affecta, ut colligi potest, ex tex. 18. & 32. primi. Itemque libro sec. tex. 7. 8. 9. 10. 11. Item li. 3. tex. 2. 7. 8. 9. 11. 12. 14 19. 22. 30. 36. 40. 53. 54. In his enim omnibus textibus, aliqua corporis pars affecta insinuatur. ut v. g. uenter, thorax, siue latus, iecur, uentriculus, uel aliquod aliud ex uisceribus, ut cuiuis exactè perpendenti liquere potest. Sedes affecta. Scop. 16

Amplius & Decimumseptimum scopum perpendimus, uidelicet Naturę declinationem, in tex. 18. primi. Rursusque in libro 2. tex. xi. & libro 3. tex. 30. 57. ut sorbitiones æger medicinas'ue absorbeat iucundas, minusque acres, ut eis etiam exterius admotis delectetur, longe maius enim ex ijs iuuamentum suscipit, quàm ex insuauibus ingratisque cibis. Duodeuigesimus tandem scopus ab accessionibus sumitur ex tex. 46. primi, ac rursùs libro 4. tex. 39. 114. unà cum aphorismis primi libri. xi. & 19. Qui quidem scopus pro cibationibus particularibus est. uidelicet minimè cibandum fore ęgrotum cùm accessiones instant, uel paulò post futuræ sunt. Nisi cum declinant, aut prorsùs cessarint, quæ sunt declinationis, & interualli tempora. Ad hunc (ut patet) scopum reducitur dierum paritas, uel imparitas, de qua Hippocrates cum Galeno li. 1. tex. 25. meminit, ut scilicet accessionum circuitus in cibationibus obseruemus. Id ipsum quidem euenit in his morbis, in quibus plurimæ per circuitus accessiones fiunt. ubi uerò una tantùm accessio ab initio ad calcem usque morbi fuerit, quemadmodum in synochis, consuetudinis hora, & in qua ægri facilius tolerant, eligenda, pro sorbitione, potu'ue est, ut ex Galeno didicimus f. Quibus, consuetudinis inquam, facilisq; tolerantiæ horis, in unum minimè coincidentibus, immò seorsum aduenientibus, ac per hoc inuicem repugnantibus, magis horæ facilis tolerantiæ, quàm consuetudinis intendendum. Naturæ Delectatio Scop 17. *uide secu di aphor. 38.* Accessiones. Scopus. 18. *5. xi. me tha. cap 5. & uia plura ca ult. & o ctaui ei dem. ca 4. uersus nem.*

Sunt uerò adhuc in 2. li. alij quidem scopi, ut imprimis est Medicamenti Medicamenti p tio Scop 19.

camenti potio, quem ſcopum ordine undeuigeſimum ſtatuemus, quem in tex. 12. cum 13. colligimus. Qui ſcopus etiam hic pro particulari cibatione ſumitur, ueluti & præcedens, hoc eſt, nullatenùs cibandum, donec purgatio deſierit, medicamentumq́ue ſuam expleuerit operationem.

Sexus, Scop. 20.

Præterea uigeſimus ſcopus eſt à ſexu perpenſus tex. libri tertii 39. quanquam hic alia ratione poteſt ad ſedem affectam reduci, qui erat ſcopus 16. etenim ideò mulieribus acetum interdixit Hippocrates, quoniam neruos illud offendit, ac per hoc matricem quæ neruoſæ ſubſtantiæ eſt.

Cauſa cõtinẽs uel antecedens, Sco. 21. Nota.

Vigeſimus primus erit, cauſa continens tumoris, quæ in laterali morbo, uel ſimili iam fluxa eſt: uel cauſa antecedens quoque ad fluendum adhùc parata, uel iam in medio itinere fluens, ut libri ſecundi tex. 1. uſque ad xi. & libri tertii tex. 10. 11. 12. 13. 19. 21. 24. 26. 30. 31. 33. 40. Si quiſpiam uerò malit hunc 21. ad 2. ſcopum huius quarti capitis, uel 8. uel etiam 15. diuerſis rationibus reducere poterit. Ad 2. inquam qui eſt morbi coctio, uel cruditas. Quæ iam ipſius antecedentis, uel coniunctæ etiam cauſæ coctio intelligitur, cruditasve. Itemq́ue ad 8. ut ſcilicet uires ad expellendum, coquendum'ue ac ſegregandum ualidæ, uel imbecilles ſint. Denique ad 15. quod eſt, quia exeuntia mutata uel quantitate, uel qualitate, aut tempore, uel actiones aliquo pacto læſæ ſunt. Hæc enim ſymptomata iam extant, ut in præallegatis contextibus, ab emunctæ naris uiro perpendi poteſt.

Morbi tempora Scop. 22.

Vigeſimus ſecundus autem erit, Morbi tempora, ut ex libro 3. tex. 61. & quarti libri. 114. colligitur. Quanquam & hic ad 4. ſcopum reduci poteſt, qui eſt morbi uigor, uel (ſupple tu) aliquod aliud ex morbi temporibus. ut v. g. in principio, quando materiæ defluxus inſtat, ut in inflammationibus, alijsq; tumoribus præter Naturam, attenuandus, comminuendusq; cibus eſt, ut uacuationis quædam ſpecies ſit: auaraq; inde Natura fiat, nec ad tranſmittendum humores, aceruandumq́ue in aliquem locum prodiga. Non adeò tamen in incremento, quantùm ad hunc attinet defluxum.

Hi ſunt ab Hippocrate conſiderati ſcopi, in locis iam præallegatis. Quanquam ſi minutiùs ſingula, omniq; ſedulo perpendere uoluerimus: In pluribus quoque aliis locis præter allegata, quemlibet ſcopum eligere poſſumus. Quemadmodum & alios quoque ſcopos ex multis Hippocratis locis, extrahere licet. Quatuor tamen ut præcipuos maioriq; momenti ſcopos aliquando *t* expreſsit Hippocrates

t. ſecundi de ratione uic. acut. tex. 36.

tes, uidelicet uirium robur, morbi speciem, ægrotantis Naturam, seu temperamentum, & consuetudinem. quanquam & alios iam omnes perpendere operæpretium est. Quibus condonandum aliquid uenit. At nos fortasse plura, quàm oportebat, tetigimus. His enim prælibatis, atque adamussim perpensis, facillimè poterit unusquisq; cætera considerare. De his igitur intantùm dixisse sat, superq; sit.

CAPVT QVINTVM, *In quo principalis quæsiti solutio, ac determinatio elucidatur.*



QVIBVS omnibus prætactis ad ultimam, magisq; particularem, & apertam rei determinationem, & quæsiti enodationem, accedamus. Quinque proponũtur Articuli.

Videamusque primùm quibus nam morbis nil penitùs à principio ad iudicationem usque exhibendum, quibus uerò potus tantùm. Et quibus sorbitio, quibus uerò cibus solidus, & quibus denique parum huius cibi, uel multum à principio ad finem usque permittendum. Primus.

2 Ac secundò quibus subtiliando, & quibus ingrossando ad iudicium usque, semper procedimus. Quibus tandem ingrossare priùs oportet, deinceps uerò attenuare, ac rursùs ingrossare. Et quibus econtrà ab initio statim attenuamus, deinceps ingrossamus, deindè iterùm attenuamus, ac deniq; rursùs ingrossamus. Hæcq; omnia dumtaxat quantùm ad morbi essentiam attinet, causasque, & symptomata, tanquam principalia hæc tria perpendamus.

3 Tertiò deindè principalissimum addemus scilicet quæcunque ad uires pertinent: ac simul ea cum coindicantibus adiungentes, indicationes omnes declarabimus, priùs extremas utrinque coniunctas, dein medias innumeras perlibrantes, ex Galeni dogmate in primo de ratione uictus *u* acutorum. *u. com. 44.*

4 Quibus exactè perpensis, ad causam quarto perueniemus. Quare scilicet communis nostri temporis consuetudo à tenuissimo in omnibus ferè morbis uictu exorditur, & ingrossando statim prosequitur: E quibus communem, sed omni methodo destitutam, Gregariorum medicorũ nostri temporis consuetudinem uituperabimus.

5 Quintò deniq; monstrosas quoq; tùm Petronæ, tùm Thessali uictus rationes improbabimus.

Imprimis itaque unà cum Galeno *x* dicamus, quòd in omnibus morbis, quibus maximus uigor, & iudicatio primis quatuor diebus futura Articulus primus. *x com. 1.*

futura sit (modò Natura sit fortior) q. d. quantum ad morbi, sympto matumq; rationem attinet, integram inediam seruare debemus, quod quidem est ultimum tenuissimi uictus. Sunt autem hi morbi, quos exactè peracutos, ex Galeno *y*, siue perperacutos nominabimus, extremi quidem ab Hippocrate dicti *z*. Quibus & extrema exquisitè remedia, & extremè tenuissimus uictus, optima sunt. Quemadmodum enim simplicissimæ febres, ac signis firmatæ (ut Hippocrates ait) *a* securissimis, quarto die aut citiùs desinunt: Ita deterrimæ quidem, ac signis affligentes difficillimis, quarto die, aut citiùs interimunt. Sicut etiam Tetanus est, de quo Hippocrates ait, *b* quòd in quattuor diebus eo correpti pereunt. Si uerò hos effugerint, salui fiunt. Itidem Anginæ species quædam est, quę ab Hippocrate *c* grauissima esse dicitur, ac celerrimè interimens, quæcunq; scilicet nec in ceruice, nec in faucibus conspicuum aliquid efficit, plurimum uerò doloris infert, ac spirationis difficultatem. Hæc enim eodem die, & 2. & 3. & 4. strangulat (supple tu, uel ad sanitatem reducit). Huiusmodi etiam sunt, uniuersalis totius corporis opistotonus, atque etiã emprostotonus, qui ex repletione fiunt. Hi enim febre superuenien te liberantur, ut Hippocrates ait *d*, inediamq; exposcunt. Qui uerò ex inanitione, ac siccitate, lethales sunt, cibariq; interim, atque humectari desiderantes. Eiusdem rationis est cerebri uehemens phlegmone, ut in gangrænam perducat. Quibus enim cerebrum sphacelatum (idest gangræna corruptum) est (inquit Hippocrates) *e* in tribus diebus pereunt: Si uerò hos euaserint, sani fiunt. eiusdem quoq; ordinis est acutissima phrenitis, quam Hippocrates aliquando *f* in epidemiis describit. Si enim saluandus patiens fuisset, quartum quoque non excessisset, in quo tamen æger defunctus est. Ita etiam in debili contigit apoplexia (quanquam hæc interdùm ad 7. quoque produci solet (Hippocrate etiam ipso *g* authore) & in grauissimis lethargo, Ileo, Colica, uigili comate, Caro, atque etiam Catalepsi. In his ergo (nisi uirium imbecillitas obstiterit) per omnimodam inediam pertransire oportet. Quamobrem neque ingrossando, neque subtiliando procedere in hisce morbis proferendum; cùm eadem uictus forma à principio ad finem sit, quæ est uictus tenuissimus in extremo. Quod si tãtam uictus inediam sufferre nequiret, quam ob causam aliquid propinandum foret, in his proculdubiò tunc magis aliquid concedendum, quando morbus, symptomataque leuiora sunt, uel quando uirium robur magis succumbere appareat. Difficillimum uerò, ac satis arduum est, præsertimq; nostro æuo (ut posteà uidebimus)

x. pri. aphor. com. 4. & 7.
y. secund. de dieb. decret. cap. 12. in prin.
z primi aphor. 6.
a. tertij prognost. 2. & uide ex. tex. 8.
b. quinti aphor. 6.
c. tertij prognost. 16.
d. quar. aphor. 57. & quinti eiusdem. 5.
e. sept. aphor. 50
f. tertij epid. com. 3. tex. & com. 75.
g. sex. aphor. 51.

debimus) crapuloso, quo tot cibis assueti sunt homines, quatridua nam hanc inediam seruare. Minusq; multò in nobilibus, delitiosisq; corporibus, tùm ob prædictam consuetudinem, tùm quia si fortè ob morbi acumen æger moriatur, uel in uitæ discrimen subeat, medico mors illa, periculumq; ascribitur. Vnde tantam adipiscetur ex tali inedia, apud uulgum, & quod peius est apud Illustres, spectabilesq; infamiam, ut quantò altior medicus, famosiorque est, tantò maior ignominia sibi adnascatur, indeq; plures interficiet, perdita ęgrotantium confidentia. Sicut ille plures sanat, in quo plures confidunt. Nostro igitur sæculo sit melicraton, uel cremor fortasse ptisanæ pro integra inedia: id ipsum uerò ut in pluribus inquam. Etenim nos minimè præterit aliquos usque adeò pituitosos, præsertim parte superiore, densæque carnis, ut facillimè septimanam quoque inediam in morbis ferant. Ad quam profectò plurimùm facit exquisita consuetudinis ægrotantis notitia, & eorum, quæ aliàs passus est, cognitio.

In quibus uerò morbus non ultra primam septimanam protrahatur *h*, forti existente Natura, solo utendum est melicrato, ut inquit Galenus *i)* solus autem & hic ipse uictus tenuissimus esset, non tamen in extremo. Cuiusmodi morbi sunt, legitimus causus, qui septenis circuitibus (hoc est diebus), quod longissimum est (Hippocrate docente *k)* terminatur. Itemque synochi species omnes, ut Omotona, siue acmastica q.d. uigorosa, epacmastica, siue anabatica, q. d. augmentatiua, seu ascensiua. Et paracmastica q. d. declinatiua, seu declinans. Aliqua etiam pleuritis, ac phrenetis, non adeò uehementes, ut priores morbi, quos perperacutos nominauimus, nec ut communiter aduenire solent, quas Galenus *l* in exactè acutorum cathalogo recensuit. Multoq; minùs adeò interim lentæ, quemadmodum Anaxionis *m* pleuritis fuit. Sic etiam & peripneumonia uehemens ex huius classe dici potest, atque altera anginæ species, quam Hippocrates numerat, dicens *n* [Quæcunque uerò dolorem alteri
» subsimilem infert, attollitur uerò, ac ruborem in faucibus efficit, ad-
» modùm exitiosa, sed paulò longior, quàm superior est.] Hæc enim potest ad quintum uel fortè etiam sextum produci. In quinto autem bona, in sexto uerò mala crisis fieri potest. Quemadmodùm fortè ad septimum perueniet tertia, quam Hippocrates refert, species, sic dicens. *n* [Si quibus fauces rubent, & ceruix: hæc diuturnior est] sub
» dit uerò quartam, dicens [Maximè uerò ex ea seruantur, si ceruix,
» ac pectus traxit ruborem, nec sacer ignis intrò recurrat.] (Sed quar
» ta hæc species longior est, ad quartumdecimum fortè nonnunquam extensa.

art. 4.

z h. pro quibus uide quarti aphor. 71. & tertij prognost. 3 1. & 13. & 14. & uide tex. xi. & secundi prognos. 31 & 50.

i. primi aphor. 4.

k. quarti aphor. 59.

l. primi aphor. com. 12. ante med.

m. de qua primi aphoris. com. 12: primi de crisi 18. secũdi de spirandi difficul. cap. 8: ex tertij epid. com. 3 tex. 79.

n. tertij progno. tex. 17.

n. tertij prognost. tex. 18.

extenſa frequentius uerò ad nonum , uel undecimum). Quos omnes peracutos non exactè, unà cum Galeno *o* appellabimus. Quod ſi Naturæ robori non fidamus (inquit etiam Galenus) *p* ptiſanæ utemur cremore , qui uictus tenuis exquiſitè dicitur. Niſi multa admodum copia propinetur. In eandem uerò uictus rationem aliquando peruenire illum qui ad nonum prolabitur diem , Hippocrates oſtendit, cùm ait, *q* poſt ſeptimum, uel nonum, dandam eſſe ſorbitionẽ.

o. ſecundi de dieb. decret. cap. 12. in prin.

p. primi aphor. com. 4.

q. primi de ratione uic. acut. tex. 44.

In quibus uerò morbus exquiſitè acutus eſt, qui ſcilicet quartum decimum diem non pertranſeat, cuiuſmodi ſæpenumero pleuritis, ac aliqua phrenitidis ſpecies eſt: præſertim quæ ex atra bile oriunda eſt, ſic & communis peripneumonia (quemadmodum ex Galeno *r* didicimus) Ad quam claſſem reducitur quoque aliqua continuæ, ſed quadãtenus nothæ tertianæ ſpecies. Itemq; iocinoris phlegmone, uel renum propriè dicta nephritis. In his ergo integra ptiſana utemur. Rationabiliter autem tantò craſsiore, copioſioreq; tàm in illis, qui ad quartumdecimum uſque diem extendendi ſunt, quàm in his, qui in XI. iudicandi, quantò illi morbis his mitiores, minuſque acuti ſunt. Sed uigoris intentio ſuccedit, in quo uel cremor tantùm, uel potus ſolus, uel integra fortaſsis inedia congruit.

r. primi aphor. com. 12. poſt. prin.

4 In quibus deinde ultra quartum decimum morbus prolongatur, ſo
5 lidus cibus offerendus eſt, carneſque nonnunquam, ac uinum. Eoq;
6 plus, quò magis protelandus eſt. plus enim craſsiuſque nutriendũ, in his, qui ad 40. uſque protenduntur, ut amphimerina eſſe ſolet, atq; hæ mitritæus, & aliqua nothę, ſed continuæ tertianę ſpecies, quàm in his, qui uigeſimum non excedunt. Multò autem plus, ac ſolidius in diuturnis morbis, ut in quartana, & phthyſi, ac tantò plus, quantò longior futurus morbus eſt. Minus uerò tantò quantò breuior futurus eſt. Sic quidem obſeruandum, niſi aliqui ualentiores ſcopi diætandi formam à medicis circa principia præfinitam aliquando perturbent. Semper enim ad ea, quæ magis important, intendendum eſt.

Articulus. 2.

Quibus uerò ad iudicium uſque, uel ſubtiliando, uel ingroſſando, uel quomodolibet aliter, nunc ingroſſando, nunc ſubtiliando, procedendum eſt, iam articulo ſecundo declaremus. Etenim quod memoriæ indelebiliter mandandum anteà *ſ* admonuimus, nunc re uocemus, uidelicet trifariàm dicta uniuerſalia morborum tempora, & quoad materiam, & quoad morbum, ac demùm quoad ſymptomata, nonnunquam coincidere. Nonnunquam uerò unà cum morbi quoad materiam principio, eſſentiam tamen, & ſymptomata increſcere, atque ad uigorem uſque perduci. Adeo ut inclinantibus his,

Not. *ſ. ar. 6. capitis ſecundi notando 6.*

morbo

morbo inquam, & symptomatibus, coctio augeatur, & ad ultimum perducatur, materiaque secernatur, educaturq;.

In quibus ergo morbi tempora coincidunt, attenuandum tantò magis, quantò magis ad statum usque accedimus, eo modo, quo in aphorismis *t* declaratum est. Etenim ubi extremos habet labores, maximosque, morbus ipse, tunc uictu tenuissimo utendum est. sicq; ubi in suo uigore constiterit. Cùm Natura tunc maximè uacet coctioni: ultrà quod ob febris uehementiam, & casuum magnitudinem, abstinere debemus. Augentur enim tùm morbus, tùm symptomata, & labores omnes à cibo. Quam ob caussam siquid dandum uidebitur, id in principio dandum. Quanuis enim cruda, multaque adhùc materia sit: Quia tamen leuiora sunt, morbus, ac symptomata, Naturaq; in materiæ coctione occupata nondùm est, quò perdurare uictus in postremum queat, crassiùs nutriendum uenit. In incremento uerò, tùm ob aucta symptomata, & morbum, tùm quia iam incipit Natura coctioni uacare, minuendum. penitùs uero auferendum in uigore. Scopi ergo qui à morbo, symptomatibusq;, ac Naturæ occupatione sumuntur, scilicet tertii capitis 2. 3. & 18. illi præualent, qui à materiæ cruditate, & copia captus est, qui erat eiusdem tertii capitis primus (quanquam ubi cruditas, copiaq; tanta est, ut strangulationis periculum insit, econtrà succedet: tunc enim necessariò attenuandum circa principia uenit, donec suffocationis periculum euaserimus.) Idipsum autem contingit in his morbis, qui ad unam crisimam expulsionem, materiam reseruant. ut in febribus uocatis morbis, atque illis etiam, in quibus tametsi aliqua phlegmone, uel abscessus, ipsius febris causa sit, Reseruatur tamen abscessus, uel phlegmones materia, donec ad perfectam deuenerit coctionem, adeò ut nil penitùs inde resudet, minuaturq;, ut in sexto notabili, articuli sexti secundi capitis præ ostensum est. Quanquam ubi ubi humorum defluxus ex una parte, uel pluribus, uel à toto ad partem fit, abstinendum hoc tempore est, ut auariore Natura iam reddita, quodammodò fluoris impetus cohibeatur, ut in 22. scopo quarti capitis prædictum iam est, ac 1. etiam scopo capitis tertii. In principio ergo abstinendum pro uiribus est, deinceps aliquid præbendum, ea tamen seruata lege, ut reuulsiones, euacuationesq; fiant. Deindè autem, siquidem ad suppurationem tendit morbus, quò magis ad uigorem accedit, eò magis attenuandum, quia dolor, & febris, hoc est symptomata, morbusq; augentur, ut ex 2. & 3. scopis tertii capitis elicitur.

concl. 1. t. li. primo Aphor.

In quibus uerò materia minimè reseruatur ad unam crisimam ex- 2

pulsionem, temporaque non coincidunt. Quemadmodùm in pleuritide contigit, ubi sæuiora symptomata sunt, morbusq; malignior, & ad uigorem usque iam peruenerunt, dum cruda adhùc materia est, nihilq; ex inflammata parte expuitur, quod principium (ut liquet) est, quoad materiæ coctionem, uel cruditatem. In his inquam attenuandum summoperè in huiusmodi toto principio est, nedùm in alio, quoad materiæ duntaxat fluorem sumpto, quod est totum illud tempus, in quo materia ad affectam partem fluit. Sic enim ex iam iam prædictis scopis edocemur. quinimo omni ingenio, uel per sanguinis missionem, uel per medicamenta, uel per utrunque, ut alias quoq; uacuationis species, euacuandum, reuellendumq;, ac deriuandum est, prout ex 3. & 6. & 21. quarti capitis scopis habuimus. Quùm uerò iam coctionis aliquod indicium apparere inceperit, tunc morbi, & symptomatum sæuitas comminui incipit, expurgatioque sequitur. Quantò magis autem expurgatio fit, tantò magis symptomata diminuuntur. Quam ob causam ad sorbitionem paulatim conuertimur, tantoque magis, quantò maior expurgatio fuerit. Quemadmodum uberrimè in primo libro de ratione uictus acutorum declaratum est, & supra ex primo & secundo quarti capitis scopis didicimus. In his ergo à tenuioribus ingrossando procedendum est, ad iudicationem usque, seruata nihilominùs ad uigorem usque, eadem uictus forma (nisi alius maioris momenti scopus magis urgeat) adaucta uerò eiusdē sorbitionis quantitate, prout Galeni dogma ex Hippocratis decretis *u* est. Quoniam uerò triplex morborum forma, ex libro Epidem. *x*, præscripta est *y*. ex quarum formarum consideratione instituendus uictus est,

u. secundi de ratione uic. acut. com. 44. circa prin. & 54.
x. primi epid. com. 3. tex. 10. & 11.
y. supra huius quæstionis cap. 3. scopo 2.

Ea propter generatim loquendo in prima forma, quæ iam iam sec. 3
loco à nobis dicta est, ubi scilicet statim à principio uiget morbus, deindè paulatim imbecillior euadit, tenuiùs à principio, crassiùs uerò paulatim, paulatimq; augendo ad finem usque procedendum est.

In secunda uerò forma potiùs cōtrà. quia remissa à principio mor- 4
bus, & symptomata sunt, paulatim uerò deindè, ac paulatim ad iudicium usque increscunt. Idcircò uictus à principio crassior instituendus est. sensim uerò comminuendus, attenuandusque est, ad finem usque. Ingrossandus uerò deinceps, nō ut ægrotanti, sed ut cōualescēti.

Denique in 3. forma, quæ à principio statim leuis est, augetur uerò 5
deinceps ad uigorem usque. A quo denuò remittitur. ut multæ sunt huiusmodi febres, ac prima speices est earū, quas iam iam declaraueramus, ubi scilicet materia tota ad unicam crisimam expulsionem reser

uatur

uatur. in his inquam à principio grosſiùs nutriendum, cibandumve. Quantò autem morbus, ac ſymptomata magis increſcunt, tantò magis attenuandus uictus eſt, ad uigorem uſque. Inclinante autem deinceps ipſo morbo, ac ſymptomatibus, rurſus quoque uictus ingroſſandus eſt. Faciunt autem pro tribus his concluſionibus ſcilicet 3. 4. & 5. ſcopus tertii capitis ſec. & ter. & quarti capitis 4. 5. 14. 15. ac 18.

Demùm quia in hac etiam 3. forma ſæpenumerò uentriculus pluribus infarctus cruditatibus, noſtroque præſertim æuo crapuloſo, inuenitur: Propterea ſtatim ab initio abſtinendum, non modò uenit, ſed omni quoque induſtria enitendum, ut euomat ægrotans. Quamobrẽ per duos, uel tres dies tenuisſimè diætamus, ut ex 3. & 7. quarti capitis ſcopis elicitur. Mundo autem reddito uentriculo, cibandum, quaſi in primo eſſemus die, ut æger ſufficiat, ad uigorem uſque. Ne autem poſt famem repentè ad cibum ſolidum pertranſeamus, ut ex 12. ſcopo quarti capitis colligitur: (Neque enim conuenit, ut perbellè Celſus ait, z iuxta inediam protinus ſacietatem eſſe) Idcircò uidetur, quòd ingroſſando procedendũ. Iterùm uerò deindè increſcente morbo, atq; ad uigorem accedente, attenuandum ad criſim uſque. Superueniente autem declinatione, rurſus paulatim, paulatimq; ingroſſandum. Hæc igitur (ut ſuprà iam tetigimus a) quòad morbi eſſentiam, ac ſymptomata ſpectat, materiæque cruditatem, uel coctionem obſeruanda. Quæ uniuerſim in omni materiali morbo perpendiſſe neceſſum eſt. Interdùm uerò Medicus, ut qui coniecturali iudicio longitudinem, breuitatemque morbi, ac per hoc ſtatus diſtantiam, uel propinquitatem cognouit decipi poteſt, uel ob nouæ materiæ motum, uel ob aliquem ægrotantium, uel aſtantium, exteriorum'ue errorem. Tũc igitur ſi ab initio uictum quaſi morbo per hæbdomadam duraturo præfinierit: deinceps uerò cognito, inuentoque iam in longius protrahi, ad craſsiorem regredi pro uirtutis ſubſtentaculo, neceſſum eſt. Eo igitur caſu (quemadmodum ſæpisſimè contingit) prædeterminata uictus forma interrumpitur, perturbaturque. Non interrumpitur autem, neque perturbatur, neque interrupta, perturbata'ue dicenda eſt diæta, ſiquidem in acceſsionis tempore prorſus abſtinemus: In declinatione autem particulari, uel quiete (ſi adeſt) cibamus. ſtante enim eadem uictus forma uniuerſali, particulares cibationum horæ, ac numeri uariari queunt. ut tunc cibemus, quùm maior quies, minorque afflictio eſt. Erat autem hic 18. quarti capitis ſcopus.

Quòad uires autẽ attinet (ut ad tertiũ perueniamus articulũ) prætactum iam eſt. b Quòd in quouis tempore, & quauis hora deficiat uirtus,

6

z. li. 2. cap. 16.

a. circa prin. huius capitis diũ proponitur articulus. 2.

Articulus 3.

b. cap. 3. ſcopo. 17. Cõcl. pri.

tus, ei succurrendum est. Adeò ut modò crassum, modò tenuem, uel crassiorem, aut tenuiorem uictum adhibeamus, pro uario uirium robore, quantùm ad hoc spectat. Quocircà uiribus prostratis, omnes alios scopos negligentes, ad has duntaxat intendimus, assiduis cibationibus, sorbitionibusque, & potibus quibuslibet interdù in singulis horis, ne dùm qualibet hora 4. uel (ut dicitur) de quarta, in quartam, horas, uti ex nostris plures utuntur. Quibus tamen refectis, ad alios quoque scopos attendendum. Non ergo an semper ingrossando, uel attenuando, uel æqualitate procedendum, quantùm ad uires attinet, decernere possumus. Omnia tamen hinc & inde coniungendo, unà cum Galeno ex pri. de ratione uic. acut. c Statuamus quempiam Natura siccum quidē corporis habitu, (adde tu intereà frigidum, uel frigidum & humidum) sed superficie densum, spissumq;, latis uenis (hoc est plenis) uirtute uitali ualida, cibisq; non multis assuetum, hyeme tamen nō admodùm frigida ægrotaret, in loco etiā, regione'ue tali, hoc est frigida, ac priusquàm ægrotaret, ocio deditum, insatiabiliterq; cibis multi nutrimenti abusum, prætereà & os uentris ualidum sit, quem & stomachum quidam appellant. Addamus nos sub cæli etiam statu frigido, sed non admodùm, uitæ industria, seu instituto secundùm artem aliquam sellulariam. Aetate quadragenarium, magisque adhùc si mulier sit, uteroque gerens priorum mensium, morborumq; hodiernus impetus eorum sit, qui ad immodicam referuntur plenitudinem. Vētriculi uirtus alteratrix imbecillis. Immò nunc pituita multa, cruda, uiscidaque infarctus uentriculus sit, propriaque ægrotantis conditio fuerit crassiusculo cibo statim grauari, ac prius semel duntaxat die cibari, carnes interim, ac uinum abhorrens, paulò ante uerò (uti dictum est) insatiabiliter cibis multi nutrimenti bis ter ue aut
2 pluries indies abusus ille fuerit. Sit autem & alter contrario affectus modo, Humidus quidem, & mollis (adde tu & calidus, laxusque, ac resolubilis) & uirtute uitali imbecilla, & qui plures anteà secundùm proprium morem cibos ingerere consueuerit, Aegrotetq; æstatis tempore æstuoso, regione eiusmodi, statuamusq; hominē, antequā ægrotaret, tùm curis, tùm assiduis necessitatibus fatigatū, pauca præter cōsuetudinem edisse, & oleracea, & quæ haudquaquàm nutriunt. Ventris item os nō ualidum, sed Natura imbecillum habere, acutissimiq; sensus. Addamusque nos, & concoctrix intereà uirtus ualida sit, cælique status sudorificus, & exterminans. Ars eius laboriosa, rustica, Aetateq; puerum adolescentem'ue statuamus. Masculum; uel mulierem in ultimis mensibus grandiore fœtu grauidam, & impetus exuperantium

c. com. 44. & uide cū his ea, quæ dicta sunt octaui meth. cap. ultimo.
Casus pri.

tium

tium in præsentia morborum eorum sit, qui ad tabem, marasmum'ue homines perducere soleant. nullusque in uisceribus affectus sit. propriaque ægrotantis conditio fuerit, pluries in die carnibus assis, ac uino nigro se replere, inebriarique, ac crapulari. Nunc uerò mũdus, purusque uentriculus sit, omni pituita, cruditateq; destitutus. Ad quem bilis potius effundi soleat, gracilibusque demum, inanitisque uenulis. Atque his ita habentibus, uterque eodem (si uolueris) morbo infestetur: ea scilicet quam Hippocrates ueluti exemplum, hoc in loco, constituit, pleuritide. An ne una tibi uictus ratio in utroque definienda videtur? An posterior à prima die alendus? prior uerò potu solo ad septimam usque gubernandus? ubi morbum non longiùs protrahendum fore speraueris? Ego sanè qui longa experientia utrumque probauerim (ratione comprobando) optimam ita fore uictus formam assero. Nam si uice uersa feceris, priorem scilicet à principio nutrire aggressus: posteriorem uero ad 7. usque sine cibo seruare uolueris, trucidabis sane ante 4. diem utrumque. nempè alterum citissimè præfocabis, uidelicet primum: Alterius uerò uires prosternes. Maximè igitur distantes, & contrarias uictus rationes in his agnoscimus. Innumeras autem intermedias comperiemus, scopos commiscendo. In quas quidem mixtione plura, nec non ualidiora superabunt, tenuiusque cibandum, ubi primi ægrotantis scoporum numerus superabundabit, Contrà uerò crassiùs, ubi secundi ægrotantis scoporum numerus præualebit. magisque, ac magis, hic, & ibi, prout magis hi, uel illi dominabuntur: ualentiores autem scopi sunt duo, Morbus, & Virtus. Pro quorum omnium libramento, acutissima ingenii, iudiciique bilance, longoque exercitio indigemus. Vnum uerò demùm, circa hos omnes scopos, perpendendum, ex Galeno (in præallegato commento) est. Quoniam omnes ad uirium robur, seu imbecillitatem, presentem, aut futuram reducuntur. Idcircò Hippocrates cuncta uno uerbo comprehendere uoluit, dicens [si ualidus sit] uerbum siquidem unum est: sed ex omnibus quæ nuper dicta sunt, inuenitur. Quemadmodum uerò ad uires omnia coindicantia referuntur: Ita etiam ad morbi constitutionem, plurimùm faciunt, ut ex com. 12. primi aphor. primoq; ad Glauco. & pri. & sec. de differentiis febrium, & primo, & sec. de crisi didicimus. Duo igitur remanēt principalissimi scopi, pro totius uictus forma constituenda, ut in principio commenti duodecimi aphor. primi habetur, scilicet morbus, & uirtus, sub quibus alii omnes comprænhenduntur.

Communis autem nostri temporis, nostræque regionis consuetudo

Articulus quartus.

do est luxuriæ, crapulisque intantùm dedita, ut nunquàm ferè tenuissimus uictus, nedùm tenuissimus in extremo in usu sit. Dictum uerò iam suprà fuit, *d* quantùm ualeat consuetudo. Quantùm uerò hæc hodie à priscorum consuetudine degenerarit, quis est, quem latet? Hippocratis enim tempore, Eunuchi (ut idem ait *e*) podagra minimè laborabant, neque mulieres, nisi menstrua defecerint, *f* ob omnimodam uictus modestiam, tàm in cibi parcimonia, quàm in exercitationibus. [Nunc uerò non ita (Galenus ait *g*) propter immodicum ocium, & uictum intemperantem.] Pauloq; post, idem repetit. Aetate quidem Hippocratis pauci podagra laborabant, propter uitæ moderantiam: Nostris uerò temporibus, usque adeò auctis eduliis, ut nihil eis addi posse uideatur, infinita est podagrarum multitudo. Cùm nonnulli sint, qui nihil exercitantur, & cruditatibus, atque ebrietatibus offendantur. Et ante cibum assumptũ bibant uina potentia, ac Venereis utantur immoderatis. Nõnulli uerò, & si non in his omnibus, uno saltem, aut duobus ex iis, quæ sunt dicta, delinquant. Sed cùm peccatum fuerit magnum, sæpiùs in uno eorum, quæ diximus deliquisse, sat erit. Ob hanc igitur causam, etiam Eunuchi podagra corripiuntur, quamuis nullum habeant usum uenereorum.] Sic etiam quia parua erant delicta, quæ ætate superiore mulieres admittebant: *h* Ideò nec ipsæ, priùs, quàm menstrua defecerint, podagra laborabant. Nunc uerò ob delictorum in uictu magnitudinem, quædam podagra laborant, etiam antequàm menstrua deficiant. Propterеà quoque Hippocratis æuo, nemo ita est affectus (Galeni testimonio *i*) ut scilicet rigorem non consequente statim febre, passus sit. Quoniam nec adeò ociosi, nec in uictus saturitate, uiuerent. Indeque factum est, ut scripserint antiqui medici, Rigori febrem necessariò superuenire. Verùmtamen, tùm nos ipsi, tùm alii medicorum iuniorum non pauci, sæpenumerò uidimus rigorem, quem nulla secuta sit febris. Sic igitur Hippocratis ætate, magisq; ante ipsum modestissimè homines uiuebant. Deinceps uerò tam desidia, quã luxuria prius in Græcia, deinde apud Romanos (Celso *k* referente) corpora afflixerunt. Ideoq; multiplex ista medicina, neque olim, neque apud alias gentes necessaria, uix aliquos ex bonis, ad senectutis principia perducit. Indeq; apud Græcos aliquantò magis, quàm in cæteris nationibus exculta est medicina *l*. Verùm enimuerò Celsus, Galenusque, ac Seneca, multiq; etiam Romani & Græci ueterrimorum continentiam summoperè commendantes: sui tamen intereà temporis crapulas, uitiosumq; uictus regimen ingementes, maximè uituperant. At quis nostri æui infælicitatem non

d. cap. 3. scopo. 7.
e. 6. aphor. 28.
f. ibidem 29.
g. com. 28. circa prin.
h. ut com. 29.
i. libro de inæquali intemperie uersus fin. et uide pri. epid. commentario 3. com. 22. & secundi de differ. feb. cap. 6. & secundi de sympt. causis cap. 5.
k. in proœ. libri primi post prin.
l. ut ibidẽ in prin.

non fleret. In quo quidem non est, qui potiores esse Herculis ærumnas credat, sæuosque labores, & uenere & cænis, & plumis Sardanapali, siue Heliogabali. Sed intereà gustus elementa per omnia quærunt, ut dicere queamus [Arce sedet Bacchus, languet neglectus Apollo: Hic nihil aliud est uiuere, quàm bibere.] Nullus enim hodie inuenitur, quantumuis ex nimia plebecula, qui ciborum uarietate, ac uinorum quoque in eodem prandio uel cæna non gaudeat, ingluuiemque ad nauseam usque, repleat. Vnus quisque enim domi suæ in patinarum paludibus innatat, ac uitam uocat, uel saltem certè existimat, aliā non esse, quàm edere, & bibere. ut Gruis collum sibi dari, cum Philoxeno desiderent. ventriculumque in altero latere laqueis claudi, & aperiri posse. ut cùm libeat abstergere, ac insuauem eiicere, dulcioremque cibum ingurgitare queant. Nec satis innumera ciborum uarietate contenti, ollam denique, quam non temerè putridam uocant, inuenere. ubi frigida pugnant calidis: humentia siccis, Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus. Illud igitur in Sardanapali epitaphio scriptum canamus [Ede, bibe, lude post mortem nulla uoluptas. Heù mihi, quòd Galenus quanquam sui temporis consuetudinem tantoperè uituperat, *m* athletarumque ingluuiem, *n* & omni ex parte blasphemandam eorum uitā, quasi porcorum instar cœnosam, & nō nisi de tuburcinando, & ructibus cogitantem: Nihilominùs tamen ciborum uarietatem aliquandò uelut nocentissimam condemnans, præsertimque ubi uariis constent facultatibus. ut potè quæ ingesta ipsa probè concoqui prohiberet: obseruare tandem ait, maximè tùm eos, qui luctantur (Græcè γυμνάζεσθαι nuncupati, hoc est, qui se exercent) tùm qui legitimè ἀθλοῦντες, hoc est certantes, pugnantesve sunt, prandio siquidem, panem dumtaxat edunt: In cæna uerò carnem. At quis hodie dictum illud summi Redemptoris ad suum propositum extorquens non celebrat? uidelicet [Non in solo pane uiuit homo] uelut aliud uulgare axioma, [omnis repletio mala, panis autem pessima.] Quod nos ita intelligimus scilicet panis repletionem ideò pessimam esse, quoniam pauperrimum, & omni fortuna destitutum esse hominē præsefert, qui solo pane repletur, hoc præcipuè seculo, quo innumeris, diuersissimisq; cibis, quilibet, quantumuis pauper, se se, ingurgitando, infarcire conatur. Vides igitur quantò nos Galeno magis nostri sæculi corruptelam, communesque crapulas ingemere debemus? Antiqui Romani mensam necessariam uocabant, quæ tenuis esset, ac frugi. Et apud Græcos, literis clarorum uirorum decantata est ὀλιγοσιτία, quod est, pauca cibatio. Edendo scilicet (Socratis præcepto) ut

m. ubi supra scilice. sesti aphor. 28.29.

n. libro ad bonas artes exhortante.

o. primi de ratione uic. acut. com. 18. fosus finem.

Nota.

uiuamus, non quidem uiuendo ut edamus instar heluonum. Sed illud etiam meminerimus ab Historicis traditum, ex Magis olim quosdam, præter farinam, & olera in cibum nihil assumpsisse. Et Diodorū scribere, priscis Aegyptiis herbas, radicesque tantum, uictum fuisse. Ac Hesiodum monere, malua, & asphodelo uictitandum, Galenus testis est. a Quo item uictus genere contentum interdiù Epimenidē, Plato in legibus meminit. Apud quem Platonem, cùm aliquando cænasset Timotheus, atque ille suo more, parcum cibum apposuisset, ad suos post conuersus Timotheus, dixisse fertur. Quos cæna exceperit Plato, in posterum etiam benè habent. hoc innuens quòd nimiam repletionem aut ferculorum uarietatem, & copiam, ac opiparè conditos illos cibos, cruda consequitur coctionis molestia. vndè post obuius fortè Platoni. Vos ò Plato (dixit) in sequentem magis diem benè cænatis, quàm in præsentem. Plinius ergo rectè inquit. q [Homini cibus utilissimus est simplex, accruatio saporum pestifera, & condimenta perniciosiora.] [Quid autem sibi uoluit Natura (inquit idem Plinius) r his insidiis (scilicet uenenatum mel, atque apes, uenenatis cuspidibus præditas, generando?) subditque. Quid sibi uoluit, nisi ut cautiorem, minusque auidum faceret hominem?] Quanquam nihil hodie hoc est. Fungos enim auidissimè comedimus, etiam si multos quotidiè carmen illud canere audiamus. [Boleti lethi causa fuere mei.] ubi cibus (inquit f Hippocrates) præter Naturam plus ingestus est, morbum facit: ostendit autem & sanatio. Hinc Satyricus Poeta inquit [Circumsilit agmine facto: Morborum omne genus.] Ibi uerò tum, non culpam nostram agnoscimus, non crapulas, malumque in omnibus regimen: sed Deum potiùs crudelitatis accusamus. & cùm morborum semina tanto nobis impendio, tam magnis sumptibus nos ipsi comparauerimus, cladesque nostras ultrò alamus, ac patrimoniorum nostrorum dispendio morbos foueamus vt non temerè dicendum sit [Heu patior digitis vulnera facta meis] Tamen in aggeribus Ceruicalium prostrati, ubi manibus, ac pedibus, totoq; demùm corpore capti tenemur, uexamurque, & uariis cruciamur modis: Naturam incusamus, & Deo nostros dolores imputamus. Neque ,, enim aliud faciunt tunc Gulones, quàm illi apud Iuuenalem [Qui missum ad sua corpora morbum, infesto credunt à numine, saxa Deorū, Hæc, & tela putant.] Quanquàm inficias ire nequimus, ob nostra non nunquam peccata nobis Deum quàm plura mala non permittere modò, sed sanctissima iustitia utentem immittere. Sed ad nostrum iam propositum conuertamur.

a. secundi de alimen. facul. cap. 64.

q. libro XI. cap. 53. circa fin.

r. libro 21. cap. 13.

f. secundi aphor. 17.

Ob uitiosissimam ergo corruptissimamque nostri sæculi consuetudinem ac maximam ingluuiem, usque adeò uentriculi nauseabundi & cruditatibus infarcti sunt, in cuiuslibet materialis morbi, ac præcipuè putridarum febrium initiis, ut quàm primùm attenuare pernecessarium sit, quò tot, tantasq; cruditates possit uentriculus exquisitè cõcoquere, uel incidere, subtiliareque. & partim per superiora, partim per inferiora, expurgare. Impura enim corpora, præsertimque impuris existentibus uentriculis, quantò magis nutris (absque epicrasi, interpositisque uacuationibus, purgationibusque) tanto magis lædes. ut cum Hippocrate Galenus edocuit. *t* Deputato autem uentriculo, diminutisque, aut concoctis cruditatibus, corruptorum humorum copia super abundare adhuc solet, nostro ut diximus æuo, ac præsertim Panhormi, ob delicias, multaque conuiuia, & crapulas. Idcirco huiusmodi corruptionis ratione ex secundi aphor. 17. nutriendum uenit, non secùs ac si defectus esset. Hinc euenit, ut per triduum ferè, paulo'ue plùs, aut minùs, quantùm possibile pro uiribus est, ut plurimum abstineamus, tenuiterque diætemus, & tùm uomitu tùm clysteribus, tùm medicamentis quoque, nostro præsertim æuo inuentis leuioribus, minimeque cruda agitantibus (ut antiquorum medicamenta erant) sed uentriculi mesaraicarumq; uenarum fluxui paratos succos minorantibus, leuiorem Naturam reddamus, ultra sanguinis missionem circa principia quoque sæpenumerò necessariam. Deinceps uerò paulatim pro duabus, aut tribus uicibus (ne repentina fiat mutatio) ingrossemus. Nec enim conuenit iuxta inediã (uti Celsus *u* ait) protinus satietatem adesse. Haud quidem ut inde sic ingrossando magis, ac magis procedamus. Sed ita diætemus, ac si tertia, uel quarta dies illa prima morbi esset. in qua nihilominus die, siue tertia, siue quarta, iuxta præsentem dispositionem, præsentesque omnes alios scopos diætabimus, formamque diætæ ex uirium robore, morbique cõstitutione præfiniemus. Indeq; deinceps, pro uigoris propinquitate aut longinquitate paulatim, paulatimque uersus uigorem, magis, magisque, quantùm ad morbi rationem attinet, subtiliandum. Siquidem morbus ex illis est, qui materiam ad unam reseruant criticam expulsionem, temporaque trifariàm dicta, uidelicet quoad materiam, & quoad essentiam, ac symptomata concidunt, quemadmodum ex argumentis in oppositum elicitur. Etenim ubi post principia, quantùm ad materiam, causamque spectat, morbi essentia, & symptomata minuuntur (quemadmodùm u.g. in pleuritide contigit) tunc iam possumus, ex unanimi omnium consensu uersus uigorem, ac in ipso etiam

Medicorum peritorum nostri temporis consuetudo laudatur Cõcl. pri

t. secundi aphor. 10

u. lib. sec. cap. 16.

uigore, ingrossando procedere.ut in argumentis ante oppositum,probabatur, ut plurimùm inquàm circa principia, ueluti prædictum est, abstinemus, uacuamusque ob corruptam nostri sæculi uitam. Haud tamen perpetuum id esse debet, cùm multi nostro quoque æuo sobriissimi sint. Maximè uerò necessariam ut plurimùm esse statim circa initia purgationem,in Sicilia, & præ cæteris Panhormi, liquet expertis,ac præcipuè in æstate, aliter enim ad malignas sæpe numerò febres conuertuntur.

Gregario rum medi corum no stri tempo ris consue tudo uitu peratur.

Quicunque uerò huiusmodi omnia contemplari non ualent, Gregarii quidem,& omni ex parte deridendi medici indifferenter in omnibus aliis etiam prioribus morbis ingrossando procedunt. Quorũ indistinctum,omniique methodo ac ratione destitutum morem nunc uituperare intendimus.Crassius enim in septima, quàm in sexta post superfluam primorum dierum abstinentiam (unde repentinus insignis'ue quidam transitus Naturæ uiolentus factus est) crassiusque adhùc in nono, quàm in octauo, quantumcunque morbus in suo maximo sit uigore,ac symptomata fuerint sæuissima, diætant. Muliercu las sæpenumerò imitantes,quæ quùm uident intensissima symptomata,morbumque summum periculum minitari,etiamsi crisima sint illa, quæ superuenerint omnia, imbecillitati uirium attribuentes, assiduis cibationibus,& singulis ferè horis,ægrotos ipsos suffocant,Naturam à suo intento opere diuertunt, putredinemque ad mortem usq; adaugent.Quòd si ab initio statim tenuiter diætent,tertia tamen, aut quarta die repentè ad carnes,& uinum,absque ullo penitùs gradu pertranseunt.Vsque adeò uerò huiusmodi maledictus abusus increuit, ut sæpè me quoque ipsum tametsi inuitum ad largiùs, quàm uelim cibandum impellant,summopereque cogant, in ipso etiam morbi, ac symptomatum uigore.Nisi enim quadantenùs uulgò,mulierculisque crapulosis aliquid condonemus,indulgeamus,uel alio quàm primùm aduocato medico,nos tanquàm crudeles tyramnos, ut qui fame ægrotantes cruciemus, enecemusque,à curatione nostro cum dedecore eiicient.uel ipsæ clanculum uariis modis cibando illos strangulant. læsiones intereà cũctas uel ob cibi copiam aduenientes,nostrę potius fami,quam suæ importunæ repletioni ascribentes. Quòd si ad salutem ægri perducantur,tunc suas clandestinas cibationes reuelantes, inde incolumitatem nactos esse illos,gloriantur. Adeò ut medicorum honor semper in mari sit.Aliquid inquam mulieribus condonemus, in quibus omninò salutem speramus, uel eam ut dubiam habemus. ubi enim omnino disperatum ægrotantem nouimus, eum illis ueluti prædam,

dam, uel potiùs dixerim ueluti peram, sacculum'ue furibus continuò replentibus omittere consueuimus.

Articulus. 5.

Petronas autem, si nunc uiueret, maximam ab his laudem, atq; gratiam lucraretur. ut qui monstrosa uictus ratione, per immoderatam repletionem (Galeni *x* testimonio) utebatur, carnes assas administrans, uinum nigrum in his, qui acuta laborant febre. Quam tamen (uti Galenus ait *y*) uictus rationem nullus, qui animi consilia uerè per experimenta iudicat, reciperet. Erasistratus quoq; non paucam haberet gratiam apud nostros Idiotas, ut qui Hippocratem tanquam ægrotos suos fame necantem reprehendat *z*. Thessalus uerò ne numulum quidem. unà cum alijs quoq; diatritarijs medicis hodie lucraretur, ut qui Hippocratem tanquam nimio cibo suffocantem incusabant *a*. Diatriton præcipientes, hoc est omnimodam inædiam per tres dies ad quartum usq; *b*. Quo die primùm cibabant. Dein uerò, die quoq; tertio dumtaxat, ut sexto, octauo, ac decimo reficiebant: interim quinto, septimo & nono penitus abstinentes. Quam tamen uictus formam Galenus omni iam pręconio à nostris extollendus, uti monstrosam condemnat *c*. Cùm plurimos promptè ad tabem perducat, ac sæpenumerò dissoluto uirium robore, mortem aduocet, festinet'ue. Monstrosæ enim (Galenus *d* ait) alienæq; uerè sunt uictus rationes, tùm quæ per inediam fiunt summam, tùm quæ per repletionem immoderatam. Hippocrates uerò (quem nos æmulari intendimus) relictis mõstrosis, alienisq;, ad moderatiores se contulit. Moderatæ ergo (quarum meminit in acutis morbis) ab insignibus exhibentur medicis, erunt autem moderatæ ac symmetræ, quæ unicuique morbo iuxta ipsius formam, causasq;, ac symptomata, nec non uirium robur, aliaq; omnia coindicantia præscripta distribuuntur. Hæc igitur cuncta non perpendenda modò, sed memoriæ insculpenda sunt, ac perpetim præ oculis habendo.

x. primi de ratione uic. acut. com. 13. uersus finem.
y. ibidem. com. 17. uersus finem.
z. primi reg. acutorum com. com. 25. circa fin.
a. ibidem.
b. uide quarti meth. cap. 4. circa med. XI eiusdem cap. 6. circa prin. XI. eiusdem cap. 15. etiam circa prin.
c. primi reg. acut. com. 13. & locis ubi sup.
d. Ibidem. com. 13. uers. fin.

CAPUT SEXTUM, in quo argumentorum omnium ad utranque partem in capite primo propositorum solutiones enucleantur.



VERUM enimuerò præscriptis omnibus scopis adamussim, exquisiteque pensitatis, & ubi ubi oportuerit in memoriam reuocatis promptissimum euestigio fuerit, hinc & inde in medium adducta, nec non & adducenda argumenta dissoluere, pugnantiasque omnes conciliare. Ab Hippocratis

Ad primum argumentum. Ad authoritates ſex primas.

tis igitur authoritatibus exorſi, dicamus. inſimul ad primas quidem
ſex ita reſpondentes. Etenim illas quaſi in unum argumentum dire-
ximus, uidelicet quòd prius uacuandum, uel ſanguinis miſsione, uel
medicamento, uel clyſteri, deinceps cibandum. Sed in principio nō
poſſumus ſtatim hæc exequi. ergo donec uacuatio compleatur, ieiu-
nandum eſt: deinceps uerò cibandum, magiſq; ſi inceperit expurga
tio, eoque magis quò maior expurgatio fiat. Hæc inquam erat primi
argumenti uis. Pro cuius reſponſione, in memoriam reuocandi non
1 nulli ex prædeterminatis ſcopis ſunt. Imprimis ſcopus quarti capitis
2 ſextus, qui eſt plenitudo, ſeu cacochymia: deindè perpendendus ſco-
3 pus tertius eiuſdem, qui eſt fæcum diutina retentio. Poſteà uiden-
dus eſt quintusdecimus eiuſdem, qui eſt à ſymptomatibus, præſer-
timque à dolore ſumptus. Eo namq; infeſtante cum corporis plenitu
dine, aut cacochymia, uel fæcum abundantia, neutiquam cibandus
æger uenit, niſi præpurgatum corpus ſit, uel ſanguis miſsus, uel per
clyſterem uenter lenitus ſit. quodlibet horum, uel duo, aut omnia
tria neceſſaria uideantur. In omnibus uerò morbis, præſertimq; acu
tis, obſeruanda hæc ſunt, maximeque ut dolor priùs mitigetur, quàm
cibatio fiat. Prætereà rurſus in memoriam reducendus ſcopus primus
4 eiuſdem quarti capitis eſt, uidelicet morbi ſiccitas, uel humiditas,
5 ac mox ſecundus eiuſdem, hoc eſt morbi coctio, & cruditas. Vnde
iam edocti ſumus tutiùs nutriendum eſſe, ubi expurgatio inceperit,
tantoq; magis, ac magis ſucceſsiuè, quantò maior expurgatio, atque
etiam coctio fiat. Interim uerò te certiorem reddere uolumus ex ſex
6 to notabili ſexti articuli capitis ſecundi, intelligenda, quæ iam iam
prædeterminata ſunt, fore in morbis, qui ad una criſimam expul-
7 ſionem minimè materiam reſeruant. Quemadmodum v. g. in pleuri
8 tide contingit. Additis unà ſecundo, ac tertio tertii capitis ſcopo.
Quoniam ſcilicet in morbis id genus ſtatim ab initio tàm propriæ
eſſentiæ, quàm ſymptomatum uigor, atque excandeſcentia fit. Indeq;
paulatim remiſsio, ad iudicium uſque ſuccedit. Quemadmodum pri
9 ma morborum, ac ſymptomatum forma ibi præſcripta eſt. Qua de
10 re in his ingroſſandum rectè concluditur. Adiunctis quoque ad ex-
11 actiorem doctrinam ſcopis quarto, & quinto, atque etiam ſeptimo
quarti Capitis. quoniam ſcilicet morbi, ac ſymptomatum uigor eſt,
cruda interim exiſtente, nec non coctioni ſæpenumerò rebelli, ac
maligna ipſa materia: uentriculuſq; adhùc ex cibatione in ſanitatis
12 tempore, facta, repletus ſaturq; eſt. Noſtroq; præſertim æuo, ut in
ſexta ſecundi articuli, quinti capitis concluſione, atque rursùs per
totum

totum quartum eiusdem quinti capitis articulum, præostensum iam est. Quoniam scilicet crapulosè nostro hoc tempore uiuimus, ut nau seabundi circa morborum principia uentriculi sint. 13

Ad alias uerò confirmationis authoritates, sigillatim cunctas elucidando, respondebimus. Quoniam præter determinata, particulares quasdam aliquę sententias includunt. Septima *e* enim authoritas extra propositum est. Nam de cibatione loquitur, non ægrotantis uniuersali, neque particulari, sed conualescentis, per duos ab iudicatione dies. Vbi scilicet præteritis illis diebus, absque ulla periodi repetitione, securum iam est, non ampliùs ut ægrotum, sed ut conualescentem cibare. Sic tamen ut neque subitò, ac uniuersim fiat repentina mutatio. Mane igitur tunc sorbitio danda, uespere autem frumentacea cibaria: immò etiam carnes, paulatim, paulatimq; augendo, exhibenda sunt. pro cuius usu, septimus tertii capitis scopus in memoriam reuocandus, magisq; quarti capitis scopus duodecimus, qui à consuetudine sumuntur, speciatimq; ubi rectè, paulatimq; non repentè transmutandam esse consuetudinem declaratur, ex secundo de ratione uictus acutorum à tex 35. inde ad calcem usq; libri. Octauus Hippocratis locus ex secunda primi articuli quinti capitis conclusione, satis intelligitur. subintellecto interim 17. tertii capitis scopo, & quarti capitis decimo, quod est, si ualidus æger sit, ut sufficiat absque cibo, uel sorbitione ad octauum uel decimum usque, quod est post septimum, uel nonum perdurare. quod est post morbi iudicium, seu post morbi essentię, symptomatumq; uigorem, coctionis'ue incrementum. ut ex secunda secundi articuli quinti capitis conclusione didicimus. In memoriam reuocato sexto articuli sexti secundi capitis præposito notabili, unà cum secundo & tertio scopis, capitis tertii. Nonus uerò Hippocratis præassumptus locus, non aliter exponendus, quàm sex primi argumenti authoritates elucidatæ insimul sunt: seruato interim consuetudinis scopo, ne scilicet repentina mutatio fiat, perindè ac in responsione ad septimam authoritatem prædictum iam est. Nec aliud rursùs, ex decima Hippocratis authoritate concluditur. Quòd si Authoris quoque quarti libri de ratione uictus acut. loca perpendamus, aliam & à prædictis diuersam sententiam non habent. Quas ordine, quo præpositę sunt, diluemus, à prima exordientes, quæ ordine undecima erat. Intelligenda enim non secùs est, ac sex illę, quæ primum componebant argumentum. scopis omnibus iisdem consideratis, atque iis etiam, qui pro responsione ad octauam, nonam, ac decimam authoritatam præ

Ad confirmationem. Ad 7. *e. ex primi reg. acut. tex. 25.* Ad 8. Ad 9. Ad 10. Ad 11.

tacti

tacti iam sunt. Etenim priùs uacuare oportet, deinceps non nihil propinare. Idq; tenuissimum non in extremo, si uirtus ualida fuerit donec morbus, ac symptomata remittantur: adeò ut facilè spiret, facileque reuocetur, hoc est agiliter conuertatur, uel erigatur, dolorq; uel ablatus, uel nobiliter comminutus sit. Id quod præcipuè contingit cùm non nihil seruare inceperit, idq; concoctum, sed deinceps, ne repentina fiat permutatio, paulatim ingrossare oportet. Maximè quia coctionis signa augentur, faciliorq; fit expurgatio. Idcircò tantò magis augere oportet, quantò magis expurgatio fieret. Præter hæc uerò omnia, scopum etiam quarti capitis undeuigesimum perpendere oportet, uidelicet medicamenti potionem. Inquit enim [Nihilq;
Ad 12. dum purgabitur dabis.] donec scilicet suam expleuerit operationem. Ad duodecimam uerò authoritatem ita respondemus. ut in secunda primi articuli capitis quinti conclusione prænotatum iam est. Quoniam ex eorum numero casus legitimus est, qui quidem in septem diebus iudicantur. Quamobrem si ualida uirtus, sic (prout ex decimo septimo tertii capitis scopo habetur) solo utendum est melicrato. At si minimè sufferre queat, sorbitionem dabimus: Quinimò nostro tempore ob deprauatam hominum consuetudinem, uiribus imbecillibus etiam gallinæ ius, & aliquandò contusum propinabimus, Pro hac autem solutione in memoriam quoq; reuoces, quæ in respon
Ad 13. sione ad octauam authoritatem prædicta iam sunt. Ad tertiam decimam uerò authoritatem similiter respondebimus, in memoriam reuocantes ea, quæ in prima primi articuli quinti capitis conclusione dicta iam sunt, de morbis, qui quartum diem non excedunt. ut prima anginæ species est. Forti enim existente uirtute, non modò sorbitionem, sed melicraton quoque negare debemus, uictu extremè tenuissimo contenti. ubi uerò sufferre uires nequeunt, aqua mellis satis superque fuerit. Sin uerò secunda, aut tertia, uel quarta anginæ species ab Hippocrate descripta sit: ita obseruandum ut in secunda eiusdem primi articuli, quinti capitis conclusione, præostensum iam est, atque paulò ante in responsione ad duodecimam authoritatem, assumpsimus, uidelicet quia in septem diebus, quod longissimum est, terminatur morbus: Ideò uiribus existentibus robustis, solo utendum est melicrato. post iudicium uerò ad sorbitiones perueniendum. Ad decimam quartam authoritatem, quanquam Galenus ut
Ad 14. indefinitè, indistinctèq; scriptam condemnat: Nihilominùs tamen sic eam intelligimus, quod scilicet imprimis tertium quarti capitis scopum obseruarit. hoc est, ne aliquid ægro propinemus, priusquàm fæces

fæces retentæ iam, inclusæq; deiectæ sint, uel iam iam deuoratus cibus concoctus, digestusq; fuerit, descenderitq;, ut septimus eiusdem quarti capitis scopus præsefert. Deinceps uerò sextus eiusdem scopus, qui est plenitudo, seu cacochymia uacuationem indicans perpendatur, atque undecimus quoque, qui est materiæ inclinatio. Adeò ut priusquam ægro nutrimentum præbeatur, præuacuetur, iuxta humoris uergentiam corpus ipsum. Deindè nutriatur, paulatim scilicet ingrossando, iuxta secundam, ac tertiam secundi articuli quinti capitis conclusionem, quia morbus est ex eis, qui non seruant materiam ad unam crisim, neque trifariàm dicta tempora coincidunt, ut ex sexto notabili sexti articuli capitis secundi didicimus. Priùs ergo sorbitionem dabimus, potuiq; mulsam, deindè cibaria, coctosq; pisces ministrabimus, iuxta ea quoque, quæ in responsione ad sex primi argumenti authoritates præostensa iam sunt, uidelicet paulatim, paulatimque magis ingrossando, quò maior expurgatio fiat: symptomataq;, & præsertim dolor, comminuantur. In qua rursus authoritate aduertendum ex Græco est, quoniam dicit [ῥοφήματι πρῶτον, καὶ πόματι μελιμρήτῳ, ἔπειτα σιτίοισι] quod est [sorbitione priùs, & potione melicrato, posteà cibariis, &c.] è quibus non habetur, ut interpres uertit, quòd priùs sorbitionem, mox aquam mulsam, & tertiò cibaria &c. Sed quòd pro cibo sint sorbitiones, atque unà, si uehemens infestet siccitas, aut sitis, pro potu, aqua mulsa propinetur (potius ante sorbitionem, ut ex quarti capitis scopo primo apparet) secundò autem ad cibaria te conferes, ut in tex. etiam 25. primi (qui erat septima authoritas) habetur. Ingrossando igitur (ut patet) à purgatione facta procedit. Ad quintamdecimam uerò authoritatem dicendum quoque est, ueluti ad octauam, decimam, undecimam, duodecimam, & decimamtertiam. Indistinctè enim (uti *f* Galenus ait) pronunciatum est [sorbitionem dari nullo pacto posse, priusquam morbus ad maturitatem perductus fuerit.] Nam adiici debet scopus uirtutis, uidelicet si æger sufficere queat. quemadmodum ex decimo septimo tertii capitis scopo liquet, unà cum quarti capitis decimo, quod est præsertim si aliqua ex resoluentibus uirtutem causis non instet. Quinimmò omnibus scopis etiam rectè perpensis intelligendum id est, qui in secunda tertii articuli quinti capitis conclusione perlibrantur. qui omnes sub hoc uerbo includuntur (Galeno *g* docente) scilicet [si uirtus ualida fuerit] uel [si uirtus suffecerit.] Congruit uerò huiusmodi abstinentia, priusquam morbus ad maturitatem perductus fuerit, quoniam implacida febris est, inquieta, &

quarti libri de ratione uictus acutorum locus.

Ad 15.

f. com. 47. quarti eiusdem.

g. com. 44. primi eiusdem uersus medium.

fatis molesta, cum aliqua ex crassis succis phlegmone oborta, in aliquo ex uisceribus. Quam ob rem ultra septimam progredi non uidetur. Ideò procedendum solo oximelite, iuxta secundam primi articuli capitis quinti conclusionem, ob morbi acutiem, uehementiamque symptomatum, priusquam maturetur morbus, ac per hoc remitti iam inceperit. oximelle autem potiùs, quàm hydromelle nutriuit, ut crassos insimul succos incideret. Ad decimamsextam denique authoritatem sic dicimus, quòd illius libri author, siue (secundum plurium expositionem) de iis loquatur (Galeni etiam testimonio) *h* qui uentrem inferiorem calidum habent, dequibus præcedenti textu locutus fuerat. uexentq; etiam absque febre tormina, siue (secundum paucorum expositionem) seorsùm de aliis intelligat: ibi nec ingrossando, nec attenuando procedit, neque quod ad hæc attinet aliquo pacto intendit, sed cibis affectui contrarijs occurrit. quemadmodùm ex secunda conclusione articuli quinti, capitis secundi, de morbis immaterialibus, liquet. Priùs uerò purgandum corpus uoluit, lacte asinæ calido. Idcirco Galenus ait [Scopusq; his est, ut interdum quidem cacochymiam expurgent, interdùm uerò & contemperent, infrænentque. Interdumq; resiccent, & interdum refrigerent. Lac ergo asininum expurgare potest & contemperare &c.] Quò autem paulatim & non repentè tùm mutatio, tùm euacuatio fiat (ut in scopo quarti capitis duodecimo prætactum est) præcipit author ille, ut pauxillum priùs, & deindè sensim, paulatimq;, Græce [ἐκ προσαγωγῆς] plus bibat æger. Nihil ergo ad propositum de cibi ingrossatione, uel subtiliatione ex hac sextadecima authoritate elicitur.

Ad 16.

h. in com.

Has omnes authoritates clarioris doctrinæ, faciliorisque memoriæ gratia, in unum coaceruauimus argumentum pluribus authoritatibus Hippocratis tam legitimis, quàm nothis confirmatum. Ita & pro secundo argumento, Galeni loca sumpsimus, ubi seorsùm, & non ut interpres tantùm Hippocratis, ipse loquitur. Contenti uerò fuimus duntaxat tribus Galeni locis, quæ sigillatim nunc elucidemus. Ad primum ergo dicamus Galenum à uino abstinuisse, tanquam calido, nimisq; inflammante, ubi magnitudo febris obstat. Concessit uerò non temerè. primo si mediocris febris est, moxque si uires non ualidæ, tertiò adhùc si coctionis notæ apparuerint. Tribus enim his conditionibus seruatis, uinum permisit. Non quidem ingrossandi causa, sed ut medicamentum, ad aperiendum poros, attenuandumq; humores ipsos, calfaciendumq;, ut faciliùs concoquantur præsertim quia crassiores humores sunt, ubi mediocris febris adest (ut prima

Ad argumentū. 2.

Ad 1. authoritaté.

condi-

conditio erat) Ne autem aliqua ex uini potu noxa consequatur, pręsertim circa caput: Idcircò benigniorem, nedum mediocrem morbũ fore supponit (prout tertia conditio erat) Apparentibus enim coctionis signis benignior morbus est, uelut in secundo sexti articuli, capitis secundi notando tetigimus. Quam coctionem augebit uinum, calorem excitando, poros aperiendo, humores attenuando, ac uires etiam, præter ullum grauamen, refocillando, spiritusque augendo. Quę omnia, quantumcunque crassus sit uictus, nullo pacto efficere potest. Ideoq; Galenus idem alibi *i* ait. [Vinum exhibet, ut coctioni adiumento sit] pauloq; post [uinum omne habitum calefacit, magisq; quod uetus est.] Itidem quoque ad secundam authoritatem respondendum. In qua perpendendum adhuc est, de intermittente febre sermonem esse, in qua non in die febris, sed quietis propinandum est. Præterea quoniam biliosus humor in causa est, acrisq;, caput sæpenumerò tentans, idcircò, ne ob uini potum capiti maior inducatur noxa, unde dolorem, uigiliarumq; instantiam, forteque ob aliud periculosius symptoma, coctio impediri potiùs, quàm iuuari posset: propterea Galenus à uinis & satis uetustis, & quæ natura sunt calida, abstinens, aquosum, tenueq; duntaxat permisit, quod quidem quàm minimum nutrit, at urinam cit, ipsumque met celerrimè per urinam excernitur (eodem alibi *k* authore) Quamobrem magis hinc, quàm ex alia authoritate patet, non ob nutritionem, sed quandam leuiculam apertionem potiùs pororum, expurgationemq; propinari: Vndè & coctio iuuetur. Quocircà ab initio dum minùs cocta materia erat, paucum, ne nimium moueretur illa, magisq; fortassis incrudaretur. ubi uerò iam propè est, ut morbus soluatur, amplius est offerẽdum, ut sua apertione, motioneq; per urinam & expurgatione, non coctionem modò, sed ipsam quoq; euacuationẽ properaret. Ad tertiam uerò demùm authoritatem dicendum, quòd neque de ingrossando, neque de subtiliando, morbi temporum ratione, loquitur, sed symptomati succurrere intendit. Quod est, syncope, uiriumque præceps resolutio, ob prætenues succos unà cum cutis raritate, additaq; retentricis facultatis imbecillitate. Vndè astrictoriis unguentis densata cute, frigidoq; in aere cum degerit æger, cibos dandos esse Galenus subdit, qui non admodum promptè difflant, quasi uiscidam potiùs, glutinosamq; & crassam habeant substantiam. Quibus retenti humores, crassioresq; redditi concoquuntur. Non igitur (ut ait) aqua mulsa, nõ ptisanæ cremor, sed panis, & sorbitiones ex chondro, & fructus austeri dandi sunt, & cætera quæ subdit collaudans, ut

i. quarti de ratione uic. acut. com. 106.

Ad 2.

K. secundi aphor. cõ. 11. & 18.

Ad 3.

ouorum lutei, gallinaceorum lacte alitorum testes, cerebrum suillum benè coctum, & denique omni ratione agendum (uti subdit) ut & succorum materiam crassiorem reddas (sic enim huiusmodi materia concoquitur) & cutim denses, & exhalationem inhibeas. Quoniam uerò quæ calida natura sunt, uina, præsertimq; flaua, tenuia, & uetusta ad discutiendum idonea sunt, quibus utendum docuerat l in his, qui syncope, oppositam ob causam, laborant: uidelicet ob crassos, glutinososque succos, attenuatione, atque euaporatione, & cutis apertione indigentes. in iis uerò, qui ob prætenues succos, ueluti prædictum est, cutisq; raritatem, atque retentricis imbecillitatem, unà cum expultricis robore, in syncopem decidunt, attenuationem, raritatemq; & euaporationem adiuuando, in mortis periculum impellerent: Idcircò ab illis abstinens Galenus, nunc aquosum imbecilleq; admittit, ut quod cibum ad distributionem concitando, spiritusq; quadamtenus reficiendo, iuuamentum nocumento maius induceret. Quinimò prænarratis crassis cibis admixtum, eorumq; penetrationem, distributionemq; adiuuando, tantùm abest ut lædat, ut summoperè potiùs conferat. Quod si benè omnia successerint, etiam carnei aliquid nutrimenti dandum subdit. potissimum post quartum, utpote ualidiore existente uirtute, quoniam succi ad coctionem ueniunt. Qua de re nec ita difflantur. Idcircò poterit uirtus carnes coquere, ac distribuere. Vltra quòd diminuto symptomate, succis ad coctionem uenientibus, crassius etiam diætare licet. Hæc pro Galeni per se sumpti authoritatibus dicta iam sint. Quæ facilioris memoriæ gratia in unum, atque id ordine secundum argumentum ab authoritate sumptum congregauimus.

l. cap. 4. in prin.

Ad argumentũ. 3. Ad primã Authoritatem. Not.

Restat ut ad tertium quoque, quod Celsi quinque authoritatibus constat, enucleandum accedamus. Ad primum ergo locum dicamus, quòd Celsus Asclepiadis opinionem retulerat, qui quidem medicamenta sustulit (quibus datis antiquiores coctionem moliebantur) aluumque non totiès, sed ferè tamen in omni morbo, subduxit (quanquàm ueteres sæpius aluum subtrahebant]. Febre uerò ipsa præcipuè se, ad remedium eius, uti professus est (.q. d. febre utebatur Asclepiades ad remedium alui, hoc est, ad exiccationem, uacuationemque. Ideò non totiès aluum subduxit. Quo autem modo febre ipsa ad remedium repletionis alui utebatur, declarat Celsus subdens. [Conuellendas enim uires ægri putauit, luce, uigilia, siti ingenti, sic ut ne os quidem primis diebus elui sineret. Primis ergo diebus, tortoris uicẽ exhibuit. Vlterioribus uerò, cubantis etiam luxuriæ subscripsit (quem

admodum

admodum hodie noſtri quoque obſeruant). Subdit uerò ſuam ſententiam Celſus, quoad prætacta ſeptem. uidelicet primo quòad medicamenta, quibus coctionem Antiqui moliebantur. ſecundo quòad alui ſubductionem. tertio quòad uirium conuulſiones. quarto quòad lucem. 5. quòad uigiliam. 6. quòad ſitim. 7. quòad oris collutionem. Sic ergo ait. [Ego autem medicamentorum dari potiones (& hoc quòad primum) & aluum duci (hocque quòad ſecundum) non niſi raro debere concedo. Et id non ideò tamen agendum, ut ægri uires conuellantur, exiſtimo (& hoc quò ad tertium) quoniam ex imbecillitate ſummum periculum eſt. Minui ergo tantùm materiam ſuperantem oportet, quæ naturaliter digeritur, ubi nihil noui accedit.] q.d. tantum minuere oportet ſuperantem materiam, quæ à Natura diſcutitur, non adueniente nouo cibo. Id quod in eam ſententiam uenit, quam Galenus ſecundo libro aphoriſmorum habet, cum inediam ex accidenti euacuare oſtendit, dicens. [Dixi autem ex accidenti, quoniam non per ſe ipſam inedia euacuat, ut ſingula antea dicta. uerùm euacuatio fit modo naturali tranſpirationis: nullo uerò accedente alimento, in locum eius, quod fuit euacuatum, tunc ſenſu manifeſtè depræhenditur: Quæ tamen antea latuerat.] Subdit uerò Celſus [Itaque abſtinendus à cibo primis diebus eſt.] q.d. huiuſmodi per accidens euacuatio, quæ à Natura nullo nouo adueniente alimento, fit, primis dumtaxat diebus fieri poteſt, non quouſque uires conuellantur. Præterea in luce habendus æger, niſi infirmus, dum interdiù eſt.] (& hoc quoad quartum) q.d. in die, in luce ſtet æger, niſi imbecillis ſit. [Quòad ſitim uerò (quod erat ſextum) ſomnumque pertinet (quod erat quintum) moderandum eſt, ut interdiù uigilet: Noctu uerò ſi fieri poteſt, conquieſcat. Ac neque potet, neque nimium ſiti crucietur. os etiam eius elui poteſt (quod ſeptimum erat) ubi & ſiccum eſt &c.] Optimum uerò, (ut poſt aliqua ſubdit) medicamentum eſt, oportunè cibus datus, qui quando primò dari debeat, quæritur. Plerique ex Antiquis tardè dabant, ſæpè quinto die, ſæpè ſexto. Aſclepiades 4. At Themiſon ex pectato, poſtquàm leuata prima febris acceſſio eſt, die 3. uel etiam ſi noua acceſſerit febris, ulteriore die.] Diuinè autem propriam ſubdit Celſus ſententiam, dicens. [Nihil autem horum utiq; perpetuum eſt. Nam poteſt primo die, primus cibus dandus eſſe, poteſt ſecundo. poteſt tertio, poteſt nonniſi quarto, aut quinto. poteſt poſt unam acceſſionem, poteſt poſt duas, poteſt poſt plures. Refert enim qualis morbus ſit, quale corpus, quale cælum, quæ ætas, quod tempus anni. Minimeq; (in rebus multum inter ſe differentibus, quod intermittendum

m. com. 17. poſt memoriam.

„ non est) perpetuum esse præceptum temporis potest. In morbo, qui
„ plus uirium aufert, celerius cibus dandus est. Itemque ex eo cælo,
„ quo magis digerit, ob quam causam in Africa nullo die æger abstine-
„ ri rectè uidetur. Maturiùs etiam puero, quàm iuueni, Aestate, quàm
„ Hyeme dari debet. Vnum illud est semper, quod ubique seruandum
„ est, ut ægri uires subindè asſidens Medicus inspiciat. Et quandiù supe
„ rerunt, abstinentià pugnet. si imbecillitatem uereri cæperit, cibo sub-
„ ueniat. Id enim eius officium est, ut ægrum neque superuacua materia
„ oneret, neque imbecillitatem fame prodat.] Hæc Celsus, pluraque a-
lia sequentia. Qua quidem sententia mehercle diuinior dari nulla po
test, & quæ Hippocrati magis arrideat.. Nostræque etiam consuetudi
ni (quoad medicos loquor emunctæ naris, non uerò Gregarios) pro-

Ad primam. ut in quarto articulo quinti capitis, nos uberrimè declarauimus. Ab-
stinendum enim esse primis diebus uoluit, ut multis infarctus crudita
tibus uentriculus purificetur: deinceps uerò, siue secundo, aut tertio,
aut quarto die nutritionis modum, uel formam incipiendam suppo-
nit, siue ingrossando deinceps, siue subtiliando processura ea sit, pro-
ut in sexta secundi articuli, quinti capitis conclusione prædictum iam
est. Perpensis interim omnibus scopis, uidelicet uirtutibus, morbis,
temperamentis, anni temporibus, locis, & cæteris omnibus anteà in

Adnotatiá. tertio, & quarto capite declaratis. Quoniam uerò in pluribus, per tres
dies, solet uentriculus nauseabundus, ac ciborum cruditatibus plenus
esse: Idcircò in pluribus (ait) ad initium cibi dies quartus aptissimus
„ esse consueuit.] Perpetuum uerò non est (quem admodum præscri-

Ad secundam tertiamque. ptum iam est. Ex iis igitur, quæ prænarrata iam sunt Celsi sententia pa
tet, ac per hoc responsio ad secundam, & tertiam eiusdem authorita-
tem. Nec minùs ad quartam, cùm ait, quòd initia morborum famem,

Ad quartam. sitimque desiderant. Præsertim uerò pituitosi morbi, talem expetunt
ab initio abstinentiam, ut ad quintam denique authoritatem respon-

Ad quintam. deamus. illud semper in memoriam reuocando, quod in secunda au-
thoritate dicebatur, scilicet scopum uirtutis perpetuò seruandum. ut
ea robusta existente abstineamus: Cadente autem, ilicò reficiamus.
Condecens uerò est (ne repentina fiat à ieiunio ad satietatem permu-
tatio) iuxta inediam, sorbitionem potiùs, quàm solidum cibum adef-
se. A` qua mox deindè, pro morbi, symptomatum'ue ratione, uel in-
grossando paulatim magis, magisq;, uel subtiliando procedere possu
mus, vt in secundo quinti capitis articulo præostensum iam est.

Ad quartum argumentum. Sed Arabum Principis loca perpendamus, quæ numero nouem fue
rant, in unum uero argumentum (clarioris doctrinæ gratia) ordine
quartum

quartum ab Auicennæ authoritatibus ſumptum reduximus. Ad primam ergo eius, ac Pauli authoritatem dicamus, verum eſſe in principio paralyſis attenuandum, abſtinendumque fore, tùm ut fluoris uis arceatur (quemadmodùm in fine concluſionis primæ, articuli ſecundi, capitis quinti ſcriptum eſt) tùm ob uentriculi cruditatem (ut in ſexta cōcluſione eiuſdem ſecundi articuli habetur) tùm maximè quia peccans humor, qui morbi cauſa eſt, frigidus eſſe conſueuit, craſſusq; ac lentus, glutinoſus'ue, non tenuem modò, ſed attenuantem quoque uictum expetens. Factis autem nonnullis vacuationibus, exiccataque ventriculi cruditate, tenuioreque, ac pauciore iam reddita materia, tutiùs poſſumus paulatim, paulatimque uirium robur augere. Nec enim eſt, vt in ſtatu ſubtiliemus, cū nulla, quemadmodū in febribus, in ipſa etiam paralyſi criſis expectetur, Adeòvt inde ſcopus ille decimus octauus tertii capitis aduertendus veniat, qui eſt Naturæ occupatio, videlicet vt ipſam à ſuo coctionis munere minimè reuellamus. Non eſt (inquam) huiuſmodi ſcopus, ſed potiùs vbi ad vltimum peruenerit morbus, animaduertendum eſt, vt vires tunc roboremus, omnique ingenio euacuemus, tùm intrinſecùs deuoratis medicamentis, tùm balneis, frictionibus, inunctionibusque, tùm denique clyſteribus, apophlegmatiſmis, & huiuſmodi ſiue uniuerſalibus, ſiue particularibus euacuationum ſpeciebus. E' quibus quidem nonunnquàm paulatim, paulatimque attenuatur, diſcutiturque per halitum ſenſui occultum, ille humor, qui continens cauſa obſtructionis neruorum erat. Nonnunquàm uerò uſque adeò rebellis eſt, ut omnibus præſidiorum generibus medium unguem porrigat: nullo quidem affixo clauo tenacius inhærens. Quo in caſu, tam & ſi in uigore ſumus, quis eſt, qui longiſſimum fore morbum aduertens, forteque ad mortem uſque duraturum, uires non ſuſtineret, augeretque, ut per ſe, uel medicinæ miniſterio adiutæ, aliquandò morbum euincere poſſent? Sat igitur, ſuperque fuerit circa initia ſtatim, omni euacuationis genere, materiam reuellere, minuereque. Inter quas etiam ipſa inedia eſt, quantum uires ſufferre queunt. Deinceps uerò, minore iam facta materia, fluxusque impetu comminuto, paulatim, paulatimque ingroſſare poſſumus, eadem fere ratione (quantū ad materiæ diminutionem ſpectat) qua in pleuritide ingroſſando (quando expuere cæperit) procedimus. ut in ſecunda concluſione ſecundi articuli, quinti capitis decretum iam eſt. Nec ſecùs ad ſecundam Principis authoritatem dicendum eſt. Etenim ſi dulcis pituita ſuperabundet, ſpes eſt, vt aliqua eius portio (maximè quæ adhùc minimè putruerit) deficiente nouo cibo, concoquatur

Ad authoritatem primam.

Ad ſecundam.

tur, sanguisque (uti Galenus ait *n*) efficiatur. Quamobrem neque uirium robur effatu dignè debilitatur, neque morbus, ut puta cocta pituita, prolongabitur. Sin uerò uel acida, uel salsa pituita ad nutricatum quidem inepta febris occasio sit, abstinentiam quoque illæ primis diebus indicant, quanquam non adeò tantam: cùm neque in sanguinem uerti queant. Ob id tamen quia calorem naturalem obtundunt, quasiq; sub viridium lignorum congerie igniculum oppressum retinent, consumptionem remorantur tùm humidi radicalis, tùm spirituum quoque omnium. Abstinendum ergo primis diebus est, quò minuantur, attenuentur, discutianturque, uel expurgentur, præsertim, quæ in ventriculo sunt, cruditates, pituitæque, cuiuslibet speciei sint, tametsi magis in dulci, minùs uerò in aliis speciebus, uti prædictũ est.

n. secundi de ratione uict. acut. com. 39.

Ad tertiam.

Ad tertiam uerò authoritatem ipsius Principis eodem modo respondendum, ut scilicet circa principia attenuemus (eoque interim modo, quo uires conseruemus, uel parùm debilitemus) Quò depurato uentriculo, minorataque aliquantulùm materia, per cibi parcimoniam, quæ eo tempore medicamentis minorari nequibat, comminutisque, aut fortè concoctis multis, quæ per uenas disseminatæ fuerant, cruditatibus, agiliùs, expeditiusq; Natura posset peccantem humorem concoquere, uel ad coctionem incidendo, subtiliandoq; præparare. ut ex sexta secundi articuli quinti capitis conclusione liquere potest. Ac præsertim nostro hoc æuo, ut in quarto eiusdem quinti capitis articulo patet. Quæ tamen attenuatio cibi per tres hebdomadas non in omni quidem quartana facienda est. haud enim in ea, quæ aliis morbis, forteque etiam longis succedit, præsiccatum iam, ac malè tractatum ex præcedentibus morbis corpus, ac imbecilliores redditas uires, paucosq; reductos spiritus, hoc longa superueniente abstinentia prorsus diruere condecens est. Sed maximè ex parte de illis intellige quartanis, quæ incipientes sunt. Intelligendus enim Auicennæ, atque etiam Isaac *o* eandem sententiam habentis, sermo, quantùm ad ipsam quartanam febrem pertinet. Reseruato interim ipsarum uirium scopo, quod est, Nisi ex aliquo alio morbo imbecilles iam redditæ sint. Rarissimè autem præcedente alio quouis morbo, si immediatè quartana sequatur, fortes hæ reperiri queunt. Quamobrem non temerè addit princeps illa uerba [Præter destruit uirtutem.] Quis autem destrui uirtutem inficias ire potuit, cum defatigata iam, exolutaque ex diuturno quouis morbo, uel etiam acuto, si quartana superuenerit, iterum ad trium hebdomadum abstinentiam, attenuationem'ue reuertatur? Nec aliter ad quartam authoritatem de continua quar-

Nota.

o. libro 3. febrium. ca. de quartana.

Ad quartam.

tana

tana, atque etiam sextana, septena, & similibus respondendum. Ad quintam ergo permigremus. Etenim quia febres sanguinis, siue omotona, siue epacmastica, uel paracmastica, ex eorum morborum numero sunt, qui non ultra septimum absque crisi protenduntur, Idcircò uictus tenuissimus quidem, nō tamen in extremo præbendus est. quemadmodùm in secunda primi articuli quinti capitis conclusione dictū est. velut est aqua mellis, ita & Iulebum, succusque malorum granatorum. Verùm enim uerò quoniam sanguinis missione, pro illarum curatione, utimur, usque ad animi defectionem: periculum uerò est, ne inde in syncopen cadant ægrotantes: Idcircò succurrendum forè nulli dubium est. Succurrendum (inquàm) cum rebus tenuibus, iuxta illud [facilius est repleri potu, quàm cibo]. Quo circà Princeps ait [& succurratur ei, quod accidit de debilitate, & syncopi, cum cibo subtili] q.d. facillimæ coctionis, ac citissimæ nutritionis, instaurationisque. Quibus quidem reficere, ac recreare nequeuntibus, ad solidos etiam aliquos cibos, atque hos adhùc faciles, nutritiuosque deuenit: Nō ergo scopo à morbo uel symptomatibus, sed uirium, copiosissimeque euacuationis desumpto, sic nutriebat Princeps, uti præscriptū est. Ad sextam quoque, & septimam dicendum, quia phrenitis, & Angina, uel perperacuti, siue exactè peracuti morbi sunt, uel non exactè peracuti, immò aliqua phrenitidis species, exactè acutus morbus est. quemadmodùm suprà, ex prima, & secunda primi articuli, quinti capitis conclusione liquet: Propterea supponebant Paulus, ac Princeps in quarto die iam ad declinationem sæpenumerò peruenire, præcipueque acutissimam phrenitidem, primamque Anginæ speciem. Dùm ergo humores in fluxu adhùc sunt, quò suffocationis, mortisque periculum euitetur, omnes cum euacuatione reuulsiones, ac deriuationes faciendæ sunt, particularisque tandem euacuatio, uenis, quæ in fronte, uel narium cauitate ibi, hic uerò his, quæ sub lingua sunt, incisis. suppositis morbi, symptomatumque scopis, ut in secundo, & tertio, capitis tertii scopis patet. hoc est quòd febris, phlegmoneque tam cerebri, membranarumque, quàm gutturis. Itemq; delirium, ac strangulatio, non modò non augeantur, sed quadātenùs etiam comminui inceperint, perpensoq; rursus uirium scopo, uti prædictum est, in scopo capitis tertii, decimoseptimo: quoniam si perdurare absque cibo queant, nec aqua mulsa per quatriduum dabitur, At (uelutì in prima conclusione primi articuli, capitis quinti prædictum iam est) uictus tenuissimus in extremo adhibendus est. Quòd si mediocris phrenitis, uel etiam angina secundæ, tertiæ, uel quartæ speciei sint, quæ usque ad

Ad 5.

p. secundi aphor. XI.

Ad 6. & 7.

ſeptimum quoq; protelentur, uiribus exiſtentibus robuſtis, ſola mulſa, uel pauco ptiſanæ cremore utẽdum, qui eſt uictus tenuisſimus quidem, ſed non in extremo, ut ex ſecunda primi articuli, quinti capitis concluſione, apparet. Procedente autem declinatione, quò magis morbus, ſymptomataque, ac præſertim transglutiendi, uel reſpirandi actionis læſio diminuitur: eò magis ingroſſandum, ut unà ſeruetur ſcopus etiam duodecimus capitis quarti. uidelicet ne repente ex inedia, uel mulſa ad ſolidum cibum permutemus, pertranſeamusque. Idcircò priùs à mulſa ptiſanæ cremorem, poſteaq; integram ptiſanam, mox ſorbitiones ex chondro, ac deindè panem, oleraque, & fructus in phrenitide dederunt. In angina quoque poſt mulſam, ptiſanæ cremorem, ac deindè ouorum lutea perliquida, & ſorbitiones ex chondro præbuerunt. Subdit uerò de angina Paulus [ubi deuorare melius cœperint.] per quæ uerba tàm morbi quàm ſymptomatum, ac præcipuè læſæ deglutitionis inclinatio oſtenditur. Tunc igitur ſolidis etiã, craſsioribusque cibis utendum, qui ægri uiribus reſpondeant. Quantò autem fortiora extiterint accidentia (Princeps de angina ait) tantò magis ſubtiliandum. Recteq; idipſum (ut ex prædictis patet) edocuit. Quocircà non adeò tenuis in principio uictus eſſe debet, in ea phrenitidis ſpecie, quæ ad decimum quartum quoque extenditur. de qua in tertia primi articuli, quinti capitis concluſione prædictum eſt.

Ad 8. Ad octauam uerò authoritatem de pleuritide reſponſio data eſt, in ſecunda concluſione ſecundi articuli, quinti capitis, quoniàm ſcilicet in ea procedimus ingroſſando, tantò magis, quantò maior expurgatio, coctioque fuerit. Ab initio autem tenuiùs diætamus. Eandem uerò eſſe uictus rationẽ in ſeptimo, & nono, ex hoc elicitur loco, prout in ſecunda primi articuli, quinti capitis concluſione prædictũ iã eſt.

Ad 9. Ad Nonam denique Principis authoritatem non aliter reſpondebimus, quàm ad ſextam, & ſeptimam. prohibendus enim in omnibus incipientibus inflammationibus cibus eſt. quò defluxus minoretur, humoresque ad fluxum parati cohibeantur, atque interim uacuentur, reuellantur, deriuenturque. Quibus deindè peractis, paulatim ad cibationem perueniemus, tantoque magis, quantò ſecuriores de influxu fuerimus. Niſi alter deindè ſuccedat ſcopus ſcilicet morbi, ac ſymptomatum: etenim ſi ad ſuppurationem reuertitur morbus, tumorue, tunc, quia augetur dolor, & febris, aliaque ſymptomata increſcunt, ideo ad ſubtiliationem reuertendum. Quibus deindè comminutis, iterùm ingroſſandum, tantoque magis, quantò morbus, ac ſymptomata magis reclinant.

Sed iam tempus est ad Quintum argumentum accedere, quod è multis rationibus conficitur. Quarum primam diluere exordiamur, sic dicentes, Quòd neque à nobis determinatum est, semper attenuando procedendum, neque semper ingrossando, sed pro uaria morborũ natura, nõnumquàm à grossiori ad tenuiùs procedimus (ut in prima, quarta, & quinta conclusione secundi articuli capitis quinti prædeterminatum est) u.g. in morbis, qui à principio leuiores, deinceps uerò paulatim increscunt, & qui materiam ad unam reseruant crisim. Non nunquàm uerò econtrà, à tenuioribus, ad grossiora procedimus (ut in secunda & tertia conclusione eiusdem secundi articuli, atq; etiam conclusione sexta prædictum iam est) ultra quòd particulatim pro uaria scoporum indicatione, innumeræ solent uictuum uarietates adhiberi. Nihilominùs tamen in his, in quibus attenuando procedendum fore decretum est (ut ad argumenti formam deueniamus) & ratione eorum, quæ secundùm Naturam sunt, præsertim uirtutis, & ratione eorum, quæ sunt præter Naturam, subtiliamus. Ratione inquàm eorum, quæ sunt secundùm Naturam, ut conseruentur. etenim tametsi uirtus à principio ualida est, cibum tamen damus, quùm eo tempore leuior morbus sit, minimè cibationi repugnans, ut robustior reddita, uel in suo robore seruata, perdurare posteà, sine cibo, queat: Videlicet quùm morbus, ac symptomata cibum expugnantia increuerint, atque ad summum peruenerint. Quamobrem licet in statu ob euacuationes & intemperiem, laboresque multos, quos passa est, iamque actu patitur Natura, imbecillior effecta sit: quia tamen in principio grosšiùs diætauimus; ideò non adeò debilitatur, quin tot, tantosque labores, atque ærumnas sufferat. Quòd si tunc temporis cibare uoluerimus, adauctis propter cibum, morbo, ac symptomatibus, reuulsaq; interim Natura à suo intento opere, longè maius erit iuuamento nocumentum. Dum igitur in pace sumus, nutriantur milites, & inuadentibus inimicis, ad prælium prompti sint, sufferreque in bello ad uictoriam usque posint, nec uel præ imbecillitate decidant, uel ad edendum reuerti coacti, uictoriam inimicis dimittant. In principiis ergo cibamus, non ob præsentem, sed ob futuram, uel quæ aduenire in posterũ posset uirium imbecillitatem. Prætereà ratione eorum, quæ præter Naturam sunt, quandoq; attenuando prosequimur. uidelicet ratione morbi, atque etiam symptomatum. Indicatione enim ab his sumpta, quò maiora fuerint, sæuioraque, eò minus cibi indulgendum est: Et econtrà, quò imbecilliora, nec non remissiora morbus, ac symptomata extiterint, eò tutius, pleniusque alimentum iniungendum, ut in se-

Ad argumentum 5. Ad rationem primam.

Ratione uirtutis.

Ratione morbi & symptomatum.

cundo, ac tertio, capitis tertii scopis prætactum iam est, & in secundo quinti capitis articulo. Quanuis igitur uictui morbo contrarius esse debeat, Is tamen intelligendus oportuno tempore exhibitus, & quando prodesse potest, non quando nocumentum maximum est, iuuamentum uerò minimum, tùm quia morbus alia ratione, ac symptomata augentur, tùm quia Natura à suo intento opere reuellitur, ut in decimo octauo capitis tertii scopo præscriptum iam est. Quemadmodùm in illis contingeret morbis, in quibus ab initio crassius cibandum, deinceps uerò attenuando procedendum, declarauimus. Ratione autem causæ tametsi crudior in principiis materia, quantitateque copiosior est, minusque Naturæ subiecta, nihilominùs tamen minorem habēs putredinem, uel quantitate minor adhùc in affectum locum defluxa, imbecillior morbi causa est. Haud enim molesta est materia, quatenùs materia est, siue multa, siue maligna sit, sed quatenùs morbi causa est. Siquidem igitur in principio debilis, ut causa est, leuemq; adhùc morbum, undè & leuia symptomata consequuntur, inducit, minus inest, ut cibum (quantum ex se est) interdicat. Adde quòd neque statim prima ægritudinis die nauseantem, præteritumque cibum adhùc uomentem ægrotum nutrimus. Etenim abstinendum fore, impuro existente uentriculo, in primis primi quartique articulorum, capitis quinti conclusionibus, atque rursùs in responsione ad quinque Celsi authoritates ad tertium argumentum, & in responsione primæ, secundæ, tertiæ, & quartæ Auicennæ authoritatum ad quartum argumentum, enucleatum iam est. u. g. primo die, uel etiam secundo, ac tertio. Quo quidem interuallo plurimæ quoq; fiunt euacuationum species. Non pura autem corpora quantò magis nutris (non intermissis intellige κατὰ ἐπίκρασιν euacuationibus) tàntò magis lædes. Velut enim defectus adiectionem: Ita corruptio epicrasim (Galeno docente *p*) exigit. Est autem epicrasis (eiusdem quoque testimonio *q*) paulatim quidem uacuare, paulatim uerò aliquid reponere, atque instaurare. Sermo autem noster de uniuersali diæta est, non autem particulari. Quamobrem & de uniuersalibus temporibus intelligimus (ut in primo secundi notandi, capitis secundi determinatum est.) propterea confirmationes, tàm quæ ab authoritate, quàm quæ ab experimento assumptæ contra nos fuerunt, ut quæ de particularibus cibationibus, modoque, ac tempore usus uerificantur, nihil contra nos concludunt.

Ratio causæ.

p. primi aphor. com. 17.

q. noni. meth. cap. 10. in fin.

Ad secundam rationem.

Ad secundam uerò rationem dicendum, eandem non esse in omnibus rationem, de uniuersalibus, atque particularibus temporibus. Etenim multa sunt, quæ in uniuersalibus temporibus inueniūtur, multaque

taque etiam fieri queunt, quæ quidem in particularibus minimè inueniuntur, minimèque fieri possunt. V. g. in principio uniuersali nulla coctio fit, nec inueniri quidem potest. In particulari autem principio, sæpenumerò coctio etiam perfecta inuenitur, ut in principiis paroxismorum ipsius uigoris. Differentia. 1.

Itidem in uigore uniuersali coctio maxima est, maximeq; ibi perficitur. Quæ tamen in particulari uigore paroxismorum uniuersalis principii nulla unquam uideri potest, ut declarata hæc sunt in tertio notando, articuli sexti, capitis secundi. Præterea in principio uniuersali sanguinem mittere, ac purgare, quouis etiam propinato medicamento, aliasque multas euacuationum species facere possumus, iuxtà illud r [Inchoantibus morbis, siquid tibi uidetur mouendū, moue.] Quarum tamen nullam possumus in principio particulari paroxismorum exequi. Quemadmodum igitur in principiis uniuersalibus, multas uacuationum species, præsertimq; effatu dignas, tùm per sanguinis missionem, tùm per medicamenti sumptionem, ita & præpurgatum, præuacuatumq; hominem reficere, uiresq; roborare, decenter possumus. Haud igitur eadem uniuersalium, & particularium temporum ratio, proportio'ue est, nisi quoad definitionum modos. Atque hos ipsos, quoad morbi essentiam, quoad symptomata, & quoad caloris motum. Quantum uerò ad materiam spectat, differre prædictum est in tertio notando, articuli sexti, capitis secundi. Quòd si aliquo modo quoad quatuor tempora assimilantur, uniuersalia inquam, & particularia; rursùs tamen differunt, quatenùs uniuersalia quatuor ad summum sunt: particularia uerò periodorum tēpora, interdùm quinq;, interdùm uerò sex etiam ponuntur, quæ in uniuersalibus non sunt. ut anomalia, siue inæqualitas, atq; interuallum, sunt. Quę duo tempora inter uniuersalia, minimè inueniuntur. Quinimmò exquisitiùs perlibrantibus nobis, alia non parui momenti (quantùm ad præsens spectat) differentia inuenitur. Etenim nonnulla symptomata sunt in principio particulari, usque adeò intensa, ut cibum reclament, ut cordis morsus, animiq; defectus, quæ non sic in principio uniuersali conspiciuntur. Rursusq; in principio particulari, suffocationis, strangulationisq; (ob materiæ cruditatem) symptomata, cibum prorsùs intercedentia sunt. ut grauissimus somnus, calorisque, ac pulsus contractio. Quæ non ita in uniuersali principio euidenter apparent, maximeque in declinationibus, aut interuallis particularibus ipsius principij uniuersalis. Quis enim in declinatione, uel interuallo (in quibus temporibus particu-

2
3
r. secundi aphor. 29.
4
5

latim

latim cibandum fore supra in decimooctauo scopo capitis quarti enu cleauimus) cibum non permitteret? at ueluti in principio particulari abhorreret? Sed teriam rationem elucidemus, sic dicentes, quòd calorem naturalem augere oportet in febribus frigidis, ubi scilicet calor ipse naturalis imbecillis est, humorque frigidus & humidus, ut pituita, uel frigidus & siccus, ut melancholicus humor est. Quam obrem in febribus, quæ ex his succis generationem habent, calorificis medicamentis, electariis, inunctionibus, exercitiis, frictionibus, calefacientibusq; balneis, excitandus calor natiuus, augendusque est. Vnde Aristoteles dicebat f, [Quartanis febribus ratio uictus extenuanda non est, sed ignem corpori interserendum. nec non & exercitatione utendum, & qua die accessio instat, lauandum, somnumq; minimè quærendum. Huic uictus calfaciens prodest, quia febris quartana imbecilla est. Nam nisi imbecilla esset, quartana non fieret. Vides ne, quàm ubi multus ignis perflagrat, lucerna suam asseruare flammulam minimè queat. Multus enim ille exiguum ad se rapit. ergo multum ignis accendendum in corpore est, ut quod exiguũ febris continet, restringatur.] Quasi dicat, cibis, atque his quidem calefacientibus, excitandus, augendusq; natiuus calor est, hoc est, augendi sunt uitales spiritus, roborandique, nec non & radicale humidum fouendum, spiritusq; animales regenerandi, atque insiti, hectici'ue recreandi. Quæ omnia tàm scilicet uitales, animales, & hectici spiritus, quàm radicale humidum, innati calidi subiectum sunt. Roboratis ergo his, auctisq;, necessum est qualitatem quoque innati caloris augeri. Subiectum uerò extranei caloris, aduentitiiq; humores putridi, ac putridæ fuligines sunt, quos putrescentes succos, suasq; fuligines discutiet, concoquetq;, ac omninò superabit natiuus calor, à cibis (uti prædictum est) adiutus, roboratusq;, & quasi excandescens excitatus. Quanuis enim febris ex conuersione fiat natiui caloris in igneum: adeò ut idem numero calor sit naturalis, nunc in igneum aliquo modo conuersus, quoad qualitatem spectat: Idem quoque subiectum, quod febriens dicitur, ut pote animatum, uiuensque existens: Nihilominùs tamen à diuersis radicibus oriundi sunt. Natura enim Naturæq; amica qualitas, immò (secundùm Hippocratis, & Galeni dogmata) ipsamet Natura existens, temperata est ex semine, ac menstruo sanguine originem ducens. extranea uerò, præter naturalisq; portio ex distemperantia humorum, putredineq; ortum habuit. Quę illi naturali adiuncta, atque in unum reducta, gradu dumtaxat adaucto distemperantiam, ac præter naturalitatem, sæuitatemq;

Ad tertiã rationem.

f. 1. proble mat. 57.

tatemq; appoſuit. Aucta igitur, inſtaurataq; natiuæ qualitatis radice, putreſcentes humores, quę radix erant extraneæ qualitatis concoquentur, ad benignum aliquandò reducentur, attenuabuntur, ac tandem uel per halitum ſenſui occultum, uel per aperta loca euacuabuntur. Id ipſum uerò fuerat, quod Ariſtoteles in præaſſumptis uerbis intendebat. Quamobrem ſic deniq; concluſit. [Sit igitur quotidiani uictus ratio, quæ partim ignem (hoc eſt caliditatem), partim rorem (hoc eſt humiditatem, ob humidi radicalis inſtaurationem) indat in corpus.] At quando magis releuandus, excitandusq; natiuus calor, aduerſus frigidum humorem, quàm ubi frigidior, crudiorq; humor ille eſt, calor uerò ſubmerſus, impeditusq;, & imbecillior, humoris reſpectu exiſtit? Cuiuſmodi in principio uniuerſali apparet. Etenim in uigore ualidior extraneus calor eſt, humorq; tenuior, frigidusq; minus. Idcircò calfacientibus uſque adeò incendi poſſet, ut ex immodica intemperie, imbecillior uirtus fieret, forteq; etiã perderetur. ultrà quòd eo tempore iam dominatur materiei natiuus calor. Quamobrem non eſt, ut eam ab intento complementi coctionis, ſegregationis, atque expulſionis opere reuellamus, neque dùm præter neceſsitatem augere ipſum uelimus, præter naturalem potiùs excitemus, flammamq; præter naturalem excandeſcere facientes, naturalem ab hac rapi, extinguiq; occaſionem præbeamus. Qua etiam ratione, multò magis à cibo, & præſertim calido in bilioſis febribus, comburentibusq; abſtinendum eſt, omniumq; maximè in ſtatu, vbi mortis periculum potius, quàm aliquod iuuamentum induceret. Ad quartam autem rationem dicendum, diætam illam eſſe (ut aliqui uocant) tentatiuam. Haud enim præfinita diætæ forma eſt, uel ingroſſando, uel ſubtiliando procedens. Sed quùm ignorauerimus ægritudinem, Naturæ dimittimus, ut pugnam ab initio ſtatim commoueat. Aut enim ſuperabit, aut manifeſtabit. Qua manifeſtata, ſtatim uictus formam præfinimus. Quamobrem perbellè Galenus t ſolutionem docuit, dicens ex Hippocratis ſententia, ſinendum, donec, qualis nam ſit febris, cognoſcamus, & tunc uictus formam pręfinire.] quod eſt, tunc ſiue tenuis, ſiue craſſus uictus congruat, indeque ſiue ingroſſando, ſiue ſubtiliando procedendum ſit, determinare. Ad quintam uerò rationem imprimis dicamus, eam in pluribus, tametſi non ſemper uerum concludere. quemadmodùm in prima quarti articuli, capitis quinti concluſione præoſtenſum iam eſt, & rursùs in reſponſione ad tertium argumentum, quod ex quinque Celſi authoritatibus conſtabat. Iterumq; in reſponſione ad quartum argu-

Ad quartam rationem.

t. quarti de ratione uict. acut. com. 52.

Ad 5.

argumentum, pro intellectu primæ, secundæ, tertiæ, & quartæ authoritatum Auicennæ. Abstinendum nanq; primis fore diebus, decretũ est, donec uentriculus, tàm uomitu, quàm ieiunio expurgetur: indeq; uictus ratio præfinienda. Est autem septimus scopus capitis quarti, qui dicitur [uentriculi plenitudo] Quam nostro præsertim æuo, celebrare oportet. quemadmodum per totum quartum articulum quinti capitis uberrrimè præostensum est.

Ad 6. Ad sextam rationem dicendum Hippocratem de euacuationibus intellexisse insignibus, & quæ per se, & non ex accidenti, quemadmodum inedia, euacuant. sunt autem inter eas maximè (Galeno u docente) uenæ sectio, nonnumquam uerò & purgatio. quorum nihil oportet morbo iam consistente adhibere. Si ergo Hippocrates inter motus, seu uacuationes in principio faciendas ipsam quoque subtiliationem intelligeret, in statu autem per quietem intelligeret ipsam cibationem: id quidem illis aphorismis repugnaret, in quibus habetur quòd [ubi morbus in suo uigore constiterit, tunc uictu tenuissimo utendum x.] Alteriq; dicenti [In ipso consistendi tempore, & parum ante illud cibus subtrahendus.] At quomodo motum cibi subtractioni, quietem uerò, cibationi ascriberet Hippocrates, siquidem cibatio potiùs labor est, inedia uerò quies, ocium'ue y ut ipsemet secundo de ratione uict. acut. edocuit z. uerùm enimuerò estò quòd de cibationis etiam abstinentia, sub motione in principio facienda intellexerit, non ne ait [Si quid tibi uidetur?] Non ergo semper mouendum, neque semper ieiunandum præcepisset, sed cùm tibi uidetur. Id quod in casibus dumtaxat prenarratis uidebitur, scilicet ubi morbus incognitus sit. Item ubi nimia uentriculi cruditas adsit, uel fluentis ad quampiam partem humoris impetus in principio abstinendum. quemadmodum & in his morbis, de quibus dictum est in prima conclusione primi articuli, capitis quinti (quanquam in his casibus, cibandum in morbi uigore non est) prætereà in principio abstinendum, in uigore autem cibandum, in his dumtaxat uidebitur, in quibus trifariam dicta morborum uniuersalia tempora non coincidunt. prout in secunda, tertia, secundi articuli conclusionibus capitis quinti præostensum iam est. Sed alia cõtemplemur.

u. secundi aphor. 29.
x. primi aphor. 8.
y. Ibidem. 10.
z. tex. 50. & 51.

Ad. 7. Ad Septimam ergo rationem dicamus à morbi temporibus secundùm se, nullam sumi iudicationem, nisi quatenùs dispositionis diuersitatem præseferunt. Sic enim uigesimum secundum quarti capitis scopum intelleximus, sic quoque per totum hunc sermonem ab initio ad calcem usque, perpetim temporum indicatione accipimus.

mus. Non igitur à tempore quatenùs tempus est: sed à morbi essentia, materiaque & symptomatibus secundùm illorum in talibus tempori bus diuersitatem. Itemque à uiribus, cæterisque aliis omnibus scopis indicationes, non pro uictus tantùm ratione, sed pro medicamentis quoque, ac sanguinis missione, & demum pro omnibus præsidiorum generibus assumimus.

Ad octauum denique rationem de paracmastica febre dicendum, uerissimum esse quod dicitur, uidelicet ab initio ad finem, ingrossando nonnunquàm procedendum fore. iuxta tertiam secundi articuli, capitis quinti conclusionem. Quoniam scilicet morbus declinando procedit. Quanuis enim forti existente uirtute, solo utendum esse melicrato, prædictum sit in secunda primi articuli, capitis quinti conclusione: Nihilominùs tamen solo utentes melicrato, ingrossare possumus hoc modo. quia priùs, nil penitùs detur. deinceps pauca melicrati quantitas. tertio maior. & posteà frequentius adhùc propinetur. Sicut etiam eadem uictus forma seruetur, quantitas tamen mutetur, quia augeatur. Sed iuxtà uarios quoque scopos, quemadmodùm & in aliis morbis uariari cibatio potest. Quòd si in hac febre ingrossando procedimus: an sic in epacmastica, cuius forma è regione illi aduersa est, ac per hoc etiam uictus ratio? Præterea si in paracmastica ingrossandum, in epacmastica uerò subtiliandum. An sic in reliquis etiam morbis procedendum fore concludendum est? Mehercle non eadem in omnibus diætandi forma præcipienda: sed ueluti per totum ex pluribus scopis, præcipueque capite quinto decretum iam est. Ad 8.

Ad argumenta in oppositum.



ELIQVVM est, ut argumenta in oppositum facta diluamus. A primo exorsi, quod è duodecim Hippocratis authoritatibus conflatum est. Quarum prima, secunda, tertia, & quarta sunt ex libro primo aphorismorum. Vbi expressè subtiliando procedendum fore docuit. Cuius sententia generatim priùs, deinceps uerò specialiùs elucidetur. Generatim inquàm. Etenim in omnibus, siue reseruantibus, siue non reseruantibus, materiam ad unam criticam expulsionem, quò magis, magisque augetur morbi essentia, symptomataque, eò magis, magisque attenuandum est. Quem in modum loquitur in primo aphorismorum libro. Speciatim uerò de eis intellexisse Hippocratem in aphorismis dicendum, quibus trifariàm dicta tempora coincidunt, materiaq;

Ad argumentum primum. Ad 4. authoritates primas.

materiaque ad unam crisimam seruatur expulsionem. Quemadmodum in prima secundi articuli, quinti capitis, atque etiam quarta, & quinta conclusionibus uberiùs præostensum iam est. Nec aliter ad quintam authoritatem, usque ad duodecimam respondendum est. Nihilominùs tamen idipsum pernotando. Quoniam Hippocratis æuo propter ordinatissimam, ac omninò parcam uictus rationem necessaria non erat illa circa principia statim facta abstinentia, qua posteriores uti cæperunt. prout in quarto articulo capitis quinti uberrimè declarauimus. Ea propter tantoperè illam Hippocrates uituperat. Nisi ob morbi acumen statim ab initio aduenicns, contrario modo (ueluti præscriptum est) diætandum sit. Nostro autem æuo abstinendum ab initio statim, ob immodicas uentriculi cruditates, decretum iam est. Quanquam nec ita abstinendum præcepimus, ut Hippocrati aduersemur. Omnimodam enim inediam ille uituperat, atque repentinam in de mutationem ex triduano ieiunio, uel quatriduano, pluri'ue, aut minore, ad cibationem. Eò peiorem, periculosioremque esse dicens, quò ad crassiorem uictum repentina mutatio facta sit. Nos autem rarissimè primis illis diebus cibum penitùs interdicimus, sed attenuamus, sorbitionemque solam, atque hanc paucam præbemus, donec uentriculus depuretur. ueluti sæpiusculè repetitum est. Repentinam quoque inde mutationem à Gregariis mediculis obseruatam in secunda quarti articuli conclusione, capitis quinti reprobauimus, unà cum his, quæ dicta sunt in prima quarti articuli eiusdem quinti capitis cõclusione, atque etiam in responsione ad septimam Hippocratis authoritatem ad primum argumentum, ac prætereà quæ in responsione ad Celsi authoritates in tertio argumento factas. Itemque ad tertiam Auicennæ authoritatem ad quartum argumentum. & in solutione primæ rationis, ratione causæ, & quintæ rationis, quæ ante oppositum facta argumenta, rationesque fuerunt. Præter quæ insuper aduertendum est, circa Hippocratis sententiam cùm in tex. uigesimo secundi de ratione uic. acut. ait, ex sanorum hominum uictu disciplinam faciendam, quę conferat. Nam si sanis repentinæ mutationes ipsius uictus ad contraria, læsiones afferunt, ut cum eo Galenus etiam ait, multo magis ægrotantibus nocebunt. Intelligendum nanque est de mutatione illa, quæ ex longa inedia in cibationem repentè fit. Nam hæc & sanis, & ægris, sed ægris magis quàm sanis obest. Ea uerò quæ ex cibatione ad inediam repentè fit, magis quidem sanis, quàm ægris sæpenumerò nocet. Quinimmò tantum abest, ut ægris aliquandò obsit, ut summoperè potiùs conferat. Velut in illis contingit, qui pleni, saciique, ac multis cruditta-

Ad 5. & sequentes usque ad 12. authoritates.

ditatibus infarcti doloroso aliquo affectu, uel acutisſimo, maximeq́ pleuritide ægrotare cæperint. Repentè enim ad inediam pertranſire neceſſum eſt. Deinceps uerò, cùm iam expuere ceperint, doloresque, ac ſymptomata quadantenùs pacari, paulatim ad ſorbitiones, nutritiones'ue permutari debent.

Ad ſecundùm ergo argumentum quod ex duabus Celſi authoritatibus conſtabat, ſic reſpondendum quoque eſt. uelut iam iam ad Hippocratem diximus. Etenim de peripeumonia, quod eſt, pulmonis inflammatione in prima authoritate loquitur, priùs quàm aliqua humoris ad pulmonem defluxi expurgatio fiat. uelut ergo morbi eſſentia, ac ſymptomata increſcunt: Ita operæpretium eſt uictum attenuare. Nec aliud in ſecunda authoritate uolebat Celſus, quàm id, quod ſæpenumerò prædictum iam eſt, ubi ſcilicet morbus, ac ſymptomatum uehementia infeſtat, minuendum cibum eſſe. Ad argumentum ſecundũ. Ad primam authoritatem. Ad 2.

Eadem igitur ratione tùm Galeni, Paulique, & Aetii, tùm Principis quoque, cæterorumque Arabum loca intelligenda ſunt, uidelicet in his, in quibus ab initio leuis morbus, ſuis cum ſymptomatibus eſt, diætandum fore craſſiùs, deinceps uerò quò magis magisq; ſæuiunt morbus, ac ſymptomata, eò magis, magisque attenuandum. Adeò ut tertium, quartum, quintum, & ſextum argumentum, quæ ab authoritatibus Græcorũ, atque Arabum ſumebantur ſoluta iã, expoſitaq; ſint. Ad 3. & 6. argumentum. Ad 4. & 5. argumentum.

Reliquum eſt ut ſeptimum diluamus, quod ex quatuor rationibus conflatum eſt. Ad primam ergo rationem dicamus, quòd tametſi repentina mutatio Naturæ moleſta eſt, ac difficilis, in memoriam tamẽ reuocare oportet aliam ſententiam, *a* quæ extremis morbis, extrema exquiſitè remedia adhibet, extremæq; repletioni, extremam quoque euacuationem oportunam eſſe decernit. *b* Vnde ubi uſque ad animi deliquium expedit ducere, faciendum, ſi æger poteſt tolerare. *c* Quamobrem Galenus non ſemper à leuioribus inchoandum fore uoluit. *d* Vbi igitur uel immodica infeſtet uentriculi cruditas, ac nauſeatiua inſtet repletio, Quis uẽtriculum priùs non depuret, quàm ut eueſtigiò corrumpatur, cibum ingurgitaret? Præterea ubi ſtatim floret, uigetq́; morbus, ut prima eius forma ſuperiùs declarata fuerat, quis eum cibis ſtatim foueret, augeretq́;, ac per hoc magis ut inimicus Naturam affligeret, quàm ut amicus eam adiuuaret? Duabus igitur ſibi inuicem aduerſantibus indicationibus, uel etiam pluribus, ad eam, uel eas intendere oportet, quæ magis important, maiorisque momenti ſunt. Quamobrem uel naſuti, emunctæque naris medici noſtri temporis, perpenſa hominum conſuetudine, crapuloſoque uictu (quem- Ad 7. argumentũ. Ad rationem primam. *a. primi aphor. 7.* *b. tertij art. med. tex. 60.* *c. primi aphor. 23.* *d. 5. meth. cap. 25.*

admodum in quarto articulo, capitis quinti prædictum est) ad integram prorsùs inediam trium dierum, etiam si morbus sit perperacutus, ex eorum ordine, qui in prima conclusione primi articuli, quinti capitis declarati sunt, rarissime deueniunt. Longè maior enim est nostro tempore Naturæ mutatio, atq; afflictio, quàm tempore antiquorum. Ideoque uictu tenuissimo, non tamen in extremo, uel exquisitè tenui, pro integra priscorum inedia, perperacutos diætare necessum est. Huiusmodique uictu etiam, pro illorum inedia, uentriculi cruditates, nauseasque placamus. Adde quòd nostro tempore inuentis leuioribus medicamentis, uentrem purgare, atque ad cibationes habiliorē reddere citiùs possumus. Cuius ratione sæpenumerò (tametsi deprauatus, & priscorum dogmatibus aduersus prima fronte, recentiorum doctorum inquàm, uictus apparet) exquisitiùs tamen perpendentibus, pro diuersis scoporum indicationibus, rationabilis ille esse inuenietur. Quas obres mirum esse nostris discipulis, nobiscum quotidie in ægrotantium curationibus conuersantibus minimè debet: si in his etiam affectibus, in quibus ingrossando, siue subtiliando ab initio ad finem usque procedendum esse declarauimus, Nos tamen sæpè ordinem, in medio itinere interrumpamus, nunc quidem magis, nunc uerò minùs, quandoque grossiùs, quandoq; tenuiùs diætantes. Etenim ob aliquem imminentiorem scopum, ut præsertim ille est, qui est uirtutis, sæpè nunc interrumpere, nunc reassumere præfinitum ab initio uictum, operæpretium est. præsertim in morbis (ut ita dixerim) intercalaribus. Qui quidem uno, aut duobus diebus uehementer affligunt: Totidem uerò deindè plus, minus'ue, remissiores redditi, ob aliquam fortasse uacuationis speciem, siue sponte, siue arte factam, ægrū quiescere permittunt. Sicque deinceps sæpenumerò permutant, quemadmodùm, & in ipsis intermittentibus contingit. Itaque in his uictus formam uariare necessum est. etenim abstinendum afflictionis hora: permittendum uerò quietis, remissionis'ue tempore. Sic dum peracuti symptomata existunt, peracuti diæta congruit: Dum uerò mitiora sunt ea, morbusq; remissior, tantum cibi indulgebimus, quantò morbus extremis mollior est. Indicatione inquam à morbo, symptomatibusque sumpta. Quæ omnia Medici doctrinæ, ac iudicio remittenda sunt. Quoniam uerò exquisita, certaque cibi oportuna quantitas sciri nequit, nisi iudicio coniecturatiuo ueritati propinquo: Idcircò Hippocrates inquit e [ciborum adiectioni intendendum multò minùs.] [Cognoscens enim (uti Galenus in commento ait) præsidiorum singulorum quantitatem artificiosa egere coniectura: Artificiosè autem coniice-

Nota.

e. secundi de ratione uict. acut. tex. 37.

coniicere, uiri esse, qui uires omnium, quæ in arte sunt didicerit (ut qui perspicaci magis pollet sensu, quemadmodum commento præcedenti dixerat) memoriæ mandauerit (ut qui memoriam » tenaciorem habeat) atque diligentia omni adhibita se se in ope- » ribus exercuerit (ut qui laboris amantior extiterit, exercitatiorque) paucique tales existant: iure optimo quæ præsenti inquam » dictione referuntur adscripsit, in quantitate ipsa, ad id quod mi- » nùs est, procedendum esse, magis, quàm ad id quod exuperat, ubi quis à iusto modo abscedit, admonens (quasi d. quoniam impossibile, aut sanè difficillimum est certam rei mensuram exquisitè, atque adamussim (ut oportet) cognoscere. Certa enim rei quantitas, nec calamo scribi, nec lingua proferri potest. Vndè uel sola hæc artem nostram coniecturalem facit, ut in libro de ratione curandi per sanguinis missionem, cap. 12. habetur. Quoniam inquàm ita difficile est: ideo Medicus in tali coniectura, sæpenumerò errare potest. » In tali igitur casu melius est per minus errare, quàm per maius.) Nè- » pè (subdit Galenus) quod plus est, exuperatq;, noxas interdùm in- *ibidem.* emendabiles facit. Verùm quod minus est, facilè emendatur. Nanq; » si uirtus elabi uideatur ex cibi paucitate, e uestigio cibi exiguum mi » nistrare possumus (& sic imbecillitatem, quæ ob cibi paucitatem ad » uenerit, reficere.) Verùm si in uentre absorptus fuerit cibus, qui re- » dundat, superfluitq;, tametsi in omnibus quidem morbis, multò ma- » gis tamen in acutis tollere difficile est.] Cruditates enim obstructiones q;, ac putredines, & febres, prauaque multa indè symptomata augentur, ut hypochondriorum tensio, & grauitas, anhelitus frequentia, sitis, capitis dolor, uigiliæ, deliria, &c. quæ deinceps auferre difficillimum est. Tantoq; peius est ad pleniorem uictum, quàm tenuiorem inclinare, quantò magis ad statum accedimus (ut Hippocrates secundi reg. acut. tex. 40. ait) Hæc enim aliaq; incommoda, quæ per pluris exhibitionem adueniunt, si circa principia fiant, faciliùs corrigi sequentibus temporibus queunt. in quibus cibum attenuare aptiùs debemus (quoad morbi, symptomatumque tempora intelligo) quàm si circa principia nimis attenuantes, in incremento, aut uigore adiicere coacti simus. Meliùs autem ad minus, quàm ad plus inclinare prædictum est, ubi parùm à symmetro distant, quod attingere nostra coniectura nequiuimus. Sic enim intelligimus, & in particularibus quibusuis cibationibus. Ob errores autem, præter eum, qui ex cibo fit, contingentes (cùm inopinatis rerum fortibus occurramus) uniuersalis, totaque diæta ad paulò crassius (ut nostro æuo fit) incli-

Nota. Solutio contradictionis.

inclinare debet, ut faciliùs eos errores, non adeò imbecillitato uirium robore, ferant ægrotantes, si in aliquo errare contigerit. quemadmodum perbellè primi aphorismorum 5. Hippocrates edocuit. Quæ quidem uniuersalis diæta ad plus inclinare, ex multis particularibus cibationibus potest, quarum tamen quælibet ad minus uergat. Non quia uerè ad minus uergere debeat, symmetra enim & omnibus scopis exquisitè perlibrata deberet esse diæta, Sed quoniam rarò (ut etiam inquit *f* Hippocrates) certitudinem uidere contingit; ideo errabit sæpenumerò medicus. Eum uerò summoperè medicum laudat Hippocrates, qui parùm delinquit. Quanuis igitur libro de prisca medicina non minùs graue fore insinuant, si minus, quàm si plus exhibeamus, quoniam uires imbecillitare parcimonia solet, de uniuersali diæta intelligendo, ubi tamen sufferre potest uirtus, atque in singulis præcipuè cibationibus, ad minùs (uti dictum est) inclinabimus. Minor enim & reparatu facilior hic error est, ut ex libro de acutorum uictu dictum est *g*. Diuinè autem eodem in libro de prisca medicina inquit, mensuram exquisitam, certamq; nullam inueniri posse, præter corporis sensum. intellige tu, ipsius ægrotantis. ut qui superfluum uel diminutum fuisse uictum sæpissimè sentiunt. Vnde medicos ipsi admonere solent, dicentes ex tali, uel tali uictu se grauari, uel deficere, imbecillioresq; reddi. Sentiunt quoque cibi superflui fastidium, & ex diminutione famem. Hippocratis autem ordo (quem corollariè in argumento retulimus) non respectu eiusdē morbi intelligendus est. Haud enim uictum alicui morbo præfinitū docere uoluit, sed inuentionem potius diætæ declarare. Quomodo scilicet ueterrimi in uictus rationem ægritudinibus congruam peruenere. Nam (ut ait) qui medicinam inuenerunt, excogitauerunt ve, prius inceperunt solitum sanorum cibum ipsismet ægrotantibus minuere: id quod nonnullis morbis congruens erat. Quoniam uerò alios conspexerunt morbos, quibus consueti sanorum cibi diminutio sufficiens non erat, propterea ad sorbitiones in hisce morbis deuenerunt. Mox uerò deindè alios inuenientes affectus acutissimos, quibus non modò minuere consuetum cibum, sed nec sorbitiones propinare congruebat: Idcircò magis, magisq; speculantes, ac diligentius cuncta perpendentes, ad potus se contulerunt, omissis non solitis modò cibis. sed ipsis quoque sorbitionibus. Nil ergo ad propositum locus ille Hippocratis facit.

f. li. de prisca medicina post prin.

g. 2. 37.

Ad secundam uerò rationem, ex iis, duæ in responsione ad octauam rationem, ante oppositum factam, prædicta iam sunt, resolutio

tio patet. Etenim quia secundæ formæ morbus est epacmastica febris, quæ à leuioribus inchoans, paulatim increscit: proptereà in ea à crassiori uictu exordiendum. At paulatim, paulatimq;, ueluti morbus increscit, symptomataq;, sic & in uictu paulatim, paulatimque ingrossandum, ueluti ex prima, quarta, & quinta conclusione, secundi articuli, quinti capitis, liquet. Quanuis enim ex secunda primi articuli eiusdem capitis quinti cōclusione, uirtute existente robusta, solo utendum sit melicrato, ingrossare tamen solo etiam potu, possumus, ab initio pauciorem, aquosioremq; propinantes: deinceps uerò plus, meraciusq; concedentes. Quanuis enim eadem uictus forma seruetur, quia scilicet potu solo utamur: illius tamen quantitas uariari potest.

Ad tertiam quoque dicendum aliquandò ita esse, ut in argumento dicitur, quod scilicet magis in principio errare solent ægrotantes, quàm in statu. Id ipsum uerò non ob aliud est, nisi quia leuior morbus in principio existens, ab ipsis ęgrotantibus negligitur. Vndè neque medicum aduocare solliciti sunt, neque si aduocarint, illi obediunt. In statu uerò, propter quod obedientiores euaserunt, nisi propter morbi, symptomatumq; pręsertim dolorem, uigiliarum, sitis, animi defectuum, aliorumq; magnitudinem, ac periculum? In his ergo qui secundæ, ac tertiæ etiam formæ sunt, cui dubium est at tenuādo à principio ad iudicium usque, procedendum? prout in prima, quarta, & quinta conclusione, secundi articuli, capitis quinti præostensum iam est. verùm enimuerò ubicunque morbus primæ formæ fuerit, statim à principio uigens, florensq;, tunc timent quā primùm ægrotantes, medicumq; citissimè aduocant, eiq; magis obediunt minusq; in errores decidunt, quàm posteà in leuiùs declinante morbo, cùm iam & medicum, & medicinam abhorrere incipiunt, ac prorsus negligere. Quamobrem, & in errores faciliùs cadere solent. Restat igitur hinc, ut ab initio tenuiùs, ad iudicium uerò tendentes, grossius diætemus, quantum est ratione errorum, qui interuenire consueuerunt. prout in secunda conclusione secundi articuli, capitis quinti prædictum est. Sed quæ de erratis ab ægro factis concessa sunt, siue in principio, siue in fine, propter morbi leuitatem, non sufficiunt. Etenim aliqui sunt ægrotantes, qui magis in morbi uehementia delinquunt, & quasi desperantes, uel omninò impatientes in quàmplurimis aberrant, qui tamen declinante illa sęuitie, magis cauent, atque obtemperantiores redduntur. Prætereà, non ne Hippocrates inquit [Non solùm se ipsum præstare oportet oportuna facientem

Ad 3.

Nota.

primi aphor. 1.

cientem, ſed ægrum, aſsidentes, & exteriora?] Quæcunq; igitur ad medicum, aſsidentes, & exteriora pertinent, non magis in principio, quàm in uigore: nec econtrà aduenire queunt. Niſi longinquitatis ratione interdùm aduenìant. perindè ac Galenus ait *h* per hæc uerba [At longiore temporis ſerie multa mala incidere aſſolent, tùm ægroti culpa, tùm adminiſtratoris, tum etiam uitio aliorum, quæ in opinata forinſecus accidunt, nec non medici commiſſo.] Siquidem igitur ab erratis ægrotantium indicatio ſumatur, ſiue propria eorum culpa, ſiue medicorum aſtantium'ue, aut exteriorum contingant, quantum ad hoc attinet, nec quod ingroſſando, neque quod ſubtiliando, iudicium uerſus procedendum ſit, ſed benè quod paulò pleniùs, ſeu minùs tenuiter diætandum ſit in omnibus, ex Hippocratis Aphoriſmo elicitur *i*.

h. ſecundi progno.cõ. 50. in fi.

i. aphor. primi 5.

Ad 4.

Ad quartam deniq́ue rationem dicendum, ſiue inchoantibus morbis, ſiue declinantibus, aut etiam fortaſsè increſcentibus, aliqua effatu digna euacuatio fiat, quemadmodùm per uenę ſectionem, uel medicamenti potionem, ob recreandas uires nutriendum fore. Haud tamen ob id concluditur uel ingroſſando, uel ſubtiliando, in reliquo ſiue præcedente, ſiue conſequente morbi progreſſu, exequendum. Id quod præcipuum fuerat, ac unicum in quæſtionis titulo propoſitum. Sed ex morborum præcipuè ſymptomatumq́ue formis, uictus quoque forma præfinitur, ut in ſecundo quinti capitis articulo enucleatum eſt.

Ad quam determinationem duo præcedentia capita, tertium inquam, & quartum intercluſosq; omnes ſcopos, & indicationes, exquiſitè, atque adamuſsim perpendendas, & memoriæ commendandas, & ſæpiculè exercendas conuertare, atque ita exquiſitiſsimam ſemper, & in omnibus morbis, uictus rationem præfinies. E qua Dei priùs OPTIMI MAX. deinceps hominum gratiam, fauorem, honorem, ac diuitias lucraberis.

Τέλος.

ILLVSTRISSIMI
DVCIS TERRAENOVAE
CASVS ENARRATIO, ET CVRATIO.

E' Quibus tùm penetrantis in thorace vulneris, tùm Fistulæ curandi Methodus elucescit.

IOANNE PHILIPPO INGRASSIA MEDICO, ET PHILOSOPHO AVTHORE.

VENETIIS, M. D. LXVIII.

PERILLVSTRI

DOMINO D. IOSEPHO

AB ARAGONA,

IOANNES PHILIPPVS INGRASSIAS SALVTEM SEMPITERNAM.



RELATVM mihi est, perillustris Domine, quàm sollicitus sis, angarisque desiderio audiendi, distinctéq;, ac adamussim singula intelligendi, quæ huc usque, pro Illustrissimi, ac dilectissimi fratris tui Ducis salute, peracta iam sint. præsertim ex eo consilio Doctissimorum Medicorum Romanorum certissimam salutem, breuissimoq ue temporis interuallo, nunquàm uisis, neque auditis remediis (ut inde scribunt) promittentium. Quod quidem non tu modò, ac Dux ipse, at nos quoque assistentes medici, & reliqui uestræ domus familiares incredibili desiderio expectabamus. Venitq; tandem Diuinum illud consilium, post multus alterationes, multasque discolias, ac rumores, coràm magno Corycæorum scholarium (ut aiunt) cætu, aliorumque diuersorum hominum concursu, scriptum. En igitur illud, quod non sine magna (uti nos etiam fecimus) reuerentia, & applausu amplectaris. In quo proculdubiò remedia nunquàm uisa, quinimmò nunquàm audita inuenies: quæ scilicet pro cuiuspiam Illustrissimi Ducis propriam salutem peroptantis, curatione, à famosissimis uiris extusa unquàm sint. Egregium uerò illud consilium commune transmittimus unà cum particulari unius ex sociis, quod (ut posteà dicemus) ad scopum quadantenùs dirigitur. Verùm enim uerò, quoniam (ut audi-

ui) totum curationis non præteritæ modò, ac præsentis, sed futuræ etiam discursum intelligere à me cupis. præteritæ inquàm, ut in memoriam reuocares ea omnia, quæ ad tuum usque discessum facta fuerunt: præsentis uerò, ac futuræ, ut dilectissimi fratris sortem exquisitè pernosceres, lætariq; interim queas de nouo quopiam miraculo: quod Roma non modò caput, sed totius orbis compendium peperit. Quas obres, ut tibi Domino meo satisfaciam, perinde ac obnoxius sum, ordinatè sic omnia referam. Imprimis ergo in memoriam reuoces dubia, quæ à Romanis doctissimis medicis proposita sunt. quorum solutionem petierunt, si curationis consilium, & aliquod effatu dignum præsidium ab eis discere desideraremus: quod nescio an Illustrissimus ipse Dux, aut tu, uel domestici, maxima cum instantia, quæsiuerunt. Quinimmò, & nos omnes medici tàm ad aliorum, uestramq;, quàm ad nostram satisfactionem summoperè cupiebamus, præsertim cùm non ut medici, sed ut domestici, familiaresq;, ac debiti famuli nostrum dominum omnibus neruis, totoque pectore, curare, noctu, atque interdiù conaremur. Fuerunt igitur dubia numero decem, hæc.

1 *Se la lancia hauea la punta.*
2 *Se la ferita è fatta da ferro ouero da lo legno.*
3 *Se la ferita è longa ouer rotonda.*
4 *Se ha penetrato rettamente, ouero trà la superficie della Cotica, & li muscoli sottoposti.*
5 *Se la ferita è dinanzi, ò di dietro, ò da lato.*
6 *Se la ferita è trà la quarta, ò quinta, ò sesta costa.*
7 *Quanti costi & spatij intercostali sono offesi.*
8 *Se le labra della ferita sono incalliti.*
9 *Se ci è tumore interno, ò esterno, & di qual natura.*

10 *Quando si ritiene la sanie, che copia di sanie esce; di che colore e di che sustantia.*

Hæc quidem soluenda dubia proposita sunt. Ad quæ cùm nescio quis ex domesticis, absque medicorum consultatione respondisset. ueritus enim quisquis ille fuerit, ne medicis talis auxiliorum hinc & inde inquisitio displiceret: historiam quasi furtim inconsultò narrauit. Qua quidem sic à Romanis medicis percepta, ut sibi scripta fuit, unus eorum mea sententia doctissimus, duntaxat respondit, alijs respondere dedignatis. Respondentis igitur uerba, hęc sunt.

Sendo la piaga dell'Illustrissimo Duca di Terranoua fatta già molti mesi sono, dall'incontro d'un Truncone di lancia, dopo l'hauer passata la targhetta, nel spatio intercostale della sesta & settima costa, uerso l'assilla: & hauendo rotta in parte l'una delle dette coste, e leuata uia la cotica, & li muscoli intercostali senza offender'il polmone, & la membrana che cinge tutta la cauità del petto, sendo in successo di tempo dalla sanie stata corrosa; marauiglia grande mi pare, che hora non sia perfettamente guarita, poiche mi uien scritto che le labra di detta piaga sono eguali senza callo, trattabili, & con tumore di nessuna importanza. & molto più sto dubioso, & maggior merauiglia mi nasce, quando la sanie hora non ua come richiede la sua flussibilità & grauità, nella cauità del torace: mà si ritiene à torno le parti uicine. E quel che (s'io ho à dir il uero ingenuamente) piu mi pone l'animo inforse, è il giudicio di quei medici eccellenti, hauendo loro di comun consenso risoluto ch'il male da se finisca in una fistola, forse (che Dio non uoglia) incurabile. Confesso io per quel che mi uien scritto, non sapere come la fistola possa nascere in parte non callosa, senza tumore, si ben trattabile, & temperata com'è questa. E perche animo mio non è d'offender'homo che uiua, ma si bene essaminar breuemente quanto comporta l'information datami, le cose difficili, accusando più presto me medesimo di poco giudicio, che uolendo tassare in modo alcuno la diligenza d'altri, più per satisfatione, che per bisogno, dirò che gli occhi, & le mani molto più mostrano à loro, che à me non insegna

no gli orecchi, e narrerò quello che in molti hò osseruato, atto forse à tor uia questa difficoltà, & à guidar il medico, che cura detta piaga per la strada dritta, e ragioneuole. Hò io più uolte nelli pleuritici, & in quelli che sono morti di ferite di petto penetranti, osseruato, la membrana, che cinge tutti li spacij intercostali, diuentar molto fibrosa, e ligarsi in più luoghi talmente al polmone, che fra quei spacij sinuosi facilmente se ci ritien la sanie. Emmi anco non raro accaduto ueder'la detta membrana tumida, e uaricosa, donde accadeua che la Cotica & le parti musculose fussero ben disposte, & appresso alla sanità, & nondimeno il contrario fusse nelle parti interne. E questa facilmente può esser la causa del ritardare la curation della piaga, & che serrata di nuouo, faccia dolore, e febre, sin che ò la natura, ò il medico prepara l'esito alla materia ritenuta. E per che gli essempi simili muoueno assai: però lasciato da parte quel che da me è stato osseruato in quei che sono morti, dirò ancora ch'il figlio di M. Lelio Fabij Gentilhuomo Romano giouane all'hora di uent'anni, di temperatura calda, & d'habito gracilissimo, adusto, e molto sottoposto alle perturbationi dell'animo, gli anni passati hebbe una pugnalata nel loco doue mi uiene scritto esser' la ferita dell'Illustrissimo Duca, ma più uerso lo sterno. Fù questo giouane curato da mastro Iacomo da Perugia, & da me, & quando la piaga era presso che saldata, gli ueniua la febre, l'incalzaua la tosse, era forza di nuouo romper la ferita. Et subbito purgata la sanie, cessaua ogni male. Fece questo effetto moltissime uolte: Ond'io manifestamente compresi, che la solution del continouo, & il sino erano in loco, doue non giongeuano le mani, & che la natura si ualeua molto della transpiratione dell'orificio della piaga, poiche aperto cessaua la tosse; e chiuso molestaua il giouane insieme con la febre. Onde fù fatta risolutione ogni settimana una uolta uacuarlo con siroppo uiolato solutiuo di più infusioni, ò con manna e decottione pettorale, non sopportando maggiori medicine di queste, per esser egli estenuatissimo, & mal condotto. E s'usaua maggior diligenza in uacuarlo in quel tempo, che la piaga era ben ridotta, & che si temeua il solito periodo & impeto del male. Sentì grande utilità di questo modo di curare. Ma fù ultimamẽte liberato, co'l pigliar

molti

molti dì il latte, sendo stato prima ben prouisto che non diuentasse nel stomaco acetoso, & non si putrefacesse per altra cagione. Ad un'altro non bastando questa cura, si dette una certa decottione scritta da moderni, atta à sanare le ferite cassali, & ultimamente poco di sotto l'orificio della piaga, fù passata la cutica, con un ferro piano, à guisa di lancetta, e postoci una bindella di seta similmente piana à guisa di laccio. laquale dando qualche esito alle materie che si riteneuano, condusse il giouane dopò molti giorni alla perfetta sanità. Non uoglio anco restar di scriuere, che la Natura assuefatta alla traspiration della ferita in quel figliuolo di messer Lelio de Fabij ha lasciato un forame non maggiore che se fusse fatto da un'aco, e di quello per ancora da sett'anni in quà si uale. Hò scritto in questo foglio quanto mi è parso, più per compiacer'à quelli che m'hanno richiesto, che per bisogno si habbia del mio consiglio, il quale sia di qual'importanza si uoglia, rimetto al giudicio de più dotti, e più esperti di me. Di Roma alli III. d'Agosto del 62.

Bartolomeo Eustachio Medico Romano.

Hac igitur uisa, intellectaq; responsione, quamprimùm nobis patuit non benè, ac fideliter scriptam hinc fuisse ad illos historiam. Itaque præcipiente mihi (ut scis) Illustrissimo D. Ferdinando à Sylua, Fauaræ nunquam satis laudato Marchione, seu Regulo, historiam eo tempore scripsimus, quam & hic subscribere uoluimus, ut quęcunque acta sunt in memoriam reuoces.

ILLVSTRISSIMO

DOMINO D·FERDINANDO

A' SYLVA FAVARAE

MARCHIONI

IOANNES PHILIPPVS

INGRASSIAS SALVTEM,

ac fælicitatem sempiternam.



FFLAGITASTI, ne dùm semel, aut bis petijsti, Illustrissime Ferdinande, ut Illustrissimi nostri Ducis Terrænouæ miserabilem casum, unà cum sua curatione, atque etiam prognosticatione, tibi apertè, atque adamussim scriberem, omnique sedulo explicarem, perindè ac à me longo discursu, & generali epilogo, diebus elapsis in publico collegio audiuisti. Atque id ipsum tùm ut dilectissimi tui amici sortem exquisitè pernosceres, tùm ut undequaque, si possibile est, auxilium uestigare posses. In dubiis enim periculosisque casibus, & curationi pertinacibus, refractariisque, multorum, præcipuè prudentium, doctiorumq; consilium effugere, impium est. Omnibus igitur neruis, præsertimque mei domini salutem disquirendam optamus. Verùm enim uerò multotiès, pluribus bonis, salubribusque inditiis promissa, & quasi ad metam perducta sanitas procrastinari me fecit, ut ad hodiernum usque tempus cunctatus sim, scribereque distulerim. Velut etiam aliquandò propè uisa mors, ac desperatio me ab huiusmodi munere distraxit. Adeò ut collachrymari potiùs, quàm scribere sæpenumerò decreuerim. Nimius enim meus erga Ducem amor à medio non infrequen-

infrequenter ad extremum protraxit, ut ſcilicet plusquàm oporteret, decensque eſſet, de bonis lætarer, ac de malis triſtarer. Cùm tamen ob innumeras ferè, modò in bonum, modò in malum fieri ſolitas in eo, uelut in aliis eodem caſu uexatis, permutationes, neque in bonis nimiùm tutos eſſe, uel gaudere, neque in malis excedenter timidos fore, aut affligi, cruciarique congruum ſit. Quemadmodùm quidem experimentis quàm plurimis comprobatum iam eſt. Quoniam uerò (ni fallor) neſcio à quo ex noſtris ſcriptus caſus huiusmodi eſt, pro ſolutione quorundam ſibi à doctiſſimo quodam Romano Medico propoſitorum problematum, ſed in multis quidem extra ueritatem, in quibuſdam uerò ſatis imperfectè, ac minùs quàm docto uiro conueniat. Idcirco talem enucleare caſum, ſua cum præterita, præſentique, ac futura etiam curatione, ſimulque cum ſuo prognoſtico ſcribere aggrediar.

HISTORIA.



LLVSTRISSIMVS Dominus Don Carolus ab Aragona Dux Terræ Nouæ &c. iam agitur octauus ferè menſis in hippomachia, haſtarum'ue ludo, effracta quidem aduerſantis equitis lancea in primo ictu repercusſionem, ſiue (ut dicunt) reobuiationem quandam ab eius ruptæ lanceæ ferè dimidio trunco, in ſiniſtro latere, perforatis iam armis, ipſaque uulgò nuncupata targetta recepit, propè axillæ emunctorium, è regione ipſius Mamillæ ſiniſtræ, adeò ut longorum iam antorſumque reflexorum pilorum axillæ portionem quandam lanceæ truncus ſibi adhærentem apportarit: quando ſcilicet ultrò repens, cutim, ac ſubiectos muſculos (uti poſteà dicemus) perforauit. Primo enim impetu, primoque occurſu (prout neceſſaria quadam ex conſequentibus electa coniectura pernouiſſe licuit) in quintæ coſtæ regionem irruens truncus ille, lineo thorace ſubucula'ue, ac ſubiecta interula obuiam

BB factis,

factis, ac penetrationi resistentibus, subiectam costam, ordine quidẽ (supernè deorsùm numerando) quintam per medium fregit: nec ea modò fractionis specie, quam Græci Raphanidon, & Sicyedon, & cauledon appellant (transuersa inquàm, ad effractorum raphanorum, siue cucumerum, aut caulium similitudinem, per mediam costam facta fractura) ut meis oculis inspexi, propriisq; digitis tetigi (quicquid nonnulli Anatomes penitùs ignari, ac prorsùs cæci malè, ac deprauatè uiderint) non modò inquàm ea fractionis specie quintam costam truncus fregit: Verùm quia non acuta lanceæ cuspis, sed grossus, atque asper, & inæqualis truncus eam partium diuisionem fecit. Ea propter fieri non potuit, quin costæ fractæ partes utræque uehementem illam contusionem, indeque aliam fractionis speciem participarent, quam Græci Alphitidon (quasi dicerent farinatam, siue ad farinæ similitudinem factam) nuncuparunt. quoniam adeò utrinque, ac præsertim ea diuisionis parte, quæ ad sternon spectat, quasi friatum os costæ fuit, ut in plures minutas partes diuisum sit. Vnde quinque huc usque ossis frustula non simul, at longo temporis interuallo, modò unum, modò aliud, extracta iam sunt, uel Natura ipsa, quùm potuit, expellente.
Quanuis enim frustulatim facta ossis diuisio sit, adeò tamen ualidè sibi inuicem annexa frustula remanserunt, ut neque diuisio illa appareret, neque faciliter, at longo temporis progressu separari potuerint.
Intrò autem truncus minimè penetrauit, quinimmò neque ibi subuculã, quem uulgò nos gibonem appellamus, neque interulam perforauit. Si enim ibi foramen factum esset, nulli dubium est, quòd in thoracem ipsum sese inserens truncus, pulmonem quoque laniasset. Verùm enim uerò sic res se habuit, quoniam ictu, percussioneque validè facta, retrocessit corpus, truncus uerò super uocato gibone repens sursùm, axillam uersùs, duorum digitorum spatio, cùm ultrà ascendere nequiret, ferreo thorace, aliisque brachium munientibus armis, eius fluxum, ascensumque prohibentibus, tunc introrsùm penetrare coactus fuit, laceratis priùs uestibus, ac deinceps dissipata, apertaque cuti, extra costas, in brachium, scapulamque mouentibus musculis, non intercostalibus, perforationem fecit ad secundum thoracis musculũ uersus axillæ concauum, adeò ut foraminis terminus propè axillæ adenes, atque ipsas arterias, uenasque, & neruos fuerit, propè inquàm ferè, non plus, quàm per unius digiti intercapedinem. Sed primo quidem impetu non quintam modò costam (ut prædictum est) fregit latus ille, grossusque, atque inæqualis truncus, uerùm & quartam quoque, sed alia quidem fractionis specie, uidelicet ea, quam Græci in o-

nycha,

nycha q. d. in unguem, siue mauis dicere aliam, quam catà apothrausim, hoc est iuxta abruptionem, uocant. Etenim inferior dumtaxat quartæ costæ extremitas, quasi desquamata, siue (ut sic dixerimus) adunguata est. Vnde unum dumtaxat osſis frustulum abſcedit, & maxima quidem cum difficultate, post quintum mensem. Erant igitur duæ prædictæ costæ effractæ sub integra cute, ut neque oculis inspici, neque manibus tangi possent, præsertimque quinta costa uehementiùs contrita, & fracta. quæ quidem paulò plus duorum digitorum interuallo à uulnere, euidentique foramine distans, ab integra cute cooperiebatur, cælabaturque: lanceæ uerò truncus affixus remansit, longitudine quidem ferè trium palmorum, sed in prædictis exterioribus musculis, & cuti paulò plus quatuor digitorum longitudine insertus. trium inquàm ferè palmorum truncus remansit, cùm ob equorũ impetuosè currentium uiolentiam rursùs lancea per mediũ rupta sit, remanente in equitis dextra manu, ultima, grossioreq; trunci portione. Illustrisſimus autem Dux unà ictum, ac reictum recipiens sua lancea in aduersarium equitem, ualidisſimè ter quoque percusſionem, ac repercusſionem, iterumque tertiam repercusſionem fecit. Quarum primam cum lanceæ ferro, secundam cum trunco, & tertiam cum effracti rursùs trunci residuo imposuit. Quam ob causam suum adhùc uulnus minimè sentiens, neque lanceæ truncum suo pectori affixum aduertens, de tribus suis in aduersarium equitem factis ictibus summoperè gauisus est, atque eleuata, concussaque manu dextra, suam lætitiam cunctis ostendit. At parùm talis alacritas durauit, quin subitò animo delinquens, equo habenas dimisit. Ac nisi ab illustri Biccari comite ipsius affine, ac amicisſimo retentus esset equus, cadendi periculum sequebatur. Hic uerò comes Illustris euestigiò pedester factus, ab eius latere lanceæ truncum retraxit, armis interim eum exuens, quem inuenit iam præ dolore, ac simul (affixo sibi trunco in pectore uiso) timore, sudantem, sudore quodam frigido. Omnes itaque astantes eum in sede locatum Illustrisſimi excellentisſimique nostri Ducis Medinæ Cœli, ac huius regni iustisſimi, dignisſimique Viceregis iussu, in suam Cameram, suumque thorum adduxerunt. Quo tempore primus ego, deinceps succesſiuè tùm physici, tùm chirurgici plurimi superuenerunt. Multi enim eo die uocati sunt, quamuis posteà paucio res electi fuerint. Paucisſimus uerò, & uix effatu dignus sanguis è uulnere egressus est, forasue effluxit. Id quod non paruam nobis suspitionem induxit de internarum uenarum apertione, ruptioneque & interiore sanguinis defluxu, cùm neque si solæ capillares uenulæ in tali

uulnere incisæ sint,tàm paucam sanguinis quantitatem defluere uerisimile sit. En igitur,quòd singuli per se tàm physici,quàm chirurgici, & oculis inspeximus,& omni adhibita diligentia manibus,digitisque attrectauimus,inquisiuimusque,ac uulnus tandem unanimi omnium consensu inuenimus apertum, omnibusque perspicuum, inferiùs quidem latius, superiùs autem, interiusque circa fundum angustius, sua (ut dicitur) cum dependentia lata,& aperta pro trunci latitudine seu grossitie,in quo singulas costas tangebamus,exterius quidem uerè integras, uidelicet quartam, parte quidem superiore (inferiore enim duntaxat parte illius fracturæ in unguem,uti prædictum est,particeps fuit. Neque huius adhùc tactu,neque etiam uisu, uel post multos dies,tanquàm sub aliqua carnis,cutisque portione, ipsoque etiam periostio cælatæ compræhensibilis) itemque costam tertiam, nonnihilque etiam secundæ.Omni igitur adhibita diligentia,tùm manibus, tùm etiam oculis,cum apertissimum uulnus esset,attrectantes,ac uestigantes,nullam introrsum penetrationem, aut costarum læsionem percipere potuimus,nec temerè,cùm in uulneris aperto loco nulla huiusmodi læsio esset, ut quæ (perinde ac prædictum est) duorum digitorum interuallo, ex primo trunci in thoracem accursu,sub ipso uulnere costarum fractio facta fuerit. Cuius nullum exterius indicium, aut uestigium oblatum nobis est, neque enim color mutatus ibi est, neq; tumor eleuatus,sed neque maior quàm in uulnere dolor,eodem in loco ab ipso ægrotante perceptus est. De solo enim uulnere,speciatim, ac magis, generatim uerò ac minùs de circumstantibus partibus, ac toto etiam pectore conquerebatur, nullum speciale indicium in loco fracturarum præseferens. Id quod me hercle non sine maxima admiratione intelligi potest. At aliud deindè consecutum est longè admirabilius. Etenim facta (ut decuit) sanguinis missione,eodem die usque adeò sese benè habere sensit, ut currendum, præliandumque denuò,pro sequenti, aut tertio die,se promptum, atque paratum prædicaret,nec ullam penitùs anhelitus, respirandi ue difficultatem percepit,non eò tantùm die,sed sequentibus,etiam pluribus,tametsi maximam sanguinis copiam in thoracis sinistram uomicam,effractis,apertisque in loco effractarum costarum uenis effluxisse, tùm ratio, tùm consequens experimentum comprobauit. Totus enim sanguis introrsùm defluxit. Vndè quàm minima eiusdem copia (ut prædictum est) foràs effluxit. Cùm nulla igitur siue oculis, siue digitis interior læsio seu penetratio, nullaque ne per somnium quidem fractura repræsentaretur, nullius momenti casus fore apparuit, cùm exterius, & extra

costas

costas in partibus musculosis, ipsaq; cuti uulnus esset, nec aliquod momentaneum membrum læsum appareret. Ex communi ergo cunctorum astantium chirurgicorum, atque physicorum consensu, topicis consuetis medicamentis curatum uulnus est, partesque omnes circunstantes roborantibus quidem, non ualidis repellentibus (ne introrsum fluens sanguis retrocederet) roboratæ sunt. propinatumque secundo die medicamentum est, quod non roborandi, apertasq; uenas claudendi modo, Rheibarbarici ratione uim haberet, sed etiam reuellendi per infernam purgationem, tùm roris aerei, tùm syrupi ex quinque damasc. rosarum infusionibus facti, pectoralisque, atque unà cordialis decocti ratione, ac ui: adiecta diaprunis interim solutiui portiuncula. statim enim ab initio priusquàm firmentur humores reuellendum, purgandumque in quouis effluxu fore, Medicorum lucerna Galenus *a* noster, Diuino quodam numine afflatus edocuit, præcepitque. Quod medicamentum, tametsi eius naturæ com paratum aliàs quàm decenter ipsum expurgasse experti sumus, uix tamen effatu dignum aliquid educere potuit. Quinimmò agitatione quadam, perturbationeque potiùs facta circa uentriculum, & intestina, cùm ferè nihil educeret, neque uomitus ei possibilis fuerit: clysteribus autem cùm natura eius in quouis morbo aliàs non in animi mo do deliquium, sed in ueram quoque syncopem, ac motum quendam epilepticum, uniuersalemq; conuulsionem peruenire solita sit, moue re non auderamus. Idcircò tres uncias sacchari rosacei ex rosis damascenis (quas uulgò incarnatas nuncupamus) cum aquæ frigidæ cyatho statim præbuimus. Cuius ui tametsi nonnihil educeretur, in ue speris tamen usque adeò, tùm uentriculus, tùm intestina, totumq; abdomen summo cum dolore tumefacta sunt, ut ad clysteriorum diuersorum, tàm purgantium, quàm anodinorum, flatusq; discutientium usum peruenire coacti simus. Placuitq; Deo optimo maximo, ut ex illis consuetas conuulsiones, syncopesq; non pateretur. Quinimmò indè ad diem usque hodiernum, clysteribus adeò iuuamen percipit, ut sæpenumerò illos desideret, nobisq; nonnumquam inuitis inferiorem aluum expurgare conetur. Quo etiam die urinæ difficultatem passus est, atque maximum uesicæ tumorem, omniaq; demùm symptomata, omnesq; dolores, & læsiones in inferiore uentre, à uentriculo ad uesicam usque sentiebat. Nulla interim respirandi difficultate existente, ac paruo potiùs quodam dolore circa pectus. Neque in loco fracturæ costarum determinatè, sed in toto. Quòd si quæpiam particularis differentia considerabatur, inferiùs quidem hęc

a. quarti de ratione VI. *actus ann. com.* 76.

ab

ab eo percipiebatur circa sinistrum hypochondrium. Omnibus itaq; prædictis symptomatibus perpensis, aliisq; concurrentibus, ut ualida febre, capitisq; dolore, uigiliis, urinæq; perturbatione, adeò ut iumentorum lotio similis euaserit, aliisq; omnibus perpensis inditiis, quæ bræuitatis causa dimittimus, præsertimq; minimo illo sanguinis è uulnere effluxu, in certam deuenimus, determinatamque sententiam, quòd aliqua intùs uena aperta esset, per quam sanguis non extrorsùm, sed potiùs introrsum effluxerit. Huius verò apertæ, uel ruptæ uenæ locum, an in thorace, an in uentre inferiore fuerit, certè determinare nequiuimus. Quanuis enim ratio in thorace potiùs esse dictet, symptomatum nihilominùs concursus in uentre inferiore potius apparens, de loci illius læsione, suspitionem præseferebat. Impossibilis enim in tot, tantisque ualidis ictibus, inferioris uentris læsio non erat. verùm ubicunque fuerit, certus apertionis uenæ locus, incognitus adhùc nobis erat, nullaq; interim fractarum costarum certitudo, quanquam leuis aliqua, rationabilisque suspitio aderat. Quam ob causam neque de ulla incisione sermo haberi poterat, cùm incidendi, ac dilatandi locus nullus appareret. vulneris autem dilatationem efficere superfluum, ac dãnosum fuerat, cùm dependens extiterit in fundo angustius, in exitu uerò latius, apertiusque, ut non digitis modò, sed oculis quoque fundum conspexisse licuerit. Adhibitis itaque fotibus, anodinisque inunctionibus, cataplasmatibus, ac uariis deniq; remediorum generibus prout indies oportunum fuisse omnibus, concordi semper uoluntate apparuit: Quinta demum die, carne, quę circa effractas costas erat, contusa tota suppurata, ex uulneris orificio deorsum, minimum quoddam foramen, tametsi nobis occultum adhùc, effectum est, per quod sanguinis in thoracis uomica collecti, ac putrefacti, & non in pus, sed in saniem potiùs conuersi expurgatio fieri cæpit. Quæ sanies egredi apertè non uidebatur, sed quotiès cum mederi uolebamus, in pannis reperiebatur. Cumq; (ut diximus) integra cutis fractis costis superiacens esset, nullumq; fracturæ costarum inditium appareret, neque foraminulum illud adhùc euidens factum esset, illa sanguinis putrefacti saniei'ue excolatio, an ab interno thoracis concauo, an ab intermediis musculorum thoracis, brachiisq;, ac scapulæ spaciis collecta foràs à Natura propelleretur ambiguum, ad nonum usque diem fuit. Reclamantibus præcipuè doctis quibusdam, quòd si in thoracis concauo collectus ille sanguis, ibiq; putrefactus, ac in saniem conuersus fuisset, impossibile quidem erat, quin aliqua respirandi difficultas adesset, tussisq;.

Cùm tamen ibi nulla ab ægrotante perciperetur difficultas, neque tussis, quoniam fortassè partim in fundum circa dorsum descenderet sanguis, partim per uniuersam uomicam inter pulmonem, & thoracem dispersus esset, cubansq;, & quietus interim ægrotus maneret. Verùm enimuerò totam hanc litem diremit nonus dies, in quo maiori facta contusæ carnis putrefactione, ac suppuratione, usque adeò dilatatum foramen illud inferius est, ut apertissimè difflare inceperit, ipsamq; internam penetrationem propalare, tametsi infernè sub cute sursùm materia regurgitarit. Ex quo statim duo apparuerunt foramina, siue dixisse mauis, ulcera. Alterum quidem, quod à superioribus propè glandulas (ut diximus) uenasq;, arterias, & neruos, glandibus prædictis sub axilla adhærentes, ab affixo lanceæ trunco factum, quod deorsùm pendens erat, facilem omnem defluxum, purgationemque sortitum: quod quidem posteà paucis sequentibus diebus ad integram sanitatem perductum iam est. Alterum uerò, quod propè prædicti ulceris primi orificium, deorsum, uersùs effractas costas, præcipueq; quintam, uergebat, indeque sursùm, inclinato corpore unà cum capite, eleuatisq; cruribus, toties, quotiès oportebat, satis, superq; siue sanguis, aut pus, siue sanies, aut ichor multus expurgabatur, fluxuiq; idoneum iter præparabatur, indeq; sensim costarum fracturę publicatę sunt, præsertimq; facta decenti cutis adiacentiumque exteriorum musculorum discissione, donec foraminis rectitudo, facilisq; exitus apparuerit. Cùmq; supercrescens deinde caro prædictam foraminis rectitudinem, temporis progressu impediret, iterùm secundò eam incidere necessum die uigesima septima fuit, præsertim sinu quodam rursùs inter cutim, & musculos facto. Sicq; deinceps, ueluti ut anteà sæpenumerò spongiis, non infrequenter uerò, & gentianæ radice, ac nonnunquam oleo, siue dixisse mauis, aqua ex sulphure (per recipientem, ac reuerberantem uapores matulam) destillato, corrugatam, & ipsum foramen claudere exterius, nobis semper inuitis, conantem cutim carnemq; non rarò super excrescentem erodere, atque impedire non destitimus. Ac pro foraminis conseruanda apertione, simulque assidua siue puris, siue saniei expurgatione (ne diutiùs circa pulmonem retenta, ipsum aliquo modo eroderet) fistulatum, cannulatumque uocatum instrumentum apposuimus, modò argenteum, modò plumbeum, aut etiam ex grossiore nonnunquam penna, scriptorio'ue calamo, tela quadam, linamentis'ue circum uestito factum, modò longius, modò breuius, nonnunquam grossius, nonnunquam angustius, non-

nun-

nunquam directum, aliquandò tortuosum, prout indicis foraminis modus indicabat. Quæ interim instrumenta uariis erant foraminibus à dextris, & à sinistris, nec non supernè & infernè perforata. Nonnunquam uerò cum instrumenta hæc omnia, & cuiuslibet modi statim eiiceret Natura, falsam intereà foraminis clausionem intendens, quanuis multa simul sanici, uel puris copia ab interioribus expurganda insisteret, eam inuestire excogitauimus tenuissima spongia, quæ unà foramen dilataret, exitumq; apertum in sui medio haberet. Quid, quòd sæpenumerò quater in die, qualibet inquam hora sexta, cùm excedens puris copia appareret, aliàs uerò non rarò ter in die, plurimùm autem bis, ac aliquandò semel tantùm expurgando curauimus, pro maiore, aut minore sanici, seu puris abundantia, modò huius inquam, modò illius, cum aliquandò pus egrederetur, siue tenue, siue crassum, aut interdùm mediocre, ac exquisitissimè coctum. Aliquandò autem sanies, siue ichor, aut quam Barbari uirulentiam dicunt, modò tenuior, modò crassior, aut medio modo, amboq; hæc uariis coloribus infecta, ueluti & odoribus. Interdum enim alba, nonnumquam uiridia, aut cęrulea, interdùm nigra, uel subnigra, aliquandò pallida, subrubea, uel rubea, sic quoque interdùm omnis odoris expertia: sæpiusculè autem fætida, & præsertim quotiès aliquod ossiculum à Natura separandum, extrahendumq; ab effractis costis propè erat. Quinquiès enim pro prædictorum quinq; frustulorum separatione, atque expulsione, sęuioribus symptomatibus semperque cum sanici, puris'ue graui odore uexatus Illustrissimus Dux est. Sic igitur ad hodiernum usque tempus, innumeras recipit mutationes huiusmodi puris, uel sanici defluxus. Interdùm enim per hebdomadam, plus, minus'ue omnis febris immunis factus pulsus est, totumq; corpus naturale redditum, urina in omnibus benè conditionata (ut dici solet) ulcusque ipsum mane, & uesperi omnibus numeris absolutissimum, perfectissimumq; pus eructans, quo paulatim indies decrescente, usque quo tandem ex uncia (quinimò ab initio, ex libra) ad drachmam, & ex drachma ad simplicem guttam ordinatè, ac successiuè, deficiente proportionabiliter ipso pure, donec totius exercitatio facta sit, caroque interim perfectissima, rubea, solidaque, & omnibus conditionibus perfectis dotata, ex interioribus crescens, intùs foramen sensim replens, conseruato interim à nobis foramine in exterioribus latiore, ad formam (ut dicere solemus) emboti siue per spongiam, siue per gentianæ radicem, prout hanc, uel illam magis ad propositum fore nobis uisum fuit, ad inte-

gram,

gram, perfectamque sanitatem perduci uisum ulcus est. uelut præ ceteris Mense Iunii, secundùm omnem præscriptum ordinem processit, atque ad salutem peruenit, sicque clausum perfectè fuit, uel nobis inuitis, quibus quasi medium unguem porrigens, quotidie quodlibet elychnium, siue ex linamentis, siue ex candela cærea, siue etiam ex gẽtiana, uel spongia factum euestigiò, uixque per horam sustinere ualens, expuebat, forasque statim propellebat, donec clausum ulcus sit, nec sine dolore, ac concursu, seu sanguinis defluxu à nobis impediri potuerit. Quo uiso tametsi talem uiolentam sanitatem suspectam, atque infidam haberemus, nihilominùs tamen ipsius Naturæ operis finem expectare decreuimus. suspectam inquam: quia ossis frustulum, quod ueluti unguis quidam erat, à quarta costa separandum adhùc sentiebatur, quod quidem extrahi adhùc non poterat. Expectare igitur Naturæ operis finem decreuimus: quoniam, ut omnibus chirurgicis pernotum est, tùm in capitis, tùm in aliis cuiuslibet ossis uulneribus, post diuturnum tempus, non post annum modò, aut duos, uel tres, sed post duodecim quoque, Natura ossium frustula, uel facto quopiam nouo abscessu, uel etiam sine ipso, foràs eiicere solita est. Quamobrem ter septimum diem scilicet ad primum ac uigesimum usque, expectare certum nobis fuit, ad uidendum. An uera, fidaq; huiusmodi sanitas esset. permansit igitur absq; febre, ad decimum quartum usq; diem: Ac rursùs deinde obseruare uolentes tertiam septimanam, quæ quidem die Iouis terminabatur, ante hunc, die martis, febre corripi cœpit, ulcusq; ipsum alioqui ualidissimè clausum, fortiq; cicatrice munitum, relaxari paulatim incepit, sicq; sensim in quatuor, aut quinq; dierum spatio rursùs apertum est, egrediq;, ac resudare paulatim sanies quædam alba prius dein uerò subuiridis, ac tandem cruenta cœpit, donec pessimi odoris, atq; coloris materia egrederetur. Cuius congregationem in thoracis uomica, posteriùs, pro nostra sententia enucleabimus, postquam symptomata ostenderimus, quæ post huiusmodi falsam sanitatem superuenerunt. uelut enim in alijs multis temporibus, præter principia, aliquando difficilis anhelitus, atq; interdum quoq; tussis, & non sanguis modò, sed puris etiam, & aliquando ipsius saniei, aut etiam nonnunquam ipsius lotionis per tussim excreatio facta est (peracta, scilicet puris, aut saniei collectione ac retentione) Itemq; ualida febris, & uentriculi dolor, nonnunquam uomitus etiam, atq; alui fluor, hicq; interdùm biliosus, aut melancholicus, sæpiùs autem pituitosus, atque crudus, ob corruptam uentriculi coctionem, præterea capitis dolor, atq;

alicuius etiam partis, thoracis uidelicet, nonnunquam circa effractas costas, præsertimq; uersus sternon, nonnunquam uerò circa iugulum, aliquandò propè spinam, rursusq; diuersimodè. Interdùm.n. superiùs, aliquandò in medio, plurimùm uerò propè renes, ad locum ubi septum transuersum dorso alligatur. Ita in huiusmodi prædicta collectione, quam post longiorem sanitatem (si sanitatem dicere licet) habuit, alia noua symptomata superuenere. Etenim dissuria quædam superuenit, cum affectu uerè colico, qui summoperè ipsum contorsit, uehementerq; afflixit, repentinam mortem comminatus, cui non clysteribus modò diuersis, tùm subtractiuis, tùm anodinis, tùm flatuum discussiuis, sed etiam ualidioribus purgationibus per ebibita pharmaca, & tandem per antiqui etiam galli ius secundùm artem, cum herbis consuetis præparatum, oleumq; amigdalarum dulcium, atq; ipsum etiam de semine lini, ut tandem ad Zazeneam usq;, ac ipsum quoq; philonium, & athanasiam peruenire necessarium fuerit, sicq; dolor omnis cessauit: Quo in tempore uitreæ pituitæ copiam eduxit, ac nonnunquam puris etiam (quod per ulcus egredi cernebatur) substantia per inferna educebatur. Sicq; deinceps decretum omnibus est, non ampliùs claudi ulcus permittere, nisi per mensem integrum ab omnibus symptomatibus immunem ipsum Illustrissimum Ducem inuenerimus. At nunquam potuit deinceps pertransire diem, quin aliqua uel febricula, uel capitis, aut alicuius partis dolor, uel ipsius etiam ulceris aliqua permutatio fieret. Cuius quidem ulceris modus talis est, ut u.g. per tres, aut quatuor dies plus, minusve, optimum pus foras emanet, atq; circiter unciam, deinde statim absq; ulla manifesta causa, uel repentè desiccetur, uel puris loco, sanguinis quidam ichor, ueluti (ut dicunt) lotura carnis egrediatur, hicq; per aliud triduum, plus, minus'ue diuersimodè. mox uerò deindè aqua nonnunquam uelut lacryma clara, & relucens per alios tres, aut quatuor dies egreditur. Deinceps uel ad aliquam ex prædictis materiebus reuertitur, uel ad pus crassiori sanguini admistum; non aliam formam præseferens, quàm eam, quæ ex immaturo nonnunquam aperto Dothiene (quem uulgò nostri carbunculum uocant) egredi, atq; emanare solet. statimq; rursùs desiccatur, sicq; uarijs modis deludere nos indies, absq; manifesta causa, consueuit, ut modò unum, modò aliud præseferat. Quodq; mirabilius est, non modò tot, tantæq; mutationes quotidiè circa materiei eductionem accidunt, sed ulcus quoq; ipsum diuersas facies, diuersasq; figuras quotidiè, immò (ut sic dixerim) qualibet hora præsefert, modoq; rectum, modo,

dò uerò obliquum, ac flexuosum apparet: Ac modò in dextrum, modò in sinistrum, aliquandò sursũ, aliquandò deorsum uergit. Innumeræ igitur mutationes fiunt. de his loquor, quæ absq; manifesta causa superuenire solent, omissis his, quæ apertam causam habuerunt. Callusq; demùm ostracosus in ulceris foramine factus est, qui orificij callus nunc, uel per se clausionem impedire sufficiẽs est. haud tamen ob id saniei, siue puris exitum per se habet, ueluti in exquisitis fistulis obseruamus, nisi per thoracis inflationem, & exufflationem, spontaneamq; aliquandò etiam tussim, corporeq; etiam deorsùm inclinato, eam (quæcunq; materia sit) expurgare conemur. Quamobrem fistulam inuersam, ac falsam nuncupare sum solitus, ut quæ nõ extrorsùm eructare materias ualeat, sed eas introrsùm deijciat, ac aceruet, assiduas recidiuas præparans, falsasq; indies sanitates promittens. Nos igitur in mitem (si mitem uocare licet) & non ita deceptoriam fistulam conuerti peroptamus, cuius posteà, temporis processu, roboratis uiribus, Deo opt. Max. fauente, deroso callo, factisq; alijs opportunis præsidijs, de reducendo ad perfectam, integramq; sanitatem, sermo fieri potest. Impræsentiarum enim sat superq; nos lucratos esse compertum est: siquidem in uniformem purgationem, hancq; liberam, & promptam reduxerimus. Ad quam si peruenire desideramus, casum exquisitiùs emedullare operæpretium fore arbitramur.

Altiùs igitur repetentes ad historiam reuertamur. Quod enim nona die, sed non prima, publicatæ costarum fracturæ sint, nil incommodi aliud afferre potuit, quàm horum nouem dierum prolongationem: immò si uerum fateri uelimus, duntaxat quinq;. etenim quinta iam die purgari retentus sanguis incepit. indeq; sæua omnia symptomata comminui. Sed interea lucrati iam aliud sumus, quoniam aptius, & minore cum dolore eam affectæ partis incisionem fecimus. Neq; nos pudet confiteri, statim ab initio costarum fracturas minimè
» aduertisse, cùm non Galenus *b* modò in colico affectu, se deceptum *b. lib. 2. de loc. aff. cap. 5.*
» esse, uel in semetipso: sed maximus etiam Hippocrates circa capitis
» suturas, se errasse confiteatur, cùm sic ait *c* [Quare non animad- *c. lib. 5. epidemi. ante me.*
» uerti ipsum secari opus habere: Deceperunt enim me suturæ haben-
» tes in se ipsis iaculi læsionem, postea enim conspicuum id fieri, &c.]
» More, scilicet magnorum uirorum (uti Celsus *d* ait) & fiduciam *d. lib. 8. cap. 4. post princ.*
» magnarum rerum habentium. Nam leuia ingenia, quia nihil ha-
» bent, nihil sibi detrahunt. Magno ingenio, multaq; nihilominùs ha-
» bituro conuenit etiam simplex ueri erroris confessio, præcipueq; in

eo ministerio, quod utilitatis causà posteris traditur: Ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus est, &c.] Cùm igitur penetrationem ad thoracis concauum pertinentem aduertimus, spongiisque priùs, ac deinceps, quàm opportunum cunctis uisum fuit, incisione, ulcerisque apertione, ac dilatatione, foramen tùm ad facilem promptumque materierum effluxum, exitumque, tùm ad lotionum ingressum aptatum fuerit, uariis quidem lotionum speciebus ad præsens usque, prout opportunũ sæpiusculè apparuerit, usi sumus, ex mulsa interdùm simplici, nonnunquam composita, in qua uinum quoque dulce, muscatellum à nobis uulgò nuncupatum adiunximus, aut etiam ardentem aquam, quam nos aquam uitis nuncupamus: Decoquentes nonnunquàm etiam & ipsum equisetum, aut thus, myrrhamque, aloen, & hyssopum, Irin, Gentianam, Aristolochiam, & masticen, atque sarcochollam: interdùm ex iis unam, aliquandò duas, uel tres, pluresúe, aut pauciores, modò has, modò illas, secundùm quòd necessarium, condecensque pro eo tempore fuerit. Quinimmò interdùm quoque ex uitis sarmentorum combustorum cinere factum lixiuium addere, ob magnam putredinem necessarium fuit: Nonnunquam verò ex corticum granatorum, balaustiarumque, & rosarum rubearum, boli armeni, Terræ lemniæ, plantaginisque, in uino nigro facta decoctione, lauacrum intrinsecum per siphonem iniecimus, modò id, modò illud medicamentum adiicientes, secundùm præsentẽ morbi, ipsiusque materiæ indicationem, puta rhodomel, aut saccharum, siue purum quoque mel, aut Carpi syrupum, de quo posteà loquemur. Demùm uariæ iniectæ sunt lotiones, uariaq; simplicia intùs decocta, quæ præsenti, infestantique putredini, aut sorditiei, siue sanguinis effluxui, calori, aut frigori, humiditati, aut siccitati, fætorique, aut erosioni aduersarentur, prout morbi, aut dominantis humoris indicationes institerint, methodique medicinæ docuerint. semper addendo uel minuendo, aut permutando, iuxtà uarias (uti dictum est) indicationes. Quam etiam ob causam, & unguenta, cataplasmata, inunctionesque diuersificata sunt, præsertimque unguentum illud, quod pro mundificando, siue abstergendo, aut conglutinando, siue nonnunquã erodendo, aut confortando ulcere, siue etiam quouis modo alterando, per elychnium imponendum ueniebat: quemadmodum aliud pro restringendo nonnunquam boni sanguinis effluxu, congruum fuit. Nec secùs de purgantium medicamentorum electione obseruatum est. Etenim sæpiculè cum unciis quatuor roris aerei, quam uulgò mãnam appellamus, exquisitam habuimus purgationem. Aliquandò syrupum

rupum rosatum solutiuum, ex pluribus inquam rosarum damascenarũ infusionibus, propinare: aut de polypodio, uel utrunq; addere necessarium fuit: Nonnumquam rhabarbaricũ iniecimus. Aliquando igitur lenire, nonnunquã lubricum dũtaxat corpus reddere: Interdùm & stypticitatis uestigia post purgationem relinquere: Interdùm deniq; ualidioribus quoq; medicamentis uti, operæ pretium fuit, prout nunc biliosus, nunc pituitosus, aliàs uerò melancholicus humor, aut atra etiã bilis dominari in corpore, ipsumq; infestare, comperta nobis fuerit. Quemadmodum in sanguinis excessu, præter primã, & secundã sanguinis missiones, quę circa initia factę fuerũt, iterùm ad tertiã deuenire, in huiusmodi tẽporis progressu coacti fuimus. E' quibus omnibus secundùm epicrasim quandã factis euacuationibus, purgationibusq; ad præsentem usq; diẽ quàm pluribus, & morbi, & symptomatũ diminutio, cõferentiaq;, nec non uiriũ leuamẽ, ac tolerantia consecutæ sunt. Quanquã ob affectuum complicatorum pertinaciam, rebellionemq;, ad optatum perfectæ sanitatis finem peruenire, adhùc minimè licuit. Quod si nonnunquam tùm ex morbi sæuitie, atque ipsorum quoque symptomatum molestia, tùm ex uictus attenuatione, pluribusq; ac diuersis euacuationibus, imbecilliorem reddi, habitumq; extenuari contigerit. Breui tamen in interuallis, tùm bono, ac roborante uictus regimine, in sex rebus non naturalibus, præsertimq; in cibo, & potu, tùm aliquibus etiam uirium instauratiuis, tàm electariis, quàm confectionibus, præter multorum spem resumptus conualuit, habitusque obesior statim redditus est, sicq; perpetim hucusque se se habuit, ut in insultibus, accessionibusq;, ac recidiuis, imbecillior, atque gracilior euaderet. In interuallis autem, quietibusq; quamprimùm robustior, habitusq; plenior redderetur, præsertim quotiès tùm hordeatis à nostris nuncupatis, in quibus uidelicet modò testudines, modò gallinacei pulli decoquerentur, tùm lacte interdùm capræ, nonnunquam asinæ, prout hoc ad leniendum magis, uel illud ad roborandum aptius uideretur, usus fuerit. A' quo quidem lacte, ob superuenientes uentriculi cruditates, uel hypochondriorum rugitum, ac murmur, uel biliosas aliquandò deiectiones, ac ualidissimam febrem, capitis'ue summum dolorem, abstinere, necessum aliquandò fuit, ipsumq; reassumere, ac rursùs dimittere, pro uariis morbi, symptomatumq; indicationibus.

Quòd si costarum prædictæ fracturæ, ac per hoc frustulorum ossium separationes tandiù sanitatem impediuerunt, donec tandem nulla ampliùs ossium asperitas, neque quantumuis minimum frustulum Dubium.

lum.

lum reiiciendum appareat, quod est, quod impræsentiarum ipsius sa-
Respon. nitatis possessionem, nostrumque optatum finem remoratur? Succin gentis inquàm costas membranæ defectus, atque ipsius etiam pulmonis cum intercostalibus musculis, etiamq; ipsa dicta membrana (ubi hæc remansit) conglutinatio quædam, quæ duo quomodò superuenerint, & à nobis cognita sint, nunc referre aggrediar. Iam agebatur mensis à die uulneris, cum è nostris chirurgicis quidam lauatorium per siphonem, syringen'ue à nobis nuncupatam in thoracis uomicam (ut aliàs sæpè consueuerat) iniiceret, magnamque bis copiam lauacri prædicti imposuerit. Ecce quòd dum ad tertiam iniectionem perueniret, non ut aliàs semper contigerat uel ipsum prius lauacrum, uel puri admistum foràs reuersum est, sed solum pus, & quidem copiosum, atque purum defluxit: Demum uerò finito pure, solum, purumque ipsum lauacrum. Id quod nouum, atque admirabile spectaculum, maximam circumstantibus omnibus, non medicis modò,
Dubium. sed aliis quoque admirationem, difficultatemq; induxit. Etenim cũ unica dumtaxat cauitas in thorace sit, in qua pus ipsum collectum fuerat: Cur aduenjens lotio illi non admista est? uel saltem tanquam grauiori non supernatauit? ut hæc priùs exiret, pusq; deinceps insequeretur? sed econtrà factum est? ut scilicet purum lauacrum remaneret, pus uerò ipsum solum anteà exiret? Nisi igitur duas imaginemur distinctas cauitates, in quorum altera pus accruatum esset, in alteram uerò lauatorium reciperetur, huiusmodi spectaculi rationem assignare nullam possumus. Sed abiectis quorundam chymericis phãtasiis, aut aliorum non penitùs spernendis rationibus, in hanc nos (quibus ultimus in collegio dicendi locus semper fuit) sententiam,
Respõ. 1. determinationemque deuenimus, ut duorum alterum esset. uel inquam ut succingens costas membrana propè fracturas ab ossibus separata, puris quandam portionem in se se reciperet, contineretque, sicque deinceps erosis fibris omnibus, quibus tùm costis, tùm intercostalibus musculis adhærebat, paulatim magis, ac magis facta sit illius membranæ separatio, ac per hoc maior ad pus recipiendum capacitas. Quamobrem per aliquot præcedentes dies è uulnere pus exiens diminutum fuerat, receptum intereà, seruatumque, ac retentum in huiusmodi spatio, quod inter membranam, & costas, musculosque intercostales effectum est: factaque deinceps prædicto die illius membranæ compressione, à lotionis multitudine inter eandem membranam, & pulmonem iniecta, totum, quod in ea contentum esset, pus eductum est. quod quidem effatu dignæ quantitatis fuit,

plu-


pluribus anteà diebus talem collectionem factam fuisse præseferens. Nec ampliùs huiusmodi casus succesſit, nisi altera duntaxat uice, post quindecim dies insequentes. vel fortasſis pulmo in medio thoracis coalescens, duas hinc, & inde distinctas uomicas apertas dimisit. In quarum alteram lotio reciperetur, ex altera uerò pus diutiùs ibi collectum, egressum est. Quam pulmonis adhærentiam, coalescentiam que deridentibus, atque imposſibilem credentibus quibusdam (à me uerò quàm sæpisſimè in xenodochiis uisam, tùm in his qui ex peripneumonia, siue pleuritide, siue quopiam alio thoracis affectu mortui sunt; tùm in his etiam, qui ex capitis uulneribus plurimi interierunt, conuerso, ut sępè contigisse obseruauimus, pure à cerebro, partibusque superioribus in thoracem) Anatome cuiusdam peripneumonici mortui in publico xenodochio facta, usque adeò manifestam posteà mensis quidem Aprilis die xxvi. ostendi, ut uerum fateri cogerentur. Sed enimuerò prædictorum duorum casuum utrunq; in Illustrisſimo Domino Duce aduenisse, lippis etiam & tonsoribus cō sequentia symptomata manifestarunt. Quod enim membrana illa cō stas, thoracem'ue totum intersepiens, per aliquod effatu dignum spatium, à costis, musculisque intercostalibus separata tunc fuerit, prædictumq; pus in se, tanquam in sinu quodam, seu crumena, recipiens inde comprobatum est, dùm callus quidam fistularis in orificio appareret, illumq; erodere, consumereq;, ac (ut dicunt) mortificare intēderemus cum, oleo à quodam ex doctisſimis nostris proposito, ex Bertapalea, de ulceribus, cap. x. Quod (siue oleum Balsami, siue matrē Balsami appelles) mirabile ille, & infinitarum proprietatū appellat. quodq; ulcera quantumcunque profunda sint, siue in carne, siue in neruis, & osse, & apostemata saniosa, si cum eo laueris sine aliqua tenta, curaret infra nouem dies, quantumcunque terribilia, seu immunda, fistulata, uel cancerata fuerint, & noli me tangere, morbumque Egidii. Quod quidem oleum. Recipit terbentinæ unciam unam, thuris masculi uncias duas, aloes succotrini, masticis, gariofilorum, galangę, cinamomi, croci, nucis moschatæ, cubebarum ana unciam unam. &c. Quo quidem oleo, siue aqua tantoperè à doctisſimo nostro collega, propter Bertapaleæ laudes comprobato, ulceris labia intinximus, cuius (uelimus nolimus) introrsùm aliqua guttula penetrauit. Optimè igitur statim ulcus ipsum mundificauit, suaque uirtute membranam illam à costis, intercostalibusq; musculis separatam, ac semiputrem in pus quoddam uiscidum, tenaxq;, & glutinis instar distensum, crassumq;, & quale è putrefactis neruis, aut tendonibus, ac mem-

Respō. 2.

membranis egredi, fluereq; solet, conuersum, extrorsum expurgari fecit. Nec amplius post huiusmodi puris, putrefactæ'ue membranæ exitum, talis distincta puris collectio facta est. Id ipsum uerò circa tertium ferè completum mensem successit. Quod quidem balsaminum dictum oleum, tametsi quattuor, aut quinque diebus summopere contulit, donec scilicet hanc putrem iam membranam in pus conuersam foràs, sua calenti proprietate extraxerit: Mox tamen deindè nimiùm supercalfacere apparuit, adeò ut ab eius usu abstinere necessum fuerit, aliaq; præsidiorum genera uestigare. Quòd autem ea mēbrana iam suppurata recesserit, ex eo comprobatur, quoniam siue tussire, siue spiritu retento exufflare intendat, cutis ipsa intercostalibus musculis superposita, eo in loco, non secus intumescit, ac in crepatis rupto peritonæo conspicimus. Sed de pulmonis adhæsione, coalescentiaque cum intercostalibus musculis, ipsaq; etiam membrana, inditia hæc insequuta sunt. Etenim cùm per siphonem, syringam'ue priùs lotionem eiicere uellemus, ter magnā syringam euacuabamus, totumque illum liquorem pectoris cauitas recipiebat. Deinceps paulatim usque adeò huiusmodi iniectio diminuta est, ut postea duas, deindè unam tantùm, moxq; dimidiam syringam, ac tandem uix semunciam recipere potuerit, ubi priùs tres, quattuor'ue libras admittebat. Quodque maius est, pus, quod ex ulceratis quidem locis deorsùm, ad fundum usque, super ipsum diaphragma descendens, residebat, nec nisi deorsum inclinato capite, pedibusque sursum eleuatis, uehementiq; tussi, egredi solitum erat, post huiusmodi pulmonis adhærentiam propè foramen ulceris retinebatur, ut ex quauis minima seu corporis inclinatione, seu efflatione, aut spontanea tussicula egrederetur. At si aliud incommodi non esset, iam ad salutem promptè accederemus, sed quod omnem nobis sanandi difficultatem parit, est, quoniam non æqualis est huiusmodi pulmonis adglutinatio, sed alicubi ualida, alicubi debilis: in intermediis uerò quibusdam spatiolis libera, & sine adglutinatione existit. Quemadmodum sæpè per anatomen in prædictis casibus in xenodochiis obseruauimus, & in eo, quem diebus elapsis anatomizauimus pulmonico, iam nostris medicis publicè ostendimus, unicuique præcipientes, ut propriis digitis attrectaret. Inuenerunt enim, propriisque digitis omnes tetigerunt adhæsionis inæqualitatem, & quod in spaciis quibusdam minimè adhæreret: Alicubi uerò usque adeò tenaciter coalescebat, ut nullo pacto segregari sine pulmonis dilaceratione potuerit. Ex quo euidentissimè quod nos dicebamus patuit,

chi-

chirurgico cuidam, qui ferro immisso (quam tentam, siue tastum uocant) pulmonem à thorace separare uolebat, periculum enim instat, ne in tali separatione, tùm pulmo, tùm intercostales musculi (ubi membrana iam consumpta deest) magnoperè lacerentur. præsertim cùm uiderimus ad hodiernum usque diem, quòd immissa cærea candela (quæ prius tota mergebatur, nunc uerò post talem conglutinationem ingredi uix per eandem uiam deorsùm potest) siquidem enim plusquam leuiusculè quocunq; summergatur, euestigiò sanguinem emanare contingit. Quod igitur nostram perturbat curationem id ipsum est, quoniam, scilicet per ea intermedia spatiola, in quibus pulmo thoraci minimè adglutinatus est, puris aliqua portio descendere ad fundũ usque solet, quæ quidẽ posteà sursùm per angusta illa loca (per quæ paulatim, guttatimq; emanare potuit) reuerti nequit, ibiq; in fundo super septo transuerso aceruata, demùm sæua symptomata cũ febre excitat, ac præ cæteris dorsi, propè renes, dolorem, uentriculiq; imbecillitatem, consensu per æsophagon, eiusq; sexti neruorum cerebri paris neruos, ad iecur usq; ipsaq; intestina facto: necnon adiuncto etiam nonnunquam prædictarum partium tumore, ac dolore. sed cordis quoq;, ac capitis læsiones, & ipsius præcipuè laryngis, omniumq; deniq; partium affectus, ac passiones consequuntur: Quæ siue per neruos, siue per uenas, & arterias, cum thorace consentiunt, communicantq;. Sed nescio cur præcipuum talis cõglutinationis ipsius pulmonis cũ thorace inditium omiserim. Etenim cùm in mense Aprilis, talem coalescentiam, tàm rationibus prædictis, quàm publica anatome declararim, unde retento per multos dies pure febris ualidissima cum prædictis symptomatibus consecuta fuit. ulcere interim (uelimus nolimus) ad sanitatem uergente, cùm aliorsùm morbus, atq; pus ipsum tenderent. Ecce quòd die quodam, sæuissima superueniente accessione, repentè separatus pulmo est, omnisq; humor in concauo retentus, aceruatusq; affatim expurgatus est, talem tùm colore, tùm odore, ac substantia putredinem, ob diutinam in concauo restrictionem, præseferens, ut mirandum profectò, ac diuinum potiùs miraculum appareat, quomodo tali, tantaq; putredine infectis humoribus immersus pulmo, tandiu sine derosione, atq; infectione perdurare potuerit, uel aliquatenùs saltem in eius substantiam illius humoris portio inspersa non sit. præsertim cum resudans aliqua pars eius, & in pulmonis uasa, præsertim tracheæ arteriæ ramulos recepta, tandem per os interdùm screando, simulq; tussiendo expurgata sit. In ea igitur separatione repentè fa-



cta non solùm prompta, liberaq; puris (siue meliùs dixerimus) corruptæ saniei, copia tota in foramen ascendens exijt: sed cùm uellemus lauatorium per siphonem in eam cauitatem inijcere, ter, & quater illum plenũ recipere rursùs, uelut ab initio faciebat, incepit. Sicq; apertam esse totam uiam, spatiumq; absq; conglutinatione liberum patefactum est. Id quod nihilominus per quatuor, aut quinq; dies, & non ultrà durauit. Expurgato enim deinceps quodam sanguinis ichore, paulatim rursùs adglutinatus pulmo est, impeditusq; lotionis ingressus, ipsiusq; etiam candelæ, nisi secundùm rectitudinem uersùs dorsum, ut à principijs Madij ad præsentem usque diem separari non ampliùs potuerit. Inde igitur succedit, ut quanquam aliqua puris portio promptè, ac facilè (tanquam in superioribus propè ulcus retenta, præsertim quæ grossior, & tenacior est, ut ad descensum per prædictam resudationem, siue dixisse mauis percolationem, inepta sit) in quouis medicationis opere foras expurgatur: Nihilominus tamen tenuior eius ichor paulatim deorsùm resudans, in fundum descendat, ibiq; per octo, uel sex, aut septem dies, plus, minus'ue, sine manifesta putredine, ac febre retentus, deinceps putrescens & febrem, & ex prædictis symptomatibus nonnulla, modoq; plura, modò pauciora excitet, donec partim purgationibus per medicamenta factis, partim per febrem, quæ per sensui occultum halitum discutiat, partim per cataplasmata, & inunctiones, atq; aliquas etiam propinatas decoctiones, & syrupos, digestus, discussus'ue totus sit, tuncq; sedatis febre, & symptomatibus per aliquos dies quiescit. Iterumq; deinceps tertio & quarto ac pluries quibusdam ueluti periodis, tametsi præter ullam ordinis rationem, recidiuatio fit. Pro qua quidem intentione à me propositum quatuor, aut quinq; ab hinc mensibus, & ab omnibus profectò socijs comprobatum illud Carpi decoctum est, quod in tractatu de uulneribus capitis, seu cranei fractura descripsit, quodq; (ut anteà retulit idem) à quodam Hæbreo astutia quadam subripuit, illo tanquam optimum secretum recondente, cum quo nedùm Hæbreũ quam plurimos persanasse uiderat, sed ipse etiam Carpus multos deinde suo maximo cum honore, ac lucro ad perfectam sanitatem se perduxisse ait, Nosq; dum Neapoli publicè Medicinam profiteremur, similiter plurimos sanitati restituimus. Inter quos, eques quidam illustris fuit, quatuor in locis perforatum thoracem habens, quem uix unius mensis spatio, Deo opt. Max. fauente sanum reddidimus: Multos quoque Panhormi fistula uexatos, præsertimq; in thorace cum eo curauimus. Vnde nomen publicè inditum est, Syrupi magistralis contra fistulam.

stulam. Qui recipit foliorum, & radicum rubeæ tinctorum, radicum aristolochiæ longæ,& rotundæ; foliorum, & radicum plantaginis; foliorum & radicum consolidæ maioris,& minoris; foliorum,& radicum gariofillatæ; foliorum & radicum Centaureæ maioris, ana m.ij.radicũ altheæ,summitatũ rubi,summitatũ lapathi acuti,tanaceti, mille folij,pimpinellæ, pilosellæ,artemisiæ, sũmitatũ Canapis, caulis rubei,fragariæ ana m. i. thuris albi unc.ij. Sarcochollæ unc. j. uini albi bocalia x v.mell.lib. v i.&c.Quem tamen syrupum (siue decoctum nuncupare uelimus) circiter quinque mensium interuallo, tametsi non continuò, sed interpollatis uicibus,sæpissimè tamen, & in uulnere,& intus ulcus ipsum, & multoties etiam per os propinauimus,absque ullo tamen effatu digno iuuamento: Nisi dixisse (nec fortassis temerè) uelimus, quòd sat,superq; contulit,dùm à maioribus læsionibus præseruarit. Quem syrupum adhùc,uel cum Guaiaci decocto, uel cum alijs etiam appropriatis decoctis,scilicet gariofillatæ, pimpinellæ,pilosellæ, nepitæ, costi,summitatum canapis, agrimoniæ, rubeæ, glycirrhizæ,tanaceti, & huiusmodi rerum omnium tantoperè à doctoribus præsertim recentioribus in huiusmodi casu commendatarum, sæpiusculè propinauimus. Nec defuit quin aliquandò per plures dies id susciperet,ebiberetq; decoctum: Quod recipit agrimoniæ partes iii.plantaginis par.ij.foliorum oliuæ,ac filicis masculi.an.par. j.ligni indici par. iiij.uini q. j. secundùm artem. Cumq; huiusmodi syrupos,atque decoctiones abhorreret, ad Nicolai Sandem Florentini celebratum illud remedium peruenimus, quod Doctor ille ex Andreæ de Cumis obseruatione pernotauit, sermone quidem septimo, summa secunda,tractatu quinto,cap. sexagesimo quinto. Quod cùm suauius reliquis omnibus, ac facilius sit, summoperè nobis placuit. Verùm enim uerò huc usque nullum possumus remedium commendare, quod optatum finem nobis apportarit, quanquam omnia interim summis encomiis commẽdanda sunt,cùm præseruarint, & à morte dubio procul omni liberarint. Difficultatis enim sanandi ratio prompta,& in propatulo est.primò ob costarum fracturam,cum par- 1 tium defectu,præsertim uerò quintæ,quæ quidem ad præsens usque, cùm pontis altitudo sustineri nequeat, ob substantiæ deperditionem in medio factam, duabus sibi proximis depresior apparet, ut cuiuis quantumuis inerudito,atque ignauissimo,non modò ruptam, sed cũ substantiæ defectu esse huiusmodi costam,compertissimum sit. Fa- 2 uet autem & secundò huic difficili curationi, tùm membranæ costas succ ingentis prædicta mutilatio, tùm ipsius pulmonis cum membra-

na, magisq; cum intercostalibus musculis adglutinatio, & coalescen-
3 tia quædam facta, perindè ac prædictum iam est. additis insuper assiduis eius Illustrissimi viri animi affectibus, præter gracillimum habitum, uiriumque imbecillitatem. Quam quidem pulmonis adglutinationem cum omnibus relaxantium, humectantiumque, ac lubricantium, nedùm incidentium, abstergentiumque præsidiorum uariis generibus separare, frustrà, pluribus quidem diebus, conati sumus.

Tria proposita remedia reprobantur.

Verùm enim uerò prædictis omnibus adiungere non grauabor, quæ quidem impius quidam, tyrannusque chirurgus, & incurabilium ægrotantium rusticorum Xenodochio assuetus proposuit, vt cuiuis iudicandi ansa præbeatur, An ego Illustrissimi Ducis nostri curationē impedierim, quia tria hæc præsidiorum genera ab eo proposita reprobarim: an potiùs ipse, ni me resistentem habuerit, ægrotantem impiè trucidasset. Quemadmodùm multis efficacissimis rationibus coràm perillustri Domino Don Iosepho ab Aragona, nostri Ducis charissimo, atque unico fratre, cum aliorum præsentium medicorum applausu, demonstrauimus. Primum igitur in curationis processu, post duos ab initio Menses, fuit, quòd quatuor longas dissectiones in cute, & subiectis musculis facere uolebat, ad figuram X. Neque has duntaxat, parùm enim fortasse referret. Sed peractis deindè prædictis per medium ulceris dissectionibus, angulares illas quatuor cutis, & musculorum partes, ab ossibus exquisitè separare uolebat. Adeò ut costæ per totum id crucis spatium à carnibus, & periostio mundarentur, nō in fracturæ tantum loco, qui quidem discoopertus iam, & omnibus in propatulo erat. Atque idipsum dicebat, non modò ut omnes fracturæ partes, ac frustula ossium unica uice remoueret, uideretque quot, & quæ costæ fracturam passæ sint (quas uidere tametsi discoopertas nunquàm potuit, ut qui costarum situm, non à posterioribus antrorsum, sed supernè deorsùm uergere imaginabatur) sed deinceps etiam intercostales musculos sub ampla huiusmodi sectione, carnisque separatione existentes, dissecare, ad ipsam usque internā membranam, quam & unguibus, & digitis lacerare, ac dissipare uolebat, ut pulmonem tangere, atque apertissimè uidere posset, ipsumque à thorace digitis propriis segregare, ac unico demùm uerbo accommodare, ut quicquid intùs esset ita clarè, sicuti & exteriora conspici posset, præsentemque quandam à se intùs imaginatam carnuffam remoueret. Minimè animaduertens, quòd neque in cadauere talis operatio fieri potest, ut pulmonem commodè tangere, mouereque, & segregare, ac eius læsiones inspicere queamus, nisi quasdam etiam costas

ex trahamus, quò manus, aut digiti commodè ingredi queant, cunctaq; interiora conspici exquisitè possint. ultra quòd præ manibus operantium chirurgicorum obiisset, ut potè præsertim qui ex prædictis circa principia factis duabus sectionibus, tametsi leuissimis, respectu earum, quas excellens hic chirurgicus facere parabat, Tertiaq; rursùs mense Iulii facta, ut ossis frustulum quartæ costæ abscedens iam carperetur, ex iis inquam tribus, quasi leuissimis, earum respectu, sectionibus, in animi ferè deliquium cecidit, ac summoperè perterritus est. Secundū uerò propositum ab eo præsidium fuit, quoniam 2
puris exitum impeditum aliquandò aduertens, atque lotionis pariter ingressum, nec imaginari, neque credere ualens causam esse pulmonis prædictam ad glutinationem, nil aliud esse potiùs chimærizauit, quàm superfluam quandam carnem super excrescentem, & quam Græci hypersarcosim appellant, intùs existere, quemadmodùm exterius nonnunquam aduenire obseruauimus, hancq; puris, lotionisq; transitum impedire. Quamobrem talem à se imaginatam, non uisam carnem, intùs super excrescentem, erodentibus remediis consumere uolebat, puluere scilicet angelico Ioannis de Vigo (ut dicebat) uel caustico etiam medicamento, curam huius sibi dimittendam exhortans, non obstante (ut dicebat) quòd doctores omnes à mineralibus præcipueque erodentibus in huiusmodi casu abstinendum præcipiant. Modumq; admouendi erodentia caustica'ue medicamenta facilem, ac tutum edocere conabatur, instrumento scilicet quodam argenteo, fistuloso, curuoq;, quod oppositum deorsùm ad inueniendam illam carnositatem mergi posset, à lateribus interim perforatum erodenteq; simul caustico'ue unguento plenum, intùs quod, solidum aliud immittitur, quod illius instrumenti animam uocant, sicque intrò immissum, foràs per illa foraminula unguentum egredi faciat, quod prædictæ carnositati (quam alio nomine carnussam appellabat) adhærens, eam exquisitè eroderet. Quo quidem medendi modo, non nulli ad erodendum penis internum callum appositè utuntur. Hoc igitur facto, promptam consequi salutem promittebat. Tutam uerò curationem hanc spopondebat, imaginariam, sed non uisam carnem erodendo, nec non diuino quodam suo numine, illi unguento præcipiens, ne deorsum indè in thoracis uomicam descenderet, neque pulmonem ullo pacto contangeret: quemadmodum & ipsi etiam pulmoni præcipere potuerat, ut in semetipsum contraheretur, ab unguento sibi cauens, ne ullo pacto, donec curatio expleatur, carnisue erosio facta sit, ad thoracem accederet. Tertium denique 3
propositum

propositum præsidii genus, prædictis quidem duobus longè rationabilius, sed tamen adhùc non minus periculosum fuit, ut inferius inter quartam, & quintam costam, noua incisio fieret. Inter quartam inquam, & quintam, siue (prout alii rectius malunt) inter tertiam, & quartam ab infernis enumerando. Quæ incisio cùm ab ipso etiam Hippocrate secundo & tertio de morbis e, ac libello etiã de internis affectionibus f concessa fuerit (tametsi non in huiusmodi casu, sed in empyemate, seu aquæ collectione, in thoracis con cauo) deinceps uerò à recentioribus ad presentem casum translata: Nihilominus tamen eam in Illustrissimo nostro Duce fieri, periculosum esse, ac lethale conclusimus. Imprimis quoniam præsentes chirurgici, ipseq; præ ceteris, qui proposuit, se se, nec unquam talem fecisse incisionem, neque à præceptoribus factam uidisse dixerunt.

e. libro. 2. sec. 27. & 40. libr. 3. sec. 19. uersus finem. f. ante medium.

1 rurgici ... (see above)

2 Secundò quoniam quicunque doctores eam concesserunt, uirium robur supposuerunt, doloremque perseuerantem, ac sanici, puris'ue multitudinem præsertim uerò, ubi multa hec materia repentè retenta fuerit, nec aliquo modo expurgari queat.

3 Tertiò quoniam nullus, qui de hac incisione meminerit, in nostro casu, hoc est penetrantibus thoracis uulneribus, audacter de ea tanquam à se facta loquitur, aliquod interim experimentum bonum adiungens. Quamobrem & Guido de Cauliaco g, ex Gulielmi potiùs intentione, non ex suo approbato experimento eam proposuit. Qui tamen Gulielmus h (si de Placentino intellexit) eam potius reprobat, ut quæ dolorem dolori, ac debilitatem debilitati, cum spiritus amissione adiungeret. Nisi locus ille inflaretur, uel apostemaretur, & eminentiam faceret manifestam &c. Quo in casu nullus profectò esset, quantumuis pusillanimis, qui talem incisionem, siue apertionem retardaret. Quam obrem adeò prompta & publica, facilisq; huiusmodi sectio non est, ut nonnulli perfricata fronte nunc proferunt, qui eam ab initio statim uulneris faciendam fuisse, temerariè contendunt: Cum tamen ipsi (ut dictum est) nec se se aliàs fecisse, nec à suis magistris factam uiderint. Inde igitur succesit, quòd Nicolaus Florentinus i ait [De hominibus fuerunt, qui in omni uulnere cassali &c.] subditq; posteà [ueruntamen modernorum plures hoc uituperant, quia cum uulnus

g. tr. 3. doc. 2. cap. ultimo uersus finem. h. libro 2. suæ chirurgiæ cap. 12.

i. serm. 7. tr. 4. summæ. 2. cap. 58.

» possit sufficienter mundificari, non est opus alio orificio, immò ipsum facere, non est, nisi ægrum debilitare, dolorem inducere, & defluxum materierum parare. &c.] Quibus addas quarto quod si in aliis conferret, in hoc tamen casu periculosior est, ob costarum fracturas. licet enim inferiùs exitus fieret, ossium tamen defectus in antiquo uulne-

uulnere clausionis, ac perfectæ sanitatis impedimentum, aut difficultatem omninò talem facit, ut Aesopicum illud carmen canendum succedat, pro terra loquens [Sole necor solo, quid erit, si creuerit alter?]. Siquidem igitur tantoperè unum foramen, ulcusq; affligit. Quid erit posteà cùm duo erunt, aperto uidelicet altero, neque
priore sedato? Sed quinto quędam noua experimenta prędictæ nouę 5
apertionis periculum pręseferunt. Etenim chirurgicorum quidam auditis his altercationibus, rumoribusque, ac publico murmure, quòd scilicet si inferiùs incisio fieret, statim Illustrissimus Dux sanus euasisset, in talem incisionem audacter peruenerunt, qui tamen eo modo aperti citiùs interierunt, nostro interim Illustrissimo Duce uiuo existente. Sed hæc tanquam fortassis pauci momenti dimittantur. Ad
sextam uerò rationem perueniamus, quam tu Illustrissime Ferdinan 6
de, cùm in collegio intellexeris, omninò fugiendam esse talem incisionem exclamasti: Neque tanquam à nobis iugulatus tam bonus, probusque eques intereat. Est autem hæc, quoniam cùm pulmo thoraci adglutinatus sit, atque coalescens, nec æqualiter, atque uniformiter per totum facta talis adglutinatio sit, aliqua semper puris portio deorsum in fundum resudat, percolatur'ue, quæ sursum (uti diximus) reuerti non potest. At non tota deorsum resudat, descenditq;, sed pars eius (ut patet) tenuior: Crassior enim ac tenacior in superioribus propè foramen supernatare, ac residere uidetur. Adeò ut statim remoto elychnio, linamento'ue, aut candela, siue spongia, uel gentiana, siue quouis alio, quod foramen obturabat, extrà fluat. Siquidem igitur propè fundum noua facta incisione aperiamus, iam per nouum id foramen tenuior illa sanies defluet. Verùm cùm grossior, tenaciorq; materia, siue pus minimè descendat, utrunque foramen apertum retinere necessum est. Sicque si de unica fistula periculum in
stabat, duæ pro una remanebant. Sed addas septimo, & fortiùs. Quo 7
niam quis me certum facit, quòd incidendo siue inter tertiam, & quartam, siue inter quartam, & quintam, siue lanceola, siue quouis instrumento incidamus, in eum locum non penetremus, ubi pulmo ipsi membranæ coalescens, adglutinatusq; est? Sicq; incidendo, simul ipsum quoque pulmone non uulneremus? uel saltem eius membranam non incidamus? Secùs enim est in casu, quem Hippocrates describit. Vbi puris, aut aquæ multitudo thoracem replens est, media quidem inter pulmonem, & thoracem posita. Adeò ut tutò nedum lancea, sed ignito etiam ferro perforare queamus, cùm nō in pulmonem, sed
in aquam, siue pus, ferrum id, quodcunque sit, procidat. Quòd si 8
demum

demùm dexterrimus homo sit, qui talem incisionem facturus est, membranamq; solam costas succingentem, intacta pulmonis membrana, incidere posset: Siquidem in loco huiusmodi apertio fiat, ubi pulmo thoraci adglutinatus est: quid talis perforatio deseruiret? cùm neque per id foramen tenuis ichor ad fundum thoracis descendens egredi, neque etiam crassum pus descendere, atque exire posit? Sic igitur frustra nos importuneque aliam adderemus fistulam, aliumq; dolorem, & sanguinis effluxum, uirtutique imbecillitatem adiungeremus, si modò citioris mortis periculum non inferamus. His igitur perpensis periculis, ut scis Illustrisime mi Regule, non chirurgici modò, ac physici omnes, sed tu quoque, aliique præsentes uiri Illustres, ac spectabiles, præsertimque Illustris Biccari Comes, omnes demùm timidiores me euasistis. Ego enim quanuis maximum adesse in ea incisione, periculum prædixerim: In casu tamen penitùs desperato faciendam esse conclusi, ut nihil intentatum dimitteremus. At reliqui omnes, tuque præ cæteris, siue desperatus sit, siue non, potiùs sic morbi ui, quàm trucidatum obire determinastis. Nec alia unquam in nostris publicis, siue priuatis collegijs dissensio fuit. Vnanimi enim consensu (ut sæpè tu ipse præsens uidisti) perpetim omnia determinata, factaq; sunt, quanquàm postica sanna susurrones non nihil à tergo blacterarint. Hæc sunt mi Illustrisime domine, quæ circa miserandum Illustrisimi nostri Ducis casum, eiusq; curationem hucusq; contigere: quorum maximam partem distinctiùs, tùm in nostris collegiis, plurimis adfuisti, eoq; præsertim in quo tibi cuncta epilogaui, tùm in particularibus medicationibus, aliisq; indies tibi factis relationibus audiuisti. Sat enim hic fuerit singula summatim, & per capita currenti calamo, calcaribusq;, accelerante, ac stimulante tabellario tetigisse. E quibus omnibus, prognosticatio uel ipsi ignauisimo Iotario, aut Thersitę innotescit. Dei tamen Optimi Max. gratiam speramus, quòd paulatim, paulatimq; indies usque adeò per totum pulmo thoraci coalescat, ut nihil puris ex ulcere resudantis deorsùm ampliùs descendat, uel fortè (quod potiùs exoptarem) totalis separatio pulmonis à thorace fiat, cùm exquitè desiccatum ulcus euaserit. Sicq; non continuus, sed contiguus thoraci pulmo, uti secundùm Naturam esse solet, euadat: indeq; paulatim ad tantoperè desideratam, non ab urbe hac modò, sed à toto ēt regno, aliisq; omnibus, qui eum aliquo modo cognouerunt, sanitatem reducatur. Pro qua quidem, sequenti mense, uidelicet Septembris, mutato imprimis aere, tùm cum Guaiaci, atq; unà, & prædictarū in tali casu à

Do-

Doctoribus summoperè cõmendatarũ rerum decocto, tùm cum cõueniente uictus ratione, ac purgationibus. Demũq; cum callosæ, obstracosæ'ue substãtiæ ulceri adiacentis erosione, ac (ut nõnulli uocãt) fistulosæ carnis mortificatione, atq; abstersione, seu mundificatione procedentes, nos Naturam ipsam ad rectum, bonumque opus, pro sanitatis adeptione, excitabimus, adiuuareque non desistemus. Illustrissima uerò dominatio tua interim pro dilectissimi tui Ducis reparanda salute, si possibile est, ex cunctis Orbis partibus, à doctissimis uiris, undecunque licuerit, præsidia disquirat, cùm non omnia possimus omnes: At sæpenumerò contingat non Doctores modò, sed interdùm ignauissimum aliquem, aut fortè mulierem alicui morbo suppetias dare, quas doctissimi quidem plurimi nequiuerunt. Nos uerò interim à Deo Opt. Max. mentis illuminationem rogamus, oramusq;: Cũ omnis uirtus inde gubernetur; sine quo nil boni succedere potest. Vale mi Domine dulcissime, & Philippum tuum, uti soles, perama. Panhormi. Die XXIIII. Augusti M D LXII.

Hæc fuit à nobis ad Illustrissimum Ferdinandum prænarrata totius casus historia. Quam quidem à te deinceps ad Romanos medicos transmissam audiuimus (quanquàm illi à me sibi missam opinantur) ea igitur à doctissimis illis medicis exquisitiùs percepta, post multa, pomposaque (ut aiunt) collegia, consultationes'ue quàm plurimas, in quam denique peruenerint illi sententiam, quàm per octo ueluti aphorismos concluserunt, ex propriis eorum uerbis intellige. cùm sic scribunt.

IN NOMINE DOMINI.

Supposita historia, quam excellentissimus Philippus Ingrassias ad nos misit.

1 Quoniam morbus diuturnus est, uulgari, & subuulgari uictu utendum, ut plus, minus'ue assistentibus uidebitur.

2 Et quoniam ualdè gracilem illum euasisse audimus, nisi pro copia ingesti cibi deiiciat: uel clysteribus utendum alternis diebus, uel decimo quoque die corpus est purgandum, debili tamen medicamento, cùm ualido ualidum, debili debile potissimùm conueniat.

3 Qualitas purgatorii à re, quæ tamen euacuari debet sumenda. Id quod à nobis cùm definiri non possit, his, qui assistunt relinquẽdum.

4 Quanquàm uerò potionibus, quæ à chirurgicis ad fistulam in pectore laudantur, non admodùm confidimus, quemadmodùm etiam neque lauacris, quoniam hucusque sæpiùs tentata, parùm admodum profuerunt: nihilominùs his eisdem non damnatis, negligendum nõ est experiri decoctum consolidæ, & uocatæ pilosellæ, similiter exhibitum quemadmodum aliæ potiones exhibeantur. semper & in hoc decocto, & in omnibus, quæ administrantur, considerata conferentia, & tollerantia.

5 Ligni decoctum non admodum conferre uidetur: tùm quia corpus ualidè extenuatum esse intelligimus: Tùm etiam quia sæpiùs febricitat: lignum uerò calefacit, exiccat, extenuat, & febrem auget, nisi à gallico morbo huiusmodi mala proueniant. id quod ad præsens non contingit.

6 Quocircà in eius locum radicem chinarum potiùs eligimus, præsertim quia in hoc morbo oportet imprimis fluxionem prohibere, quæ in ulcus, eiusdemque partes exiccare, carnem illi adnatam consumere, internum callum amouere, & quoad fieri potest, siquid puris, aut saniei, ubi ulcus forte clausum fuerit, in thorace retinebitur, expurgare, resoluereque, quod præstare potest sudore, & per urinæ uias, & per sputum.

7 Et quia uires eiusdem Illustrissimi Domini imbecillæ sunt, non exhibendum esse, ut communiter exhibetur, ex aqua, sed dicta radice minutim incisa replere uentrem caponis, aut gallinæ: & facta decoctione secundùm artem in iure, de hac sumere unc. VI. plus, minus'ue

QVAESTIO,

De Medicamento purgante,


*atque obiter etiam de ſanguinis miſ-
ſione, Au ſexta die poſſint.*

QVÀ OCCASIONE DE OMNIBVS
alijs diebus determinatio fit, In quibus præcipuè
purgare, necnon, & ſi oportuerit, ſangui-
nem mittere poſſumus.

IOANNE PHILIPPO
INGRASSIA RACHALBVTENSI,
AVTHORE.

AD
Illuſtrem Biccari Comitem.

VENETIIS, MDLXVIII.



ILLVSTRI

D. VINCENTIO BOSCO,

BICCARI COMITI,

ac in officio Magiſtri Iuſtitiarii Regio Locumtenenti digniſſimo, & Domino Miſirimeris, Riſalayni, & Baidæ &c.

IOANNES PHILIPPVS

INGRASSIAS. S.P.D.



VM Illuſtris Dominus Don Ioſephus Rocheſenſis, Buxemæ comes, leuir quidem tuus, periculoſa quadam febre, paucis abhinc diebus, uexaretur: Multique aduocati medici adeſſemus: propoſitus inter nos ſermo eſt, die quinto, de purgando quàm primùm eius corpore, in fine illius diei (priusquàm ſexti acceſsio ſuperueniret) ſiue dixiſſe malumus, iuxta uulgarem loquendi modum, *a* in die ſexto. utpotè quia cacochymum tale corpus ab omnibus eſſe noſceretur, & periculoſiſſima quædam ſymptomata apparerent: præſertim cordis morſus aſſiduus, uſque ad frequentia animi deliquia, cum extremorum frigiditate, ac pulſus quadam inæqualitate, incredibilique eiuſdem compreſſione, nec non praſinæ, uel interdùm æruginoſæ bilis uomitu. Quo uerbo de purgatione propoſito, te ſtatim admirantem animaduerti: Quocircà & interrogantem, Nùm in ſexto purgare hominem uellemus? Quaſi non aliud innuens, quàm nos in eam incidere opinionem, & falſam, & à multis reprobatam, ut ſexto die purgandum cenſeamus.

a. ut declarabit infra in cap. 4. 5. & 6.

seamus, sicq; necessariò interficere nostrum uelimus ægrotantem. Qua quidem hebdomada, cùm ob easdem, atque alias urgentissimas causas, Dominum Don Franciscum Lanceam purgare, in sexto etiam die, parauerimus, ut qui die quarto nos celeberrimo illi medico Baldassaro Gomes (cuius animam Deus beare dignetur) super uocati, statim huic sanguinem opportunè miseramus. Adeò ut eo die optimè, & quasi uti sanus se habuerit: Quinto autem insequente die rursùs usque adeò intensus, adauctusque morbus, unà cum periculosissimis inditiis, symptomatibusve superuenerit, ut quamprimùm de purgatione loqueremur, pro fine quinti, seu dixisse malim pro sexto: Spectabilis interim Dominus Don Cæsar Lancea publica commotus uoce, ac sanguine coniuncti Francisci uitam charam habens, eiusque pericula ueritus, persuadere (quamuis frustrà) illi conatus fuerat, ne in eo die, tanquam ad purgationem pernicioso, medicamentum assumeret. Frustrà inquam, etenim eo iam die necessitate coactus illud deuorauit, deuoratumque, mortis periculum sibi remouisse, pro compertissimo Dominus ille Franciscus habuit. Quemadmodum (ut alios quàmplurimos omiserimus) Dominus Don Franciscus Beluisius Hispanus, Moticæ Comitatus diligentissimus gubernator, quàmplurimis etiam ex eis, qui astabant, amicis, atque affinibus, necessariisve oppositum reclamantibus, eiusque diei purgationem expauescentibus, à maximo, imminentique mortis periculo uendicatus, atque ad portum nostra, & insimul doctissimi Benedicti Vitalis opera, deductus est. Quanquàm Illustris tuus cognatus Buxemæ comes, ut potè remissis iam sæuissimis illis symptomatibus, morboque interim inducias præbente, purgandus postea, unanimi omnium curationi astantiũ medicorum consensu, minimè uenit. Auditis ergo hinc, & inde

inde, pro tali ad purgandum die, calumniis, rumoribusq; , Animum ad scribendum multis abhinc diebus pro extirpanda huiusmodi praua hæresi, protinùs appuleram. Verùm enim uerò à quamplurimis intereà ægrotantibus impeditus, cunctabar, procrastinabamque. Cùm præcipuè huiusmodi nouæ phantasiæ Authores, ac rationes deriderem, flocciquc facerem. Cùm uerò animaduerterim usque adeò pestiferam hanc luem (sic enim uocare talem hæresim libet, quæ multorum perniciem afferre queat) irrepsisse, ut non uulgares modò, atque Idiotas: sed doctos, ac Nasutos quoque uiros infecerit: Ac tandem (ne ultra progredi queat) te ipsum alioquìoculatissimum, diuinoque potius, quàm humano ingenio præditum, & omnigena ferè litera perdoctum, coinquinare occeperit (unde admirantem cùm te de hoc inspexerim: Admiratus quoque statim ego fui, quantam uim absque remediis omissum pestiferum dogma obtinuerit: ut uiros alioquin percelebres, ac doctos, si non radicitùs, ac ex penetralibus inficiat, titubare saltem faciat) proindè spopondi tibi, eo uespere, statim arrepto calamo, rem hanc aggredi, & pro communi Reipublicæ usu, ueritatem enucleare. En igitur mi dulcissime Comes, & corpore, & anima: Quin & Natura, & Arte Illustris, quod spopondi iam exequor. Tu uerò interim, ut soles, quæso sigillatim acutissima tua limula, quæ dicemus, cuncta perpendas, Diuinique tui ingenii bilance, perlibres. Quò possis irreuocabilis fieri testis, & doctor deprius: Mox uerò deindè inuictissimus oppugnator, ac defensor ualidissimus aduersùs eos, qui nos aliquando calumniantes postica sanna (prout multorum ignauorum mos est) deridere uelint. Quem enim ad huiusmodi tutelam, ualidiorem, atque aptiorem inuenire unquàm potero? Nullum profectò, quemadmodùm tu es, qui & authoritate,

ritate, & ingenii tui præstantia præcellis. Vale igitur, & Philippum tuum (ut annis abhinc multis iam cæpisti) amore prosequaris. Nos uerò interea propositum aggrediamur. Panhormi, anno à Deiparæ partu 1558.

QVAESTIO

QVAESTIO AN SEXTO DIE PVRGANDVM SIT.

CAPVT PRIMVM, In quo argumenta, Authoritates, quibus aduersantes suam fundarunt hæresim proponuntur.



SCIOLI quidam, ut aliquid noui in medium afferre uideantur, rumorem quendam Panhormi imposuerunt, agitaruntque, nullo pacto purgandum fore in sexta die, uociferantes. Adeò ut si quispiã fortè fortuna die sexta pharmacum sumpserit, omninò moriturum hunc, non secus ac si lethale uenenum deuorarit, pronuntient. Intantũ uerò celebrata huiusmodi noua phantasia est, ut multos inueniam uiros etiam spectabiles dictos, & Illustres, qui pharmacum sexto fortassis die aliquãdò præbendum intelligentes, quamprimum terrentur: quanquam innumeros quotidiè uiderint, ab urbe (ut ita dixerim) condita, statim sexto die purgatos, ad salutem peruenisse. ueluti econtrà (ut alios ferè innumeros prætercam) cuidam huiusce hæreseos, re, & nomine primo successit. Qui proprium fratrem habens maligna febre correptum, iam agitur (si rectè memini) decimusquintus annus, ipsumque nolens ante septimum diem, sexto purgare, octauum expectare certa quadam sibi proposita lege decernens, prout in aliis omninò faciẽdum exclamabat: ac si octauus secum omnẽ coctionem necessariò afferret: In fine tamẽ septimi, aut octaui principio uitã priùs illum cum morte commutasse uoluit, prauos omnes humores unà secum ad foueam reportando. Qua interim eius anni tempestate (Deum testor immortalem) omnes ferè, qui sexta die, uel ante illam purgati fuerunt, à septima nil amplius detrimenti, ui morbi suscepere. Silebo etiam (quia non sine lachrymis recordor) amicissimi eiusdem hæresiarchæ obitum, in sęuissima præsentis anni constitutione, ut suam foueret opinionem: qui neque sanguinem mittendum, neque purgandum fore, tempestate calidà, quantuncunq; magnus morbus sit, robustusq; ac plenus homo fuerit, usque adeò, temeraria quadam pertinacia, sustinere uoluit: ut absque sanguinis missione, sibi quampluri mis quidem rationibus necessaria, & absque purgatione demùm (nisi post factam longo tempore uenenosorum succorum in corpore impressionem)

[illegible]m) ad Iouis cœnam conuolauit. Verumenimuerò quoniã decantata huiusmodi garrulitas est, omnesq; etiam Idiotæ Achilleũ horum argumentũ, statim proposita sextæ diei purgatione, in mediũ afferunt: Idcircò & nos illud referamus, ut quanti roboris sit, percipiamus prius, atque perhibeamus. Et deinceps unicuiq; pro extirpanda hac hæretica prauitate, propalemus. Est igitur ualidissimũ eorum Argumentũ tale (Quod tametsi paucis uerbis ab ipsis proferatur: Nos tamen, pro maiori eorum confusione, ac ueritatis elucidatione, multis corroborantes authoritatibus, uberrimè declarabimus, hoc modo). Medicus est artifex, imitator Naturæ *a*, non impediens eam: Ergo medicus debet ea facere duntaxat, quæ Natura facit conuenienter, & sine læsione, ac eam impedire non debet. Tunc ultrà. Ea medicus facere debet, imitando Naturam rectè operantem, quæ Natura benè & rectè operans facit. Sed Natura rectè operans nunquã in die sexto purgat, nisi cum maxima læsione, pessimisq;, ac periculosissimis symptomatibus. Adeò ut uel mortem, uel in peius faciendam permutationem, uel recidiuam, aut morbi logitudinem, & materiæ rebellionem preseferat. Igitur & medicus (nisi uelit in huiusmodi incommoda, & pericula ægrotum suum perducere) neutiquã debet in sexto die mouere, nec leui medicamento agitante, neque ualido perturbante, utrisque his in uitæ discrimen ægrotum impellentibus. Vtrunque enim medicamentum, & quouis modo exhibitũ periculosum est. Nam ueluti pręassumptum est, neque leui euacuatione, & ut (ita dixerim) minoratiua, neque ualida, & eradicatiua, rectè operatur Natura ipsa, in sexto die, siue per alui profluuium, aut sudorem, siue per sanguinis effluxum è naribus, aut sede, uel utero. Nisi (ut aliqui ex Galeno *b* opinati sunt) per urinam. Quanquam neque absolutè Galenus bonam uoluit, immò pessimam posuit in sexto die factam urinæ expurgationem: ut quæ neque in propria substantia, neque in contentis aliquid boni portendat, quam ob causam neque possit futurum aliquod bonum præsagire: Nisi quòd euacuata multitudine, aliqua consequatur utilitas. Quemadmodum & in ceteris quoque omnibus euacuationibus, quæ symptomatis ratione adueniunt, dicere possumus, quòd scilicet uacuati humoris ratione, aliqua tandem per accidens, consequi utilitas queat, sed longè maius est sæpenumerò damnum, ea uacuationis utilitate. Probatur autem pręassumptum de sexto die, quòd malus ad euacuationem sit, ex quãplurimis Galeni, Hippocratis'ue locis conformiter sextum diem uituperantibus, ac satis sit nunc undecim loca in medium afferre. Perinde

a primi aphoris. cõ. 2 & 20. & 21. quinti 22. & alibi sæpè.
Arg. 1.

b primi de diebus decret. c. 4. uersus medium.
Galeni locus. Quòd etiam urina 6. die profluẽs, non bona sit.

Primo.

,, indè ac primo libro de diebus decretoriis, apertisimè imprimis ap-
,, paret. Quùm prçcipuè sic ait *c* [In sexto iudicantur, sed cum diffi-
,, cilibus symptomatis, & periculo non mediocri. Ad hæc absque fide,
2 imperfectè, obscurè, sine notis, & ad malum]. Sunt autem difficilia
symptomata, ut ipsemet postea *d* declarat) cataphora, caros, sensus,
ac uocis priuatio, defectus'ue, Animi deliquium, pulsus concidentia,
coloris defectus, tremor, collapsus, parotides malignæ, uel morbus
regius, uel aliquis alius abscessus ad discusionem rebellis. Atque hçc
leuiora: plurimis uerò sincope, sanguinis immoderatus fluor, cato-
che, seu catalepsis, Mania. Quibusdam uerò, & insanabilis marasmus:
omnibus autem perniciei discrimen imminet. Quod igitur dixerat
[cum periculo non mediocri] declaratum iam est. [periculosam] e-
3 nim exposuerat ipse etiam Galenus *e* sextæ diei crisim, quæ cum sym
ptomatis grauibus accidit. Ad hæc [absque fide] siue [infidam] siue
[incertam] interpretatus est, quùm scilicet morbi recidiua contin-
git. Quanuis aliquandò, sed rarisimè, sine recidiua fiat. Id quod non
sine admiratione, Hippocrates nonnunquàm contigisse in uirgine
4 quadam Larissæ refert. *f* Mirum enim (inquit in eius commento
Galenus) non reuertisse: Cùm sextus dies non iudicet unquàm fide-
liter. Ratio tamen huius rari casus (scilicet sextæ diei crisim non reci
diuasse) assignata est: uidelicet menstrua diutiùs, ultra sextum quo-
que diem perdurantia [imperfectam] quoque Galenus *g* declara-
uit, cùm ex morbo quidpiam delinquitur. [obscuram] quæ citra ex-
cretionem, uel abscessum quempiam euenit. [sine notis] quæ à nul-
la priore die indicata est. [Malam] denique ait, quæ in ægri perniciem
5 omninò desinit. Demùm (post aliqua subdit Galenus *h*) Quod ma
,, li genus est, quod sextæ diei crisis non affert? Mihi equidem frequen-
,, ter in mentem uenit, septimi Diei naturam Regi assimilare, sexti ue-
,, rò, Tyranno. Ille siquidem clementior, tanquàm bonus aliquis prin-
,, ceps, iis, quos iudicat, uel supplicii partem adimit, uel illustrat uicto-
,, riam. Hic econtrariò uel pernicie illius, quem iudicandum accepit,
,, gaudet: uel salute dolet, quæritque ubi animum expleat, & malè æ-
,, grum, qui in ipsum incidit, tractet, & longa punitione exerceat]. Id-
6 circò & post aliqua rursùs ait *i* [Hæc autem dicta sunt. Morborum
,, solutiones, quæ subitò, uniuersimque fiunt, excretionem quandam,
,, uel abscessum euidentē requirere: Dierum uerò in quibus eueniunt,
,, Naturas esse differentes. Etenim septimum, & frequenter soluere, &
,, perfectè, & cum fide, & salubriter, & sine periculo, & clarè, & cum bo
,, nis signis. Sextum frequenter quidem & ipsum, sed non septimo simi

c. cap. 2. post princi pia.

d. cap. 4. post princi pia.

e. cap. 2. in fi.

f. tertij de morb. uulg. commentario 3. tex. 83.

g. ubi supra scilicet primo de diebus decret. cap. 2. in fine.

h. ibidem cap. 4. uersus mediū.

Septimus Regi, Sextus uerò Tyranno assimilatur.

i. cap. 5. post principia.

liter. Nam & pauciores ipsum iudicare, & solutionis modo plurimum
differre. Neque enim bonas, salubresque ipsas esse, uerùm malitiosas
plurimas. Neque si bonas solutiones, omninò & perfectas: Immò ne
que si perfectas, statim etiam cum fide, quia nonnunquàm morbus re
uertitur, exactè licet solutus esse uideatur. Quinetiam cum periculo
& obscurè sextum diem iudicare. Idque ei maximè proprium esse. Sed

k. ibidem cap. 4. post principia.

7 quartus, ipsius, ut etiam septimi, index est.] Quantò igitur pauciores
in sexto indicantur (ut anteà prædixerat] k quàm in septimo: tan-
tò quoque maligniorem sextum inuenio. Vt qui ferè exaduerso natu
ra septimo oppositus sit. Quinetiam qui in quarto ad peiorem statum

l. ideus uide tertij eiusdem ca 8. uers. finem.

recidunt, plerique sexto moriuntur. l & si rarò interim ad meliora
conuersionem in quarto die euenientem sextus excipiens iudicarit.
Incredibile est, quanta cum perturbatione, periculo, & metu hoc fiat,
quasi æger statim adeò fato sit functurus.] Quas etiam ob res, & ad

m. uersus finem libri.

Glauconem primo libro idem Galenus ait m [sextus magno appara 8

n. secundi aphor. com. 23. post prin.

tu indiget, et sæpè neque ulla in eo fit crisis. Quòd si fiat, neque sine pe
riculo, neque fideliter id accidit.] Sed quid opus est uerbis? Vniuer- 9
sa enim Græcorum, Latinorum, atque Arabum schola reclamat, sex- 10
tum diem ad crisim ineptissimum, periculosissimumque esse. Iudicat

n. libro. 3. com. 1. uer. fi.

enim & sextus nonnulllos (inquit alibi Galenus) r sed non benè.
Qua de re & in prognosticis n quoque sic scriptum reliquit. [Inter
cidit quandoque sextus, qui malè iudicat, propterea quod cum acci-
dentibus difficilioribus interdùm faciat excidere iudicationem ad hy
percrisim q. d. superiudicationem nominatam, quia iudicatio ultra
debitũ prorogetur tẽpus. Non. n. integrè discutit morbum, sed imper
fectè. & si quandò integrè discutit, prorsus efficit recidiuam.] Idcircò
etiam & ante ipsum Hippocrates, tamet si à febre ardente habito, rigo

o. ut quarti aphor. 58. p. ibidem aphor. 29.

re superueniente, solutionem fieri, nonnunquàm scripserit: o No-
luit tamen sexta die factum huiusmodi rigorem comprobare dicens,
[p Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequi
tur] Difficile autem (exposuit in Commento Galenus) hoc est,
malum iudicium, ac si malè iudicantes febres dixisset, uel non firmi-
ter. Immò quibus facile foret, fieri recidiuam: uel in longum tempus
extensum tale iudicium. Ac si dixisset, difficulter solubiles febres. Cũ
casibus uerò quandoque difficillibus, sextæ diei iudicium fit.] Itaque

q. ut primi de dieb. decret. cap. 4. post. prin.

si Natura nunquam in sexta die recte operatur, nisi (uti dictum est) 11
pessimè atque præter intentionem, etiam si à quarto in melius uer-
gente indicatio nonnunquàm facta sit, q ut cum anticipatio septi-
mi fit: Cur ergo medicus, qui Naturæ uel imitator fidelis, uel adiu-

tor

tor,& famulus esse debet, in sexta die uacuationem parare, mouereque,inuita Natura,& cum ipsius periculo, debet? Nullo igitur medicamento mouendum,perturbandumque fore, sexto die,pro illis,omninò concludendum est. Quidam uerò alias quoque rationes in medium afferunt,sic dicentes [Vbi septimus dies instat, (Galeno r authore) Nequaquam ægrum nutrire conuenit: sed ante unum diem, uel anteà minus exhibendum est.] ergo si ante unum diem non est cibandum, ne diuertatur Natura ad cibum,quo reficienda potiùs ueniret: Quomodo non erit negandum pharmacum, & cane peius, & angue fugiendum, quo non diuertitur modò, sed debilitatur natura ipsa, adeò ut impotens fiat ad prælium septimi? Prætereà ex Arabum principis authoritate, id ipsum comprobant, quasi apertissimè quod quærunt ostendentis,per hæc uerba ſ [Oportet quum crisis est propinqua,ut regatur æger regimine quodam: & quùm est longinqua, ut regatur regimine alio. Et oportet ut in die crisis,& qui ei proximus est,regatur æger regimine proprio. Non ergo moueatur omninò cum medicina.Fortasse enim adiuuabit Natura ad euacuationem. Quare superfluet uehementer: & fortasse faciet ei contrarietatem in parte sua: Quare pariet laborem,uel contrarietatem motuum,& non crisim,& non fiet euacuatio.] Iam ergo ex prædictis uerbis liquet: in die crisis (ut u.b.in septimo) & qui ei proximus est, (ut patet in sexto) non mouendum esse omninò cum medicina. Etenim fortasse adiuuabit Natura ad euacuationem: puta si apparuerit ipsa uacuationem facere per uentris fluorem, Medicina quoque per uentrem mouet, Adiuuabit inquàm tunc Natura medicinam, & medicina Naturam. Quare superfluet uehementer. Fiet enim immoderatus,ac per hoc periculosus fluxus. Et fortasse faciet ei contrarietatem, quia scilicet Natura per sudorem,uel per urinam crisim facere intendit: Medicina uerò per uentrem exagitat. Vnde succedit Naturæ labor,& contrarietas: indeque maximum damnum,& fortassis etiam mors. Quis ergo medicamentum purgans sexto die propinare auderet,in tali status discrimine? De quo canere possumus [Incidit in Scyllam cupiens euitare Charybdim?] Adhùc ad Galenum reuersi, ipsum quoque non per ambages,sed expresse medicamentum sexto die propinatum condemnare,inuenisse gloriantur,quùm sic ille testatū dereliquit t [Cum igitur morbus uelut ad septimum festinat, & secundùm ipsius rationem,in eodem finiturus est: mediæ uerò accessionis magnitudo Naturam ad crisim, ante suum tempus uenire compellat, uel si extrinsecùs aliquid eueniens,ipsam irritet,sic crisis sexto die prærumpet. At-

r. sec. de dieb. decret. cap. XI. uers. fi.

Argumentum secundum.

Argumentum tertium.

ſ. secunda quarti. te. sec. ca. 10. in prin.

Argumentum quartum.

t. 3. de die. decret. cap. 8. uers. finem.

que hæc tantò peior est ea, quæ septimo futura erat, quantò magis ipsam præuertit. Pessima uerò crisis secundùm aliam rationem, sexto die accidit &c.] itaque si non modò accessionis, morbi ve, aut causarum (prout anteà dixerat) *u* magnitudo, sed aliquid extrinsecùs adueniens, ipsam Naturam irritare queunt, & ante suum tempus pessimam crisim facere compellunt, puta ante septimum, uidelicet in sexto. Illud autem extrinsecùs aduenicns, tametsi Medici, Aegriq;, Astantium, & exteriorum omnium erratum esse (ipso etiam docente *x*) potest, Nil tamen magis, quàm medicamentum purgans esse apparet. Quis ergo sanæ mentis homo medicamentum sexto die propinare, cane peius, & angue rabidis, nō fugeret? Cùm crisim ipsam anteuertere, prærumpereq; cogens illud, ægrum ad perditionem inducat? De quo tres pulchras comparationes Galenus ipse subdit, sic dicens. Considera iam mihi tale quid in Natura accidisse, quod hominibus infirmis contingit: qui à fortioribus quibusdam irritati, pro necessitate impetum faciunt, inuaduntque eos, & imparati pugnantes superantur. Quinetiam onus deponere quis uolens, interim uel inuitus cum eo concidit. Item uehementiùs quis currens, deindè seipsum retinere nequiens, inuitus contra conuallem delatus est. Omnia hæc exempla malis iudiciis attribuuntur.] Hæc igitur sunt aduersorum motiua, tametsi paucissimis, quin & imperfectissimis uerbis dicta ab eis, à nobis uerò, pro maiori eorum confusione dilatata, multisque (ut uidetis) Galeni locis comprobata. Quæ quidem ad hùc, neque ab ipsis unquam audire, nobis permissum est (cùm à tergo semper, nunquàm uerò coram nobis locuti sint) nisi per quoddam epistolium doctissimi, non minùs quàm expertissimi senis, nostrique olim præceptoris Ioannis Petri Apari, Ioanni Matthæo Crescentio, celebri quoque medico, ac nostri amantissimo missum, perceperimus. In quo quidem non enarrat modò illorum rationes, & quibus innituntur authoritates, sed pro ueritatis defensione, ac Reipublicæ usu, & (ut sic dixerim) liberatione pro uiribus reprobare nitebatur. Demùm uerò aliam audiui rationem, atque hanc ipse propriis interdùm auribus hausi. Cui nonnulli huiuscæ hæreseos occulti authores innituntur, uidelicet quòd Natura imbecilliore iam reddita, uel quotiès ea cadere prompta est, à medicamento purgante cauendum omninò est: sed in sexta utrunque aduenit. Etenim imbecillior iam reddita est ob quintæ diei accessionem, rursusque propter accessionem septimæ diei cadere potest: idcircò non est in sexta die, quæ inter media uenit, aliquod præbendú, quod uires imbecilliores reddere ualeat. Cuiusmodi medicamentum

purgans

Marginal notes:
u. ibidem post principia capitis.
x. ibidem
Comparatio prima. (2, 3 mark the second and third comparisons)
Argumētum quintum.

purgans est. Sic enim ob tres imbecillitatis occasiones, uidelicet eam quæ accessionis præteritæ imparis ui, & eam, quæ septimæ insequentis ratione, atque eam denique, quæ ob pharmacum, uacuationem'ue aduenit, facillimè in septima uel peribit, uel ad mortem proximè accedet. Hęc igitur omnia sunt, quibus, (ut audiuimus) innituntur, qui sextum diem, ad purgationem arte faciendam, tanquam ineptissimum, immo periculosissimum interdicunt: & usque adeo quidem nos, qui interdum, ubi necessitas urgeret sexto die purgauimus, condemnant, ut si quandoque superuocati (uti mos est) ad curationem sint, uiserintque aliquem ægrotum sexta die purgatum, nil aliud considerantes, nec intelligere uolentes, quàm quòd sexta die purgatus sit eum omninò moriturum prędixerint. Sed ne à sua quidem praua hæresi declinare unquam uolunt, aut possunt, tametsi uanum suum prognosticum, falsissimamq; suam rabidam prędictionem sæpè sępiùs conspexerint, experimentoq; comprobarint. Quinimmò econtrà, sua quidem medicandi certa quadam norma, quàm plurimos (præsertimq; æstiuo tempore, atque hic Panhormi, ubi acutissimi exuperare solent, pestilentialesque morbi) ægrotantes quotidiè iugulent.

CAPVT SECVNDVM, In quo summatim ex duobus Hippocratis locis, & uno Galeni, purgatio sexto die facta approbatur.



Nos autem ad hodiernum usque diem, hos omnes floccifecimus, unica dumtaxat responsione contenti, quam annis abhinc ferè quindecim Neapoli dedimus Ioanni Baptistæ inquam à petra, uiro (ut omnibus pernotum conciuibus est) nunquam satis laudato, & in nostra Vrbe non iniuria celeberrimo. Hic enim quùm primùm huiusmodi quæstio Panhormi agitaretur, suosq; utrinque oppositarum hæresum authores nancisceretur (tametsi perpaucos, ignobilesque authores noua hęc phantasia obtinuerit) per epistolium quoddam nobis Theoricen, & practicen, uocatas, medicinæ ambas partes, ordinariè publiceque Neapoli, duplici stipendio, profitentibus missum, quid nam de hoc sentiremus, nostram opinionem, quasi nouo dogmate perterritus sciscitauit. Huic igitur (cui ut olim charissimo præceptori, atque affini, plurimum debebamus) euestigio paucis responsionem expediuimus: eos

uidelicet

uidelicet deridendo, qui sexta die factā à medico purgationem tantopere abhorrent, & ueluti perniciosissimam condemnant: Intereà tamen Galeni, atque Hippocratis sectatores dici, quinimmo Galenistas, Hippocraticosq; nomenclari desiderant. Cùm tamen ambo prędicti medicinę authores, tantùm abest, quin uituperarint: ut expresè potiùs nonnunquam commendarint. perindè ac Hippocrates priùs libro de internis affectionibus, atque alio rursùs, uidelicet de morbis tertio: Galenus uerò deinceps in commentario in librum de ratione uictus in morbis acutis quarto, expresè admisisse apparent. Ac perbellè interim Galenus ipse decretum reliquit: Non esse uidelicet sumendam purgandi, uacuandi'ue indicationem, desumpto scopo à determinato dierum numero. Quocircà tàm hi, qui perpetuò sextum diem expectant ad purgandum (uel ut alii quartum, aut nonnulli octauum) quàm illi, qui sextum à purgationis dierum catalogo prorsùs delent, omninò increpandi. Pro necessitatis enim urgentia, accelerandum. ubi uero non urget morbus, periculumq; mortis nullum ex mora inest, concoctionis perfectionem expectandam fore determinauimus. Verumenimuerò pro extirpanda radicitus infixa hæretica prauitate, apertiùs nunc singula elucidemus. Imprimis ergo Hippocratem legimus, hydropico medicamentum soluens sexta die propinasse, ueluti & octaua iterùm, ac decima. sic enim libro

y. circa medium libri. Hippocratis locus primus.

de internis affectibus inquit y. [Huic, quùm sic habuerit, cneori »
(quod est, chameleæ) aut Hippophais (quam Romani lappulam siue »
lappaginem appellant) succum dato, aut cnidium granum (quod est »
Thymelæę) Hæc uerò pharmaca ita dare oportet. Cneorum quidem »
sexta die, Hippophais autem succum octaua: Cnidium uerò granum »
decima. Et dare ipsa oportet, donec expurgetur, & uacuus fiat.] Sic enim unà cũ Copo interpretamur [διὰ ἕκτης ἡμέρας [hoc est sexta die] extra omnem ambiguitatem, & calumniam. Vt enim Cornarius uertit [per sextam diem] tametsi non aliud uoluit, attamen calumniandi ansam susurronibus prębere posset, ut intelligant [per sextam diem] idest [qualibet die sexta] seu de sex in sex dies. Quod tamen Hippocratis decreto, & ueritati minimè congruere posset, ut.s.qualibet sexta die cneorũ, qualibet octaua hippophais succũ propinemus, & qualibet decima granum cnidiũ. ultra quòd iam nostrum habemus intentum. quoniam prima euacuatio iam sexta ab initio morbi die facta est. quod nos hic ex Hippocrate ostendisse conamur, sic etiam &

obiectionis solutio.

[διὰ τρίτης ἡμέρας.] hoc est [tertia die] Galenus sępissimè usus est. (uel Budeo in suis commentariis teste). Sed ne obstat quidem, quoniem

riam in hydrope loquebatur, nullam de febribus mentionem faciens
Hippocrates primò, quia si dies sextus adeò perniciosus esset, in om 1
nibus proculdubio morbis abhorruisset. Præterea si dierum ibi nume 2
rus non obseruaretur, frustrà Hippocrates dixisset sexto die, octauo,
& decimo: sat enim fuisset dicere, detur cneoron, deinceps uerò
interposito uno die, hippophais succus, alioque interposito die, coc
cum cnidium. Dicens ergo sexto die, octauo, decimo purgandum,
& non simpliciter. Nec etiam septimo, nono, & undecimo, aliquam
in diebus, dierumque numero uim considerauit. Sextoque octauo,
& decimo. Minimè autem septimo, nono, & undecimo, uel quinto
purgare fas esse innuit. At cur (etiam si febris non adsit) uerendum 3
sexto die purgare, non sit: siquidem in febribus ipsis periculosum
esse admiserimus? Cùm natura, non secùs ac in febribus aliquam effi
cere crisim queat illius aquæ, cuius retentionis occasione, hydrops fa
cta est. Quam quidem aquam cùm non expulerit Natura, Hippocra
tes ipse prædictis medicamentis soluere intendebat. Quod autem in
hydrope crisim etiam bonam facere Natura solita sit, Hippocratis
germanissimi Aphorismi testantur, primus ubi ait z [Ab aqua in- *z. sexti aphor. 14.*
,, tercute habito, si aqua per uenas in uentrem defluxerit, soluitur mor
,, bus.] Alter etiam est *a.* [Qui alba pituita detinetur, si fortis uétris *a. 7. aphor. 29.*
,, fluxus superuenerit, à morbo liberatur [sin uerò non euacuetur, aqua *b. 7. aphor. 70.*
intercus confirmatur iuxta alium quoque aphorismorum *b* [A pi-
tuita alba, aqua intercus superuenit] denique uerisimillimum quo- 4
que est, fortassisq; uerissimum, hydropem adeò periculosam, quam
ibi Hippocrates descripserat (ut quæ nisi statim curetur, sed negli-
gentia commissa curationem cunctemur, breui (ut inquit) hydropi-
cus moritur) febris expertem non esse, præsertim in qua sitis, & in
gens calor, & colliquatio (ut ait) adiuncta est. Sed alium denuo Hip *Hippocratis locus secundus.*
pocratis locum perpendamus scilicet libro de morbis tertio *c.* ubi
quæ per inferiorẽ uentrem educunt medicamenta imprimis quatuor *c. ante medium libri.*
aut quinque diebus pro peripneumoniæ curatione, præbenda uo-
luit (cui febrem annexam esse ualidam & continuam liquet) sicque
per tertiam quandoq; diem, inferiorem aluum mouendam. Quæ ue
ro per uomitum expurgatura sunt, postea, subdit, sic dicens. [At
medicamenta sursùm educentia sexto, & septimo, & nono die, &
,, morbo adhùc ulterius progresso, magis exhibeto. Sit autem medica-
,, mentum ueratrum album, thapsia, elaterium recens, singula æquis
,, portionibus.] Cur igitur sextum diem elegit, ad fortem uomitum
,, prouocandum? An inquit dies est, in quo Natura perturbari solita
est,

est quemadmodùm etiam in septimo, & nono? Ideoq; ad uomitum paratior? Sed cur sextum non abhorruit, siquidem adeò perniciosus in omnibus tùm Naturæ, tùm artis operibus dies est? non per uentrem modò, sed per uomitum quoque, ac per omnes demùm uacuandi uias? Nos ergo apud Hippocratem (uel si germanos esse eius libros non admiseris, apud authorem quendam Græcum ueterem, uel Hippocratis discipulum, aut filium, aut omninò Hippocraticum) inuenimus aliquá fuisse ab arte factam die sexto, uel in febribus purgationem, siue per aluum infernam, siue per uomitum. Aduersantes autem aliquem inueniant locum, ubi expressè abneget, sicq; statim illis palmam præbebimus. Galenus uerò etiam ipse aliquandò se talem fecisse purgationem, & quidem in acutis febribus, quarto libro de acutorum diæta, fassus est. *d* ubi aduersùs authorem illius libri, Quarto die purgandum fore, propinato medicamento præcipientem loquebatur, sic dicens [Quarto uerò die medicandum, indistinctè pronuntiauit. Neque enim inter morbi initia, aliquod remedio huiusmodi ęgro iniungere oportet, desumpto à numero dierum scopo: sed quod Hippocrates recensuit, est exequendum. Nam uel statim ab initio *e*, priùsquam in partem aliquam confirmentur humores, medicandum, uel posteà, cùm ad maturitatem perducti fuerint *f*. Quam ob causam, & prima interdum die, & secunda, & quarta, & interdùm quinta medicamenta dedimus, & non in quarta solùm, quomodo is dixit.] E' quibus quidem uerbis peregrina mēte consideratis, totum, quod inquirimus, determinatum à Galeno habemus, non contra hos modo, qui medicamentum sexto die propinari abnegant, sed aduersùs quoque alios, qui non minùs ruditer, & imperitè omnes sexto die purgant, quasi lege quadam sancitum sextum diem ad purgationem obseruantes. In quinto igitur uidelicet in quinti fine, quod est (iuxta communem loquendi modum) in sexto, Galenus aliquando purgasse ait.

Galeni locus.

d. com. 76. cuius expositionem uide cap. 4. et 6. infrà.

e. ut 2. aphor. 29.

f. ut primi aphor. 22.

CAPVT TERTIVM, In quo duo quædam supposita præponuntur, quæ utilia sunt ad declarandum in capite sequenti Galeni locum præcedenti capite adductum, quòd scilicet purgatio quinto die facta eadem sit, quam nos dicimus in sexta.



T autem diximus, ac nunc referre uolumus, apertiùs intelligatur, exquisitè singula perpendamus. Supponentes primò, quod in quouis acutæ febris die, medicamentum purgans præbendum uolumus, id ipsum quidem (seruato particularium accessionis temporum scopo) haud in principio, neque in augumento, uel statu accessionis exhibendum est, at inclinante quidem ipsa accessione. Multo enim satius, clariusque id erit de purgatione intelligendum, quàm de uenæ sectione. pro qua tamen Galenus omninò febris declinationem expectandam præcipit, sic dicens *g* [Sed enim quod in ipso rursùm die, in quo sanguinem mittimus, obseruanda sit febris declinatio, clarere satis arbitror: quãquàm quibusdam id non satis sit notum: qui mane tantum tundendam esse uenam, aut ad summum, in horam usque quintam, aut sextam existimant. Verùm siquis memoria teneat quæ toto supra libro sunt dicta, nihil tale committet, sanguinem mittens, quauis dici, noctisque hora: Modò respiciat in febrientibus particularium circuituum declinationem. In quibus autem ob oculorum lippitudinem, aut aliud simile, citra febrem, hoc opus est auxilio, non declinationem omninò nõ præsentis febris, sed magnitudinem aut doloris, aut phlegmones, aut totius affectus, in quo secta opus est, uena, inspicere conuenit. Cùm autem nihil eiusmodi aut uergeat, aut prohibeat, pręstat mane uenam incidere, haud protinùs ex somno excitis, uerùm circiter horam unã, iam anteà uigilantibus.]. Hæc Galenus. E quibus quidem uerbis eius, patet in febribus (de quibus iam impræsentiarum sermo est) expectandam esse, pro sanguinis missione, declinationem. Huius uerò alia non est ratio, Nisi quia cùm laboret æger accessione, non conuenit afflicto afflictionem, laboremque uacuationis, labori accessionis adiungere: Nisi febris absque declinatione sit, uehementissimeque urgens. Sic enim & ipsum quoque Galenum à contradictione uendicabimus. Vt qui homini cuidam continente, comburentissimaque febre uexato, usque adeò ut ampliùs ille sufferre nequiret, non expectata iam hic febris declinatione, ut quam futuram (nisi uacuaretur) non

Suppositum primum.

g. libro de ratione curandi per sanguinis missionem cap. 21.

Contradictionis solutio.

 esse,

esse,cognouerat. Non expectata etiam diei quietiore, seu tepidiore, quæ in mane fuisset,hora,quia scilicet maximè urgeret,febris, comburerretque, Adeò ut (quemadmodum prædiximus) ampliùs sufferre infirmus nequiret: tertiæ noctis horam circiter octauam, aut nonã, tertia'ue die, in ipso etiam (ut patet) uigore, sanguinem misit, h ad animi deliquium usque. Qua quidem facta missione, protinùs febrẽ iugulasse Galenus ipse ab astantibus dictus est. E' qua rursùs historia gentiùs considerata, quantùm urgentiæ scopus ualeat, perpendito. Etenim ob urgentis febris uehementiam, suos Galenus medendi generales Canones, alia interim præualente methodo, interrupit: eos scilicet qui & declinationem febris, & temperatiorem diei horam, pro sanguinis missione, eligendam fore nos edocent. Quotiès inquã febris ipsa declinationem habere solet, præsertimque si ea declinatio temperatiori quoque diei horæ coniungatur, Nullumque intereà urgentissimum adsit symptoma, totam ad se curandi intentionem retrahens, qua de re commorari non ualeamus. Quòd si ergo pro sanguinis quidem missione, declinatio, nisi urgens aliqua causa contradicat, expectanda est: Me hercle multò magis, pro purgatione medicamentis facienda, hæc etiam declinatio obseruanda erit: ut in qua quidem per medicamenta purgatione magna fit Naturæ perturbatio, & calefactio corporis, atque arefactio, quantumuis leue medicamentũ illud purgans extiterit. Idcircò si clarere satis, pro sanguinis missione, arbitratus est Galenus, supponendum sole clarius esse opinamur, pro purgatione, declinationem in febribus expectandam. In quauis igitur diei hora simus, declinante nihilominùs ipsa febre, aut potiùs intermittente, si fortaßis ea ex intermittentium genere sit, siue sanguinis missionem, siue (quin multò magis) purgationem facere debemus. Atque id ipsum à Galeno etiam de purgatione alibi expressum didicimus, sic testante. h [Accessiones quoque, quomodo euacuandum sit edocent: Nam dùm accessio infestabit, à superioribus educes: ubi destiterit, quod intermissionem dicimus, ab inferioribus trahes. Ad hoc etiam facient quæ spontè in morbis eueniunt. Multis enim per accessiones uomitus excitantur, & sanguis è naribus stillat: Non paucis intermissione facta, lotium, & aluus fluit.] Vbi quidem igitur intermissionem speramus, ea potiùs adueniente per inferna uacuandum. Vbi uerò continua febris sit, sat quidem superque esse liquet, si ea declinãte talem euacuationem effecerimus. Id ipsum ergo est, quod princeps etiam ait [h Quùm ergo exerces euacuationem, tunc considera horam interpolationis, aut horam ipsius temporis,

h. noni methodi cap. 4.

Corrolarium. Vrgentiæ scopus.

h. libro qualiter, & quando purgare oportet cap. 9.

h. primæ quarti te 2. cap. 7. uersus finem.

„ ris,aut frigidiorem horam,quæ est in die. & non euacues per fluxum uetris in die periodi,neque phlebotomes.]Sed de primo supposito in tantùm dicta hæc sint. Secundò autem supponamus diem uiginti quatuor horarum spatium præseferre, prout ex ipso etiam Galeno didicimus in uariis quidem locis. nono enim methodi medendi, sic scriptum reliquit. *i* Dictum supra est, uiginti quatuor horas esse sic appellatæ diei spatium. utique ut cum nomine Diei, nox quoque unà comprehendatur.] Nec aliud idem primo de crisi uoluit, *k* clariusque adhùc in secundo, *l* per hæc uerba. [Dicendum iam igitur quo pacto quispiam in primo die morbi Naturam exquisitè cognosceret. Diem autem per totum hunc sermonem nostrum in eo accipiemus significatu,ut non solum lucem,sed noctem etiam complectamur. Sicuti & mensem ex triginta diebus constare dicimus, non id tempus tantùm, quo sol supra terram fertur, appellantes diem,sed etiam illi tempus noctis adiicientes. Sic etiam annum quodammodo dicimus tercentum sexaginta quinque dies complecti.] Siquidem igitur diē non solùm pro luce,sed pro tenebris etiam capimus. Adeò ut ex ambabus uiginti quatuor horæ compleantur. Vel si ex tertio prognosticorum, *m* cum Hippocrate,& Galeno,non integrum diem aliquando capimus, Quemadmodum uberrimè in tertio de diebus decretoriis enarrat Galenus, *n* Adeò ut ex sex integris diebus, & decem & septem horis cum dimidia, possit hebdomada compleri, & ex uiginti diebus,quatuorque horis,cum dimidia,tres iterum hebdomadę fiant: Vnde uigesima,& non uigesima prima dies crisima sit, multasq; alias deindè possimus apparentias saluare. Si sic inquàm diem alio quodā modo capiamus,iam ex uiginti tribus horis,& paulò plus quatuor minutis constare decernendum est.Quanuis autem circiter quinquaginta sex minuta à uiginti quatuor horis deficiant: Non tamen ob id impedimento sunt,quin ex luce,& nocte dies constet.Adeò ut si quis ægrotare cæperit diei u. g. Dominici, hora quidem decima nona, iam inde ad horam usque decimam nonam,uel saltem duodeuigesimam, pauloque plus, Diei lunæ primus morbi dies computandus sit.

Suppositum 2.

i.cap.primo uersus finem.
k.cap.16. uers.finem.
l.cap.2.in principio.
m.tex. & com.4.
n.præsertim cap. 9.

CAPVT QVARTVM, In quo ex duobus præassumptis in præcedenti capite suppositis, Galeni locus exponitur, quòd scilicet purgatio in quinta die facta, de purgatione in sexta die intelligi aliquandò potest.



IS igitur iuxta Galeni Dogmata, præter iàm confessam omnibus ueritatem, suppositis: quibus nullus aduersari poterit, certum est, medicamentum prima die exhibitum à Galeno, apud nos sæpenumerò secunda die propinatum fuisse, declarari: Quod uerò secunda die ab illo datum est, nobis tertiam præseferre. Rursusque quod quidem quarta die ab ipso propinatum fuit, nobis quintam ostendere. Demùm quod ipse quinta dedisse ait, a nobis sexta die exhibitum fuisse, declaratur. Non aliud ergo medicamentum purgans à nobis sexta die propinatũ refert, quàm à Galeno quinta die exhibitum. Qua de re (ut rem paucis perstrinxerimus) noster dies sextus esse potest, qui apud Galenum, quintus dicitur. Quæstio ergo aduersùs Galenum exagitari etiam potest, An scilicet quinta die purgandum aliquandò sit? Quod autem intendimus, ita enucleabitur, ut quisque etiam rudis Idiota illud percipiat. u. g. Quispiam diei Dominici ægrotet, hora (uti diximus, plurimumq; solet) decima nona, duretque accessionis principium, in quo ægrotum sæpenumerò euomere præcipimus, saltem per duas horas, usque ad uigesimam primam. Deinceps incrementum, & uigor, si breuissima huiusmodi tempora forent, quantumcunque tamen sæuissima, quis inde terrebitur, ut statim prima die purgandum consuleret? nisi cum sæuitate symptomatum, aliqua etiam euidens duum temporum longitudo adsit: quæ u. b. ad minus per horas octo, paulo'ue plus, aut minus prorogetur? Adeò ut ad horam noctis quintam usque, uel paulò minùs declinare non incipiat, uel si fortè minimè declinet, at in eadem sæuitate perseueret: Quis est, qui statim ad medicamenti potionem properet, nisi priùs aliquo modo ægritudinis sæuitatem mulcere, ingentemque flammam refrigerare, sique ualida sitis adsit, eam priùs sedare, conetur: sin denique dolor uehementissimus infestet, eum quadantenùs sedare intendat? prout in principio secundi de ratione uictus acutorum Hippocrates obseruat, fotibus priùs dolorem mitigare conatus, quàm ad euacuationem perueniret? Vel his ergo, uel clysteribus, uel aliquo aliò præsidiorum genere, morbi impetum diruere enitetur medicus, priusquam de medicamento loquatur. præ-

sertim

sertim Hippocrate admonente *n*, rarò in principiis medicamentis purgantibus,utendum, addenteq;, & hoc cum præmeditatione faciẽdum. Fortasſisq; etiam ante illud, medicus de sanguinis missione aliquid excogitabit. Quibus deniq; remediis,atque ipsa etiam sanguinis misſione,minimè conferentibus, tandem ad pharmacũ deueniet. Intereà igitur non adeò cito id propinabitur,quin fortasſis decima,uel undecima noctis hora sit,qua prædictum purgans exhibebitur. Hoc igitur stante,si quispiam à Galeno peteret,quãdo datũ est huiusmodi pharmacũ? Respondebit ille, respõdebit, & quilibet doctus medicus quòd in prima die datum est. Nam in latitudine primę diei,quæ horà (uti diximus) decima nona Dominicæ incepit, duratura quidem usque ad decimam nonam uel (penès aliam Galeni phantasiam) circiter ad decimam octauam pauloque plus,diei lunæ: Iuxta modum uerò loquendi uulgarem dicemus in secunda die propinatum esse tale pharmacum. Sic enim referre in nostris siue publicis, siue priuatis collegiis solemus, v.g. Magnificus hic uir ægrotare incepit die Dominico,hora quidem decimanona: quoniam uerò talia, uel talia uidimus urgentia symptomata, maximumq; periculum minitantia: propterea nolentes amplius commorari,ne mors præueniret,statim in secũda die purgans medicamentum exhibuimus,uidelicet die lunæ sũmo mane, hora decima, uel undecima. Subdet uerò litteratus hic medicus dicens. In secunda inquam purgauimus, quanquam exquisitiùs loquendo in latitudine primæ diei adhùc eramus. Videtis ergo quomodo in prima die, secundum Galeni,& doctiorum medicorum morem sermocinando: In secunda tamen dicere posſumus, iuxta uulgarem loquendi modum,à Galeno etiam aliquando (ut uidebimus *r*) usurpatum. Eadem igitur ratione succedit, quòd siue sanguinis misſionem, siue pharmacum in secunda præcipiamus,cùm ea in declinatione secundę facienda, siue etiam in intermisſione, iuxta suppositum primum, ueniant: In tertia die factam iam fuisse euacuationem, alia ratione proferemus. Quam ob causam obstrigilatores,maligniq; medici,si quempiam v. g. è die Dominico ægrotantem,quispiam fortassè parùm illis gratus, amicus'ue medicus die martis,in mane hominem purgarit, uel ei sanguinem miserit, ansam detrahendi quamprimùm lucrati sunt, coram popularibus Idiotis,& ęgroti necessariis exclamantes, dicentesque. Nonne uidetis quòd medicus hic ægrotum uestrum iugulauit, in tertia die impari sanguinem mittens, aut purgans? Sicq; ad cælum usque uociferantes, infęlicem medicum aduersarium infamare, ac dehonestare conantur. Quoties uerò curantibus

n. primi aphor. 24.

r. infra cap. 6.

bus ipsis huiusmodi successerit casus, promptè, audacterq; suam tuentur curationem, dicentes se se nunquam uacuasse in tertia die. Nam in latitudine adhùc secundæ facta illa euacuatio fuit, antequam scilicet tertia dies aduentaret. Eadem igitur ratione, si Galenus in tertia purgauit, cùm sit in declinatione tertiæ, uulgares in quarta in die dicerent. Quod etiam ille in quarta, nos uulgò in quinta diceremus. Quod demùm ille in quinta quandoque factum esse ait, quoniam scilicet in declinatione quintæ, Nos in sexta proferre solemus. Quandò igitur purgant nostri medici, qui in sexta aliquandò purgantia propinant medicamenta? An uerè in declinatione quintæ diei? Cui enim dubium est quòd incipientem ægrotare die Dominico (ut in exemplum assumpsimus) ipsi in fine quintæ siue aliter dixerimus in latitudine quintæ diei purgantes, die Veneris benè mane, ante solis aduentum, huiusmodi purgationem facerent? Adeo ut priùs, quàm sexta dies, sextaq; accessio aduenerit, non purgauerit modo infirmus, sed etiam pransus fuerit, cibumq; exquisitè concoxerit, iuxta Principis decretum *o*. [Et prouide ne occurrat paroxismo, nisi uentrem habeat uacuum.] Si mauis ergo unà cum Galeno factam quinta die talem purgationem proferre, non sexta, quoniam adhùc in latitudine quintæ, gaudeo. Sin uerò, iuxta uulgarem nostrum loquendi modum, in sexta potiùs die factam esse, dicere uolueris, æqui boni que consulo. Quæ igitur tam ardua quæstio hæc est? Cur tot hinc & inde rumores? si non Hippocrates modò, sed ipse Galenus etiam usus aliquando est? Sic uerò & authorem intelligo libelli de insania (siue Hippocrates, siue quiuis alius fuerit) cùm ait *p* [Maturè etiã uentrem soluito &c.] Pauloq; infrà [Deindè posteà, quinto die potionem aloes peramaræ cum mulso, propinato, cochlearij mensura biliosis &c.] Quinto igitur die, uidelicet in fine, seu declinatione quinti, purgasse, ante aduentum sexti nos intelligere possumus, ita que etiam debemus.

o. 1. quarti te. 2. cap. 7. post principia.

p. uersus finem.

CAPVT QVINTVM, in quo dies elucidantur, siue par, siue impar, in quibus uacuare licet, præsertimq; per aluum aut uomitum, totusque demùm sermo ad sextam diem reducitur, in qua tanquam in die pari vacuandum potiùs sit.



VO autem die medicamentum per aluum purgans potiùs exhibendum? An quando minor afflictio secutura est, an quando maior? Cui dubium est in hora præcedentis diei quietiore, ac die minoris securutæ perturbationis, læsionisque dandum pharmacum? Ne duæ afflictiones coniunctæ, duoq; labores, accessionis scilicet superuenientis ualidæ, ac pharmaci adhùc operantis ægrum periclitari faciat? præsertimque si operatura natura in impari sit futuro, ne ipsam ab opere quopiam futuro bono impediamus, (Modò præceps occasio iam urgens aliter decernendum non præcipiat, quemadmodùm posteà *b* dicemus) Cur igitur non potius in sexto, quàm quinto, aut septimo? In sexto inquam, cùm uidelicet sexta accessio eodem die futura est, potiùs quàm quinto, aut septimo, idest die, quo quinta, uel septima accessio sepenumerò anticipare, ac per hoc medicum deludere solita expectatur? Nisi id contingat, quod quidem hoc anno sæpenumerò successit, aliàs autem rarissimè, uidelicet maiorem habuisse læsionem ægrotantes, periculosioraq; symptomata, in diebus, accessionibus ue paribus, apparuisse. Quo quidem in casu, potius tertia, seu quinta, uel septima, & nona, diebus inquam, futurisque accessionibus imparibus, siue per sanguinis missionem, siue per medicamentum purgans, euacuauimus. Quæ uerò imparibus diebus exacerbantur, febres (perindè ac solet maxima ex parte contingere) satius est pari die, seu ueriùs dixerimus, luce, hoc est, cùm par accessio futura est, tanquam quietiore, ut secunda, quarta: sexta, uel octaua, aut decima purgare: præsertim uerò si die pari nullam expectamus accessionem, prout in simplicibus tertianis, aut tertianæ Naturam habentibus continuis euenit.

b. cap. 12. & 13.

„ Quocirca Hippocrates talia nobis testatus est *q* [Quicunque iam
„ à febre continua correpti, pharmaco usi sunt, in diebus paribus: Hi
„ nimium purgati nunquam sunt. Qui uerò in diebus imparibus medi
„ camento forti usi sunt, nimiùm purgati sunt: Multi uerò etiam perie-
„ runt nimiùm purgati. proindè priores medici in hoc maximè pecca-
„ runt. Medicamenta enim exhibuerunt in diebus imparibus, & homi

q. li. 4. de morbis circa med.

nes

nes peremerunt, non scientes, quòd hęc res ita se habet. Humor in corpore ægroti magis turbatur in imparibus diebus. Nimirùm corpore humorem ad uentriculum transmittente. Et siquis iam turbatum, adhùc magis perturbet, medicamento immisso: nihil miri est, ex talibus hominem perire]. Diximus autem nos, per aluum purgans medicamentum, in præcedentis diei quietiore interuallo, siue pari quidem in luce, & minoris insecuturæ afflictionis hora exhibendum. Secùs uerò est de uomitiuo. Cùm enim diebus imparibus, siue maioris accessionis, perturbationisque hora, moueat, transmittatque Natura (ut Hippocrates ait) turbatos humores ad uentriculum: proptereà in imparibus magis congruit uomitus. Atque idipsum Hippocrates etiam alibi expressit, per hæc uerba *r*. Quæ uerò aluum mouent, plerunque contraria. Hæc imparibus diebus sursùm, si & circuitus, & constitutio talis sit, ex exacerbationibus. Fiunt autem plurima paribus diebus deorsùm. Sic enim & sua sponte prosunt, si non circuitus faciant exacerbationes in paribus. In talibus autem in paribus sursum, in imparibus deorsùm. Tales autem pauci sunt, & tales constitutiones etiam difficiliùs iudicantur.] Ecce igitur quomodo Hippocrates in imparibus diebus, tanquam in quibus exacerbantur febres, sursùm, hoc est, per uomitum purgat. Contra uerò in diebus paribus, tanquam quietioribus deorsùm, idest, per inferiorem aluum educit. Nisi in diebus paribus exacerbationes fiant, peiusque se habeat æger. Tunc enim contrarium obseruandum est, quanquam rariùs id contingit. suam uerò sententiam ex spontaneis euacuationibus comprobat. In diebus ergo paribus infernam purgationem faciendam esse intellige, quod est in fine, declinationeque imparis, seu imparem insequente interuallo, quod tempus, quoniam par secutura est, siue lux, siue accessio, proptereà parem solemus diem nuncupare. Vomitus autem in die impari faciendus est, uidelicet in tempore imparis accessionis, perturbationisque hora, qua iam Natura per uomitũ commouet, pręsertimque circa principia accessionis, uelut inferna euacuatio circa finem, aut quietem, uti prædictum iam est. Ad quam Hippocratis sententiam hoc modo expositam, ut scilicet in declinatione, aut interuallo inferna purgatio, in accessione uerò uomitus fiat, alludebat etiam Galenus, quùm ait *f*. [Accessiones quoque, quomodo euacuandum sit, docent. Nam dum accessio infestabit, à superioribus educes, ubi destiterit, quod intermissionem dicimus, ab inferioribus trahes. Ad hoc etiam facient quę spontè in morbis eueniunt. Multis enim per accessiones uomitus excitatur, & sanguis

Nota de Vomitiuo.

r. li. de humoribus, parum ante med.

Qua hora purgatio per aluum, seu per uomitum faciẽda.

f. li. qualiter & quã do purgare oportet. cap. 4. uersus finem.

guis è naribus stillat: non paucis intermissione facta, lotium,& aluus fluit.] Diem ergo parem, uel imparem, intelligendam omninò esse im præsentiarum decernimus, nomine sumpto à luce, uel ipsa interdùm nocte (si nocturnæ accessiones sint) quæ secutura est, ut u.g. parem uocamus finem quintæ, aut septimæ, quoniam quæ sequitur dies, sextæ uel octauæ accessionis est. Sexta enim dies est Veneris à Dominica, septima uerò Sabbati, aut si mauis dicere, Saturni. Totum uerò mane Veneris adhoram, usque decimam nonam, uel secundùm Galenum, parùm ultra decimam quartam, iam quintæ diei pars ultima erat: quod uero sequitur deinceps, sextæ principium est. Ita ergo de aliis quoque paribus diebus intelligendum. Nec secùs de imparibus. Etenim quinta dies, ut impar intelligenda est, quæ Iouis, cuius totum mane, ad decimam nonam usque, aut decimamquintam horam, pauloque plus (secundùm Galeni computationem, in qua fit quædam horarum subtractio) ipsius quartæ pars erat. quod uerò sequitur, ipsius quintæ principium est. Idcircò imparem illam diem uocamus. in die igitur impari uomitus prouocãdus, uel si mauis, & quidem rectiùs dicere, in die maioris uel præsentis, uel secuturæ iam afflictionis: per aliquod enim effatu dignum spacium perturbatio quædam ante accessionem in corpore commouetur. Aetius tamen in præcedentis diei paris, quietioris ve declinatione, uel interuallo, in habentibus interuallum ante imparem, si paris, uel imparis rationem diuersam morbi obseruant, prætérquam in quartanis; & alui profluuiis prouocandum esse uomitum uoluisse apparet, per hæc uerba. *t* [At in morbis in quibus interualla sunt, dandum est in interuallis: In aliis quandocunque contigerit. In quartanis uerò, & intestinis fluxione uexatis, in ipsis accessionibus.] Dandum inquit in quartanæ accessionibus ueratrum album (de quo loquebatur) medicamentum quidem ad prouocandum uomitũ, haud leue, sed efficax, ualidumque, ac potiùs uiolentum. Non modò igitur in die accessionis, scilicet ante ipsam accessionem, sed in ipsa etiam accessione, præsertimq; in principio, prouocandus est uomitus in quartana, uti Razes, *u* Hali Abbas, *x* & Auicenna *y* quoque Aetii sententiam in quartana comprobant, generatim uerò, & in quouis morbo, ex ipso etiam Galeno paulò ante iam diximus. Atque in hac ipsa febre iterùm non leuibus tantùm, communibusque uomitiuis, quibus ipse Razes *z* in accessionis principio utendum præcipit, ipsumque Hippocratem, & Galenum interpretari fortasse tibi libuerit. sed ueratro etiam albo in ipsa accessione, Aetius per uomitum expressè purgat. Quicquid Conciliator *a*, ac post eum Gentilis,

DDc *b* &

Nota.

Aetii sententia.

t. l. 3. cap. 125.

u. decimi ad Mansorem cap. 8. post med. & in fine.

x. 3. practicæ. cap. 14. post med. & uer. fin.

y. 1. primi te. 2. cap. 63. post prin.

z. ubi sup. ante med. cap.

a. differentia. 163. §. 3.

b. 1. quarti tr. 2. cap. de quartana. c. ibidem.

b & Herculanus c in oppositum dixerint, uomitiuum forte in accessionis die, nedùm in ipsa accessione condemnantes. Nisi hoc pacto conciliemus, quòd scilicet in principio accessionis leue, in fine autem, seu declinatione, ualidum uomitiuum dari potest, ubi calor (ut Haliabbas inquit) febris humorem melancholicum liquefecerit atque agitarit. Quę quidem declinatio, ad insequentem diem protendi ac referri solet. Verùm de hoc aliàs uberius. Nunc autem nostrum prosequamur intentum, uidelicet uacuationem fieri posse concludentes, tàm in die quieto seu pari & in quo Naturam nullo pacto moturam esse speramus, quàm in die motus ægritudinis siue impari, in illo quidem per inferna: in hoc uerò per uomitum. Sextus igitur dies, aut quietis est, aut perturbationis. Si quietis ergo per aluum inferiorem: sin uerò perturbationis, ergo per uomitum purgare nil impedit. Hippocratisque primus locus supra in medium adductus d per inferna, secundus e uerò per uomitum purgationem sexta die faciendam esse ostendit. Vnum uerò circa prædicta pernotandũ restat: quandoquidem parem, uel imparem imprǽsentiarum nomine à statim futura accessione, seu luce, aut nocte desumpto, intelligendũ fore statuimus. Etenim haud ita perpetim capienda par, uel impar dies est. Idcircò addidimus uerbum illud [impræsentiarum]. Sed aliter de Crisi intelligendum, quàm verbi gratia in pari, uel in impari die Natura molita est. Eam enim in uigore, aut declinatione ipsius præsentis, siue paris diei, accessionis'ue, siue imparis fieri contingit. Cuius diuersitatis ratio est, quoniam per medicamenta, siue per quamlibet euacuationem, futuras respicimus accessiones, pro quarum præuisione, & cautela illam præparamus. In naturę autem operibus, pręteritę, aut præsentis accessionis irritatio, Crisis occasio est, idcirco hæc in die maioris afflictionis præsentis, aut iam declinantis fieri solet. Hactenùs uerò de his, quæ olim Neapoli medicinam profitentes, ad Ioannem Baptistam à petra interrogantem respondimus, Hippocratis duntaxat prædictis duobus locis contenti, (in quorum primo per inferiorem aluum, in secundo autem, per uomitum sexto die purgandum fore, ipse Hippocrates pręcipit) & Galeni demum authoritate, in quarto de ratione uictus in morbis acutis commento 76. ubi quinta die se interdùm purgasse testatur. In sexta nihilominùs pro communi nostrorum medicorũ loquendi consuetudine, intelligi posse (quia scilicet in fine quintæ, priusquam sexta accessio superuenerit) duobus prius pręmissis suppositis, uberrimè nunc elucidauimus. E quo Galeni loco, si nil tandem aliud aduersarii concludendum

d. supra cap. 2. ex lib. de internis affect. circa med. e. supra ibidem ex 3. libro de morbis ante med.

Not.

dendum pro nobis uelint: omninò tamen quod uolumus lucrabimur ex iis, quæ præmiserat uerbis scilicet non esse aliquid remediorum huiusmodi ægro iniungendum, desumpto à numero dierum scopo. Nec alia uel authoritate, uel ratione, pro his, qui pura, & exquisita mente singula perpendunt, indigeremus, nisi duræ ceruicis quidam Gregarii medici obsisterent, refractoriaque Minerua refragarentur.

CAPVT SEXTVM, In quo aduersantium falsa quædam glossa, nec non fuga impugnatur, duoque deinceps pulchra circa Galeni locum, notanda declarantur.



NIM uerò solis his, præsertimque Galeni præassumpto loco, f cui magis, quàm Hippocrati (ob germanitatis in illo dubium) confidebat, conuictus Aduersantium princeps, nostra præsertim audita Galeni enarratione, siue (ut rectius dixerim) elucidatione, respondere non ualens, quamprimùm ad sui dicti glossam quandam peruenit, sic dicens. Tu uerum Philippe ais: propinari scilicet posse medicamentum purgans sexta die, hoc modo scilicet quod in latitudine adhùc quintæ sit, siue dixerimus in fine quintæ, antequàm adueniat sexta. sic diem parem intelligendo uidelicet in quo minoris afflictionis, perturbationisque accessio secutura est. Nos autem (inquit ille) non hanc uituperamus horã, at sextæ (quæ iam inceperat) diei latitudinem. Sic enim passim obseruant nostri medici, ut scilicet in fine sextæ, antequàm septima superuenerit, medicamentum exhibeant u. g. si quispiam die Dominico, febrire (uti præsupposuimus) inceperit, die tandem sabbati, ualdè mane, illum purgare consueuerunt. Nobis autem uerum non esse id contendentibus, in aliam sermo noster discoliam protractus est. Etenim omnes ferè medicos nostros testimonium perhibere, necessum fuit, de uulgari consuetudine, quod scilicet tam Panhormi, quàm Neapoli, Quinimmò & in omnibus quoque aliis locis, ubicunque medici sexta die purgandum consulunt, in fine quintæ priùs quàm sexta ingrediatur, & non in fine sextæ (ueluti præostensum est) præcipiunt. Nihilominùs tamen facta hinc & inde multa alteratione, an hæc uel illa medicorum consuetudo sit, à testium denique multitudine conuictus, in nostram peruenit sententiam, in fine scilicet quintæ diei, dari posse medicamentum purgans: Modò à fine sextæ caueamus. Quamobrem

f.4. de ratione uictus acu. 76.

Aduersorum resp[on]sio.

Impugnatio.

ubi ubi nos unà mederi quempiam occurreret,absque ulla contentione,uel minima dissentione,in sexta die,iuxta prænotatum modum, uidelicet in fine quintæ, ubi oportunum fore ob aliquam causam iudicauerimus;non sine maximo ægrotantis iuuamine, purgauimus. Quid uerò magis risu dignum,quàm quod me absente,in alios idem aliquádò obseruantes medicos, usque adeò sæuiret, ut neque etiam in fine quinti concederet? Neque si fecerint illi,maxima cum rabie mordere

Not. 1. destiterit?Sed ad Galeni authoritatem reuertamur.Qui quidem inprima,secunda,quarta,& quinta die purgasse ait *g*, Nil interim de tertia tangens, fortè (ut nonnulli opinantur) subintelligens prædictis. At

g. 4. de ratione uic. acu. 76.

Expo. 1. potiùs opinor, quoniam quartus dies indicatiuus est septimi. Ne igi-

2. tur materiam agitando, Naturamque perturbando diuertamus, in-

Contra purgantes in quarto. *sed uide cap. seq.* deq; succedat, ut indicium quartus minimè præbeat,quinimmò,& indicanda septimi diei crisis confundatur, Melius esset, nisi maximè urgeat morbus,quarta die. Contra id,quod nonnulli obseruant,quarto scilicet die, hoc est in fine tertii, priusquam ipsam quartam ingrediamur, perpetuò purgandum consulentes. Est autem (ueluti præostendimus) *b* medicamentum tertia die propinare,non aliud,quàm iux

b. cap. 4. ta uulgarem loquendi modum, in die quarta,quoniam.s.in fine, seu declinatione tertiæ, priusquam quarta superuenerit, exhibeatur.

h. differentia 163. §. 3. Conciliator *h* ergo potiùs in die Crisima,quàm indicatiua purgare ausus est.Possibile autem est interdùm, & peritiorum & uulgariũ loquendi modum coincidere.Quemadmodũ ubi febris ipsa hominem

Not. 2. nocte inuaserit,v.g. hora noctis,diem, lucemve Dominicã insequen

l. sup. cap. suppo. 2. tis,quarta,seriusve,aut citiùs.Tunc enim primus dies usq; ad quartã, uel tertiam horam noctis,diem,lucemve lunæ, insequentis, perdurabit,iuxta ea,quæ supposuimus:uiginti quattuor.s.horarum spacium, aut alia computandi ratione,uiginti trium,supra quatuor minuta horarum interuallum,uerum diem comprehẽdere. Quamobrem si quis die lunæ,mane scilicet siue sanguinem mittat,siue propinato medicamento purget: prima hic die,non secunda, talem fecisse euacuationem, utroq; loquendi modo,dicetur. Firmatur uerò idipsum,prȩter

h. li. de phlebo. cap. 12. circa med. apertam omnibus ueritatem,ex Galeno sic scribente. *b* [Itaq; memini quibusdam sex detractas protinùs cotylas,aut postridie,aut tertio,quartove: Quibusdã primo etiam die,cùm febris,in principio noctis cæpisset.] Rursusq; statim [ubi febris præcedẽte inuasisset nocte, primo etiam die,me sanguinem detraxisse memini.] Sic ergo,ne uideatur statim in accessionis principio,ad sanguinis missionẽ peruenisse: At uel in eius declinatione,uel (si maximè dolor urgeret) in ip

so

so etiam uigore, sanguinem detraxisse, In latitudine tamen primæ diei: Idcircò ait [ubi febris præcedente inuaserit nocte.] Quo in casu non primus modò dies, sed reliqui etiam consequentes, tàm ex peritiorum, quàm ex uulgarium consuetudine, coincident. Sicq; de tertio purgantes, uel sanguinem detrahentes: in fine scilicet tertiæ accessionis, simul quoque in tertia luce uacuasse dicentur. Propterea & nos suprà *i*, præmissis iam duobus illis suppositis, diximus certum esse, medicamentum prima die exhibitum à Galeno, apud nos sæpenumerò secunda die (q. d. secunda luce) propinatum fuisse, declarari. Ob id enim diximus [sæpenumero] & non absolutè [semper] Quoniam si febris præcedente nocte inuaserit, quemadmodum iam iam præostensum est, Dierum numerus, iuxta omnes loquendi modos coincidet. *i. cap. prin.*

CAPVT SEPTIMVM, in quo declaratur, quòd in die etiam Crisima, uel indicatiua, euacuare queamus, nihil scilicet operante ipsa Natura.



ERVMENIMVERO, tametsi non adeò congruam esse quarto die, hoc est, cùm is propè iam futurus est, siue dixisse mauis, in declinatione tertii purgationem, paulò ante *b* mutauimus: quoniam scilicet primus futuræ crisis indicatiuus est: Nihilominus tamen ubi nulla futuræ crisis, futuręue bonę indicationis spes est, nullo scilicet coctionis inditio apparente, magnopereque interim ipse morbus urgeat, periculosissimaq; consequantur, mortemq; comminantia (nisi statim præsto simus) symptomata, non in quarta modò, siue tertiæ declinatione, sed in septima etiam, quod est, in fine sextæ (multorum quoque doctissimorum, expertorumq; medicorum consensu) nonnunquam purgauimus, & à mortis periculo ægrotantem liberauimus. Ad quod celeberrimus etiam ille, præceptorque olim noster obseruandissimus, Ioannes Manardus hortatur, sic scribens *k* [Et Galenus ad eum morbum trahens aphorismum, interim prima, interim secunda, interim quarta, & quandoq; quinta die pharmacum purgatorium libro quarto de uictu in morbis acutis *r*, se dicit exhibuisse. In quibus uerbis & illud aduertendum, multos frustrà, immò cum ægrotantium non leui damno, uereri ne pharmacum præbeant, uel uenam secent, in die, uel iudicatorio, uel iudiciali. Vt enim fugiendum ne eo die fiat eua- *b. cap. [pre]cedenti* *k. epis[t]. decima[...] tii. pri[...]ante n[...]* *r. com.*

euacuatio per artem, quo iudicium facit Natura: Ita securè & purga »
tio, & uenæ sectio fieri potest, quocunque die: etiam si de numero »
Crisimorum sit, modò inditium in ea non expectetur. Quarta enim »
die purgationem se fecisse loco adducto Galenus testatur *l*, & in li- »
bro curatiuo de uenæ sectione *m*, ad animę usque defectum, san- »
guinem misisse. Hæc Manardus. In cuius uerbis multa pro nobis e- 1
tiam annotare possumus. Imprimis quòd uereri nonnunquam purgans medicamentum exhibere, cum ægrotantium non leui damno fuerit, puta urgentibus sæuissimis symptomatibus. At quis est (de pe ritis expertisq; medicis loquor, non de ineptissimis, garrulisque mediculis) qui in sexto die, tanquam lege quadam ad purgationem san cito medicamentum propinet, non expectata concoctione, nisi ur-
gentissima quidem necessitate coactus? Pręterea doctissimus ille, 2
nec minùs expertissimus Galenicorum nostri temporis, re magis, quàm famositate lucerna, & purgationem, & uenæ sectionem fieri posse quocunque die, etiam si de numero crisimorum sit, scribens: si aliquod de sexto dubium habuisset, proculdubio excepisset, dicendo [præterquam in sexto]. Cùm uerò non exceperit, de sexto etiam subintellexisse liquet, quoniam scilicet in eo quoque, urgēte morbo,
purgare possumus. Quinimmò addes uerba illa [etiam si de numero 3
Crisimorum sit] duo innuisse uidetur. primum, quòd quolibet die purgationem fieri posse, intellexerit, præsertim uerò die non crisimo. Secundum, quòd aliquandò etiam (licet rariùs) in crisimo. Itaque si diem sextum inter non crisimos annumeres, sub uerbo illo [quocunque die] comprehensum hunc esse, compertum est. Quòd si crisimum dixeris malignum, atque inter crisimos computare malueris: Addente ipso uerba illa [etiam si de numero crisimorum sit] eum quoque comprehensum esse iam liquet. Vrgente igitur necessi tate, quem in modum rursùs deinceps enucleabimus, non modò in sexto, sed in septimo etiam, hoc est in fine sexti, prius quàm septima accessio aduenerit, purgans dare medicamentum congruit, modò in eo indicium non expectetur: quia scilicet neque coctionis signa apparuerunt, neque ullum futuri iudicij pręcesserit signum. Vrget au tē necessitas, ueluti nonnunquam de sanguinis missione Galenus in
quit *n*, hoc modo [Nam in quibus sanguinis feruentis copia tibi ,
appareret, quamocyssimè eos uacuare conator, priùs quàm in prin ,
cipem aliquam partem ingruat.] Quamobrem paulò ante dixerat ,
[Cæterum ubi feruentis inest sanguinis plenitudo, acutissimam ac- ,
cendens febrem, subito, ac simul euacuare expedit, eamque inanire ,
ten-

l. 5. quarti de ratione uictus acutorum 76.
m. libro de phlebotomia cap. 12.
cap. sequenti, & 12. & 13.
n. libro de phlebo. cap. 12.

tentandum, uel ad animi deliquium usque, uirium modò inspecto robore.] Quam etiam ob causam, non expectata (uti prædiximus) *r* declinatione, nec diei hora magis temperata, in summo uigore cuidam homini absque putredine synochum patienti, horam tertiæ noctis circiter octauam, uel nonam ad animi usque deliquium, sanguinem misit *o*. Quamobrem, & tertia die factam esse huiusmodi euacuationem, quoniam scilicet in tertiæ diei latitudine: Alia uerò ratione, in die quarta dicere possemus: quia priusquàm quarta dies superueniret, missus sanguis est. Alterum uerò synocha febre cum putredine affectum, post secundam noctem, antequam tertia dies inchoaret, immo in principio secundæ lucis, uel (si aliter dixisse maluerimus) in medio secundæ diei, ad animi quoque deliquium usq;, per sanguinis missionem, euacuauit, quanquam ea febris ex decrescentium synocharum genere (quas Græci paracmasticas uocant) erat. Galenus tamen anceps adhùc, cuiusnam modi esset, urgente febre perteritus, ad animi deliquium usque, secunda (uti prędiximus) die, uacuationem accelerauit, quam tamen febrem deinde tertia superuenienti luce exquisitiùs cognouisse ait. At enimuero ex iam iam præcitatis Manardi uerbis, à nobis eum dissentire colligitur, circa diei quartæ declarationem. Nos enim pro quartæ fine, intelleximus, declinatione'ue, ac per hoc pro quinta nonnunquam luce, quinta'ue, secundùm uulgarem loquendi modum, die. Ipse autem uidetur quòd pro quarta luce intelligat, quæ quidem septimæ indicatiua est. Si tamen peregrina mente singula perpendere uolueris, in idem nos ambos uenire iudicaueris. Quartam nanque diem septimæ indicatiuam confitemur. Sed hanc indicationem quando facit Natura? An duntaxat in accessionis uigore, siue etiam in declinatione? Si rectè igitur contemplatus fueris, cùm huiusmodi indicatio, ueluti & ipsa etiam crisis, accessionis finem uersus fiat: ad quintam lucem approximabit: sicq; iuxta uulgarem loquendi morem, ferè in quinta factã esse indicationem, crisimque uersus octauam dicemus. Quemadmodum & ipsi uulgares Idiotæ interdùm pronuntiare solent scilicet quòd in quinta die, summo mane, uel ante diluculum, similiterque in octaua, Natura sic, uel sic operata est. Quæ tamen operationes, prima quidem indicatiua, in latitudine quartæ: secunda uerò indicatiua in latitudine septimæ diei: uidelicet in uigore, aut declinatione particularium accessionum factæ sunt: Haudquaquam tamen interim inficias ibimus, quartam diem aliquandò pro tertiæ diei fine, septimam uerò pro sextę declinatione sumi posse. Quoniam scilicet quartam

r. sup. cap. 3. uersus medium.

o. noni methodi cap. 4.

Obiectio

Respõsio.

quartam lucem, septimam'ue præseferunt. Quod autem uel in die Crisimo, si nulla futuræ crisis spes sit, euacuare nonnunquam possumus, Manardo quidem multis abhinc annis, anteà fauit Ioannes ille Herculanus p, cui non parùm nostri medici confidunt, præsertim que ob maximam uiri celebritatem, triginta quinque annis (ad eum usque diem, quo Auicennæ tractatum de febribus interpretabatur) uniuersam per Italiam, & ubique famosa experimenta comprobatam. Sic enim testatus est. [Vtrùm autem liceat medico euacuare in die cretica, est dubium non paruum: sed ego credo, quòd ubi medicus per signa efficacia comprehenderit Naturam non esse facturam crisim, in illa die potest euacuare. Bonum enim uidetur mihi, quod operatio artis sit adiuta ab influxu cælesti: sed ubi in dubium uerteretur, an Natura esset factura Crisim: in illa die medicus debet desistere, ne forte simul coniungantur euacuatio artis, & Naturæ &c.]

p. 1. fe. quarti tex. 2. cap. 7. com. suo. 49. in fi. & uide com. suo. 48. uer. fin. q. ut idem testatur ibidem com. suo. 34.

CAPVT OCTAVVM, in quo quidem, quòd in die Crisima, operante etiam Natura, euacuare possimus, ostenditur, siue ad adiuuandum illius opus, siue ad reuellendum impediendumque.



AETERVM ex Galeni sententia, aliud adhùc maioris momenti addendum restat, unde quod prædictum iam est, comprobari ab eodem elicitur. uidelicet quod non solùm ubi certus quidem est medicus, Naturam minimè facturam esse crisim, potest ille, quinimmo plurimum urgente necessitate, omnino debet euacuare: sed etiam quotiescunque certus iam est, quòd factura est Natura crisim, uel eam actu fortasse facit: Inutilem tamen, atque prorsùs indecentem, contrario tunc illius motu euacuare debet. Etenim Galenus super ea Hippocratis sententia r [Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid oportet, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere] dictionem [integrè] Græcè [ἀρτίως] per sex conditiones interpretatus est. Tunc enim natura ipsa integrè, cumulatè, sufficienter, ac perfectè iudicat. quando imprimis concoctio præcesserit: secundo quòd in die decretorio. tertio quòd per euacuationem potiùs, quàm per abscessum. quarto quòd euacuetur humor noxius super abundans, & non aliquis alter humor puta bonus, & inuatiuus. quinto quòd ea euacuatio recto fiat tramite. sexto & ultimo quòd facilè

r. primi aphor. 20.

Perfectæ iudicationis indicia, conditionesve sex.

cilè toleretur, atque (ut alibi testatur Hippocrates) *s* conferat morbis, leuiterque interim ferant ægrotantes. Hæc omnia adesse conuenit perfectæ, atque integræ iudicationi. Cui siquid desit, uel plura, neque exquisita, neque integra fuerit iudicatio. Quæ autem neque iudicantur, neque integrè sunt iudicata, ea ducere oportet (ut subdit in commento sequenti) super illo aphorismo *t* [Quæ ducere oportet quo maximè Natura uergit, per loca conferentia, eo ducere.] oportet enim (inquit) medicum Naturæ inclinationem animaduertere. Et siquidem idonea fuerit, ei conuenit adminiculari, & ministrare, insimul'ue operari: Si uerò contraria, & noxia, hanc prohibere, transferre, atque diuertere oportet.] Pone igitur quod in quinta, uel fortasse in quarta crisim aliquam Natura tentet, seu humoris quantitate, seu qualitate, aut utraque irritata Natura, per uomitum. Ex qua tamen ut indecenti crisi nulla sequatur utilitas, immò potiùs morbi incrementum, Naturæque resolutio. Vel si fortassis non per euacuationem extra corpus tentet, sed per mutationem quādam ad aliquod principale, puta cerebrum, cor, uel hepar, aut pulmonem, siue quoduis aliud membrum uitæ momentaneum: An bonum sit medicum talia conspicientem silere, dimittereque malam huiusmodi crisim, seu (melius dixerimus) Naturæ perditionem confirmari? Cur igitur Galenus ait, non solùm prohibere, sed transferre, atque diuertere oportere? Me hercle non nisi quia frictionibus, aut ligaturis, uel astringentibus nonnunquam, roborantibus ve, uel interdùm per oppositam partem uacuantibus medicamentis, aut (si oportet) etiam uenæ sectione, aut quouis modo facta sanguinis missione, deprauatum Naturæ motum inceptum prohibebimus, transferemus, diuertemusque & in oppositam partem, Naturæ conuenientem, protrahemus. Si cuipiam igitur quarto, uel quinto die deprauatus Naturæ motus insit (ue luti prædictum est) uel per uomitum, uel etiam per secessum, aut sudorem, uel per fluxum sanguinis narium, aut hæmorroidas, uel sanguinem in mulieribus menstruum, aut quouis alio modo factam euacuationem, uel per uiam permutationis ad quodpiam principale, momentaneum ve membrum, uideritque medicus huiusmodi motum sequi, ultroque progredi, qui uel in sexta, uel in septima tādem ueniat ægrotum perditurus, Cur ligatis manibus ad mortem præcipitari suum infirmum patietur, nullam faciens in sexta, hoc est in fine quintæ, fortassisque etiam in fine sextæ reuulsionem, siue per sanguinis quoque missionem, siue per purgantis etiam medicamenti potionem? Nullus profectò huiusmodi erit sententiæ, nisi quispiam impius, ignauusq;

s. primi aphor. sec. 23.25. & quarti aphor. 3. & alibi sæpè.
t. primi aphor. 21.

Exemplū ad reuellendum & impediendum Naturæ opus.

& ineptisſimus medicus, uel non medicus, ſed ægrotantis inimicus, aut hæres, ægri perditionem, ita quaſi dormiens expectabit. Præſertim Galeno medicorum phæbo teſtante. *u* [Neceſſarium eſſe nonnunquàm iuxta Thucididis conſilium agentes aliquid, uel periclitari. Quibus enim (ait) alia ſalutis ratio non eſt, & quæ unica uidetur, ea dubia eſt; Neceſſarium arbitror his eſt aduerſos periculis ire.] Sic enim ſi hominem dimittimus, confirmato in principem aliquam partem abſceſſu, aut phlegmone, uel eryſipelate, aut perſeuerante deprauato illo, uitioſoque defluxu, ſiue ſanguinis, ſiue cuiusuis alterius humoris, deſperatam ægrotantis ſalutem animaduertemus. [Quantò itaque ſatius eſt (uti paulò poſt Galenus idem ſubdit) aliquid nonnulla fiducia, uel cum periculo facere, quàm ſpe adempta certò perire: Tantò profectò ſatius eſt potentibus præſidiis pugnare, quàm nihil agere.] Vnde celeberrimus ille noſter Manardus perbellè ait, *x* ſatius eſſe aliquod experiri præſidium, quam nullũ, & Naufrago amico uel tabellam porrigere, ſi manum non ualemus. Sic enim uel imperitus Nauclerus facit (Galeno etiam docente) *y* cùm uidelicet per incuriam ſuam cauſa eſt ſummerſionis nauis, uectorum cuipiam aſſerem in manum dat, indeque ſalutem comparare ſuadet. qua ſi (ut paulò prius dixerat) in talium affectuum principio ſegnis, tardusque exiſtens, poſteà uerò diligens, cùm periit occaſio.] Quod ſi bonam facere criſim, uerùm diminutè, ac debiliter Natura tentet: præſertim ſi aliqua ex prædictis conditionibus deſit: Non ne ipſi adminiculandum Galenus ipſe uoluit, ſic dicens *z* [Oportet Naturæ inclinationem animaduertere, & ſiquidem idonea fuerit, eī conuenit adminiculari, miniſtrare'ue, atque [συνεργεῖν] quod eſt [inſimul operari.] Quæ medici miniſtratio, & inſimul operatio, ſiue ſynergia, nonniſi quandò imperfectè operetur Natura, lenteque, ac diminutè, quanquàm benè, ac ſecundùm omnem conditionum numerum, operatur, agenda eſt. Adminiculabimur uerò ipſi, miniſtrabimusque (uti rectè Apponenſis ait) *a* ut ſi debilis ſit, uel ſymptomatum, morbique ſæuitate proſtrata, eam cibo confortando inſtaurandoq;: ſin fortis, ac multitudine potiùs aggrauata ſit, uictum attenuando. ſin per uomitum, aut ſeceſſum tentans euacuationem, deficiat, leuibus ipſam uomitoriis, aut infernè deiectoriis pharmacis, ad inceptum opus excitando. Ita ſi per ſudorem, diaphoreticis, balneisve, aut frictionibus, aliisque ſudorem prouocantibus. Sin uerò per urinam exorſa ſit: diureticis, urinamve mouentibus. Quod ſi è naribus ſanguinem emittere incipiat, minimeque interim euacuatio ſequatur, cum his, quæ inde ſanguinem

u. decimi methodi cap.x. uerſus finem.

x. epiſtola decimiſexti libri ſecunda circa principia.

y quinti methodi cap.11. poſt principia.

Exemplũ ad adiuuãdum naturæ opus.

z. primi aphor. 21.

a differentia 163. §. 3.

nem proritent, adminiculabimur, & unà cum ipsa Natura operabimur. Quando autem aptiùs ipsi Naturæ ministrabimus, & insimul operabimur cum ea? Nunquam profectò faciliùs, decentiusque, quàm in die, quo mouere incepit, ac in motu iam ipsa est, priùs quàm à suo motu, perturbationeque cõquiescat. præcipueque si per uomitum euacuatio facienda est. In motu inquàm, perturbationeque, haud quaquã in perfecta decentium euacuatione. Ipsa enim actu benè, recteque, & integrè iudicante, quiescendum. Quemadmodùm etiam nunquàm commodiùs eam malè operantem à prauo suo opere diuertimus, impedimusque, quàm in eodem tempore, quo ipsa non modò est in motu, sed actu etiam ualidissimè iam operatur, uacuatque. uerum nihilò minùs est, quod quietis etiam die (ne ad prauum illum reuertatur motum) reuulsionibus, astringentibus ve, aut aliis quibuslibet impedimentis insistere: perindè ac in bono etiam, decentique, sed tamen debili, ac diminuto motu (donec ad complementum perducatur) non crisimo tantùm die, at sequenti etiam, fortassisque sequentibus diebus, adminiculantibus cum præsidiis, perseuerare possumus. Magnoperè interim animaduertentes, ne ad excessum, in eo uacuationis (in quo est) genere, Naturam reduxerimus. Rarissimè igitur huiusmodi præsidium purgantibus medicamentis fieri solet, iisque duntaxat leuissimis, aliquatenus operata, sed non amplius uel segniter atque imperfectè operante Natura, ne in immodicum prolabatur, atque iis iterùm comprimendo educentibus. Vt uestigium denique compressionis remaneat, iuxta celebrem medicorum omnium recentiorum consuetudinem: frequentiùs tamen medicamentis ipsis, atque interdùm quoque ualidioribus utimur, uel operata iam, uel adhùc operante Natura, ad reuellendum, quotiès scilicet extra rectitudinem eius opus extiterit. ueluti etiam sanguinis missione multotiès utimur. præcipuè uerò ubi permutationis falsa crisis sit, ad aliquod ex principibus mẽbris materia concurrente: utraque uacuationis specie præ cæteris, quantò citiùs possibile fuerit, utendum est. tàm scilicet ea, quæ per uenæ incisionem fit, quàm ea, quæ per medicamenti potum expletur. In ea uerò Naturæ operatione, quæ recta est, atque conueniens, & proficua, dum ipsa euacuat, actuq; iudicat permutat ve ad ignobilissimam aliquam partem, quiescendum esse, paulò ante diximus *b* iuxta Hippocratis celebrem illam sententiam. *c* [Quæ iudicantur integrè, haud mouenda, neque medicamentis, neque aliter irritando, sed sine re oportet]. Quamobrem perbellè Galenus alibi testatus hoc modo est. *d* [Sed neque si fuerit febris, cum profluuio uentris, alia est opus

b. cap. præsenti. c. primi aphor. 20. d. primi ad Glauco. ca. 14. post princ.

" euacuatione: uerùm hæc sola sufficit, quanuis non sit pro multitudi-
" nis ratione. Quicunque enim his plus adimere, fore necessarium pu-
" tantes, aut sanguinem mittere, aut uentrem mouere tentauerunt, in grauiora pericula duxerunt]. Hæc Galenus de iam iam prædicta intelligens fluxione, quæ proficua est, conueniensque, ac ipsi febri superueniens (quicquid nonnulli dixerint) per quam scilicet noxius humor euacuatur. propterea tanquàm bonam eam euacuationem admittit, neutiquam reuellere, aut impedire uolens, uti faciendum omninò foret, siquidem deprauatus ille Naturę motus esset. Galeni ergo uerba perlibrato: Haud enim dicit comprimendum, reuellendumve fore huiusmodi alui profluuium, sed tanquam bonum admittens, ait quòd non opus est alia euacuatione: uerùm hæc sola sufficit. Quis uerò tale uerbum de malo, symptomaticove alui profluuio proferret?

Galeni locus exponitur.

1

2 Adde quod subdit. [Quamuis non sit pro multitudinis ratione] suf-
" ficere enim eam euacuationem ait, ad febrem remouendam, quanuis pauca sit, lentaque ea defluxio, ac tarda: Adeò ut non sit totam multitudinem subito euacuans, ac per hoc neque febrem subito sedans, q.d. expectandum est, neque irritanda ipsa Natura, quoniam & si nunc tibi non adeò conferre uideatur: in processu tamen manifestè conferet, multitudinemque totam expediens, finiensque, febrem quoq; ipsam terminabit. Idem quoque uerba illa confirmant, quùm subdit.
3
" [Quicunque enim his plus adimere, fore necessarium putantes &c.]
" quasi non malam esse iam putantes, sed bonam, attamen diminutam:
" quo circà adiuuare uolentes euacuationem in periculum duxerunt &c. Sed ne obstat quidem quod ibi de febribus locuturum promiserat, quæ cum symptomatibus inuadunt, ut hinc de malo, symptomaticove fluxu locutum intelligas. Etenim symptoma generatim captum aliquando naturalem etiam, ac bonam Naturæ operationem comprehendit (ipso etiam Galeno r authore). Minimè tamen inficias iret Galenus, si huiusmodi fluor in medio itineris desisteret, adiuuandam esse Naturam, uacuandumque statim fore: sin uerò superflueret, moderandum. Cumque medicamenta apud nos sint benedicta, conferentiaque simul, & Naturam aliquo modo proritantia, si fortè paruus, lentusque ac tardus ille fluor sit, aliqua tamen intereà humoris portio principem quampiam partem inuaderet (perindè ac sæpenumerò conspeximus) accelerandam esse talem euacuationem nostris medicamentis, præsertimq; rhabarbarico, & myrobalanis, ipse etiam Galenus, sua medicamenta tunc temporis reprobans, ut potè immodicum fluorem ueritus, si nunc uiueret, dubi

obiectionis solutio.

r. primi meth. cap. 8. et secundi ar. med. tex. 2.

bio procul omni,& ratione, & experimentis motus admitteret: Quasi pro seruando uirium robore segni naturæ sic diceret [Quicquid factura es, fac citius. In malo autem & symptomatico alui profluuio, nō diceret Galenus, quod sufficit. Sed quoniam integra, fidelisque iudicatio non est, cohibere eam oportet, reuellereq; ac transferre. Quod tamen ipsius Naturæ symptomaticum opus, ubi multitudo, uel malignitas infestat euacuationē alia ratione efflagitans, prætactis etiā benedictis medicamentis, purgando, eligendoq; comprimentibus, cōprimendoque purgantibus, adiuuare maximo cum ægrotantium fructu, experti sumus. Et ita multos nostri temporis uocatos practicos obseruare uidimus. In alui quidem symptomatico etiam fluxu, id genus medicamentis comprimendo purgantes ut scilicet talis medicamenti ui segregatio fiat, retentioque iuuatiui humoris cum expulsione prauorum succorum. Quemadmodum his, quæ recta ratione excogitata iam sunt, utilissimum ex euentu testimonium quotidie succedit. Rectius multò quàm si repentè talem symptomaticum fluxum comprimere quispiam uelit. Multos enim uidimus ex tali repentina alui uel symptomaticè fluentis cohibitione mortuos, aut in maximum uitæ discrimen incidisse. De his uerò impręsentiarum hactenùs dictum sit. Principis interim canone, quæ dicta sunt, hoc modo sigillantibus e [Quòd si inuenis humorem imprimis declinare ad stomacum, fac uomere cum eis, in quibus non est diuersitas consuetudini, immò cum eis, quæ sunt, sicut syrupus acetosus, cum aqua calida, cùm Natura mouet humorem ad uomitum: & non diuersifices eam si fuerit declinatio ad intestina, & senserit infirmus rugitum, & descensum fæcis, & quæ eis assimilantur.] Hæc secundùm nouam Bellunensis correctionem. Tametsi iuxta ueterem literam, aliud maius adhùc addit scilicet quòd non solum nō debemus Naturam à suo intento opere diuersificare, quotiès ad intestina humor declinet: uerùm etiam quòd tunc adhibendum sit, quod soluat uentrem. Est autem noua Bellunensis litera, Galeni sententię conformis, cùm ita hic scripsit [. f Quòd si ad os uentriculi aliquando sua spontè, quæ putruerunt, impetum capiant, etiam per uomitiones: Aliter autem non est, quòd ea pręter Naturam irrites.] Dictum igitur est, quomodo non mouente modò, inditiumq; perturbationis ostendente ipsa Natura, in die etiam crisimo, sed uacuante quoque, actuq; iam expellente, Medicum aliquando, simul euacuationem adiuuare: interdum uerò reuellendo, aliam mouere euacuationem, congruit. Nos tamen ad principale propositum, uidelicet de sexta die nostrum sermonem conuertamus.

e. 1. quarti tr. 2. cap. 7. ante med.

f. undecimi method. cap. 9. circa principia. Vide quarti de ratione uict. acut. tex. 64.

CAPVT NONVM, In quo sexta die purgationem fieri posse concluditur, ex eo quòd sanguinis missionem ea die aduersarij quidam concedunt. Eadem enim ratio utriusque uacuationis esse debet. Aliorum interim sententia destruitur, qui sanguinis quoque missionem sexta die interdicunt.



ITAQVE ex iis qui hæretica (medica inquam) prauitate, pestiferaque lue infecti sunt, Nonnulli sanguinis quidem eductionem: At neutiquam medicamentis factam purgationem, sexto die admittunt. Alii uerò, & illam quoque 2
interdicunt. cùm utraque (ut aiunt) euacuatio uniuersalis sit, Naturam impediens, imbecilliotemque reddens, & sic in die pessimo penitùs perturbans. Verùm enimuerò aduersùs hos secundos expresse Galenus loquitur, sic interdùm testatus *g* [Optimum igitur factu ›› est (id quod nos semper in re quaque facere uidisti) statim non nu- ›› mero dierum, sed uni uirium robori, in febribus eius generis atten- ›› tum esse. Quippè quod si seruatum est, non solùm sexto, septimove, ›› sed etiã sequentibus diebus sanguis est mittendus.] Iam igitur uidetis quomodo ueluti de pharmaco alias dixerat *h*, non sumendum esse scopum à certo dierum numero: ubi de primo, secundo, quarto, & quinto exemplificauerat: de aliis quoque sequentibus diebus procul dubio subintelligens: Ita etiam hic *i* pro sanguinis misione, dierũ numerum minimè seruandũ fore, uoluit. Ac pro maiori aduersantiũ confusione, simul, & iam prædictę sententiæ robore, de sexta, & septima meminit, quarũ altera malæ, altera uerò bonæ crisis dies est. Quinimmò in libro de ratione curandi per sanguinis misionẽ de prima, secunda, tertia, & quarta priùs *k*, ac deinceps *l* de quinta, sexta, & uigesima mentionem fecit, unico tandem uerbo sic concludens [Quocunque die mittendi sanguinis scopos in laborante inueneris, in eo auxilium illud adhibeto.] Cur autem Galenus de tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, & uigesimo etiam meminit, & demùm quocunq; die mittendi sanguinis scopi appareant, simpliciter mittendum ait, siquidem in diebus crisimis, aut multò magis in sexto, nihil mouendum omnino autumarit? Falsam igitur esse illorum opinionem liquet, qui neque sanguinis eductionem, nedùm purgationem sexto die faciendam, certa quadam lege admittunt. Nec minùs tamen fal

Quorundam opi. 1.

Contra 2.

g. 9. meth. cap. 5. ante med.

h. 4. de ratione uict. acut. 76.

i. 9. meth. cap. 5. & libro etiã de phlebo. cap. 2.

k. cap. 12.
l. cap. 20.

Cont. 1.

sam

ſam aliorum ſententiam determinabimus, qui uenæ quidem inciſionem admittentes, pharmacum intereà prohibent, diuerſamque inter has euacuationes rationem eſſe conſtituunt. Etenim quæ nam huiuſmodi ratio diuerſitatis? De utraque enim uacuationis ſpecie, iiſdem uerbis uſus Galenus, ait, non ſumendum eſſe ſcopum à certo dierum numero. De medicamento inquam libro quarto de ratione uictus acutorum *m*. De ſanguinis uerò miſsione, libro de phlebotomia *n*, & methodi medendi nono *o*. Non ne igitur poterat Galenus unum ſubdere uerbum, de purgatione dum loqueretur, hoc modo [præterquam in ſexto]? Quod ſi purgationem in die ſexto abhorres, quia malæ criſis dies eſt: Non ne pro ſanguinis miſsione, mala etiam eſſe debet? Cùm & per ſanguinis eductionem, non minùs quàm per purgationem iudicare ſolita ſit ipſa Natura. An ergo pro hac duntaxat criſi, quæ per ſanguinis fluorem fit, bona dies eſt: pro aliis uerò mala? Nullibi hoc ſcriptum inuenimus. Sin forte dixeris, quoniam purgatio, quæ medicamentis expletur, uires debilitat, cur de ſanguinis miſsione idipſum quoque dicendū nō eſt, quam ad animi uſque deliquium, etiam die tertio, & quarto Galenus nonnunquam efficit? Quod ſi propter id, quoniam reuellere poteſt ipſa purgatio, à ſuo intento opere Naturam: ubi per ſuperiora hęc, uel aliam quamuis partem, præter inteſtina, uacuationem parauerit, uel fortaſsis eam præcipitare, ſiquidem per aluum Natura ipſa uacuationem diſpoſuerit. Cur eadem facere nequibit ſanguinis miſsio? Quæ quidem ſi è cubiti interna fiat, eam quę per hæmorrhoidales ſedis, aut uteri uenas à Natura paretur, euacuationem reuellet? Sin uero ex talo ſanguinem traxerimus, fortaſsis plus oportuno, impetuoſeque, uel hæmorrhoidas ipſas, uel menſes prouocabit? ultra quod ignorans medicus quonam ipſa Natura uerſura eſt, fortaſſe ipſius ſedis uenas adaperiet, Quorsùm Natura iam uergere parauerat, ſicque immoderatum ſanguinis fluorem excitabit, non ſecùs ac ſi fluxum iam per aluum intendenti Naturæ, purgans medicamentum aliquando medicus propinarit? Quod ſi per uomitum, uel alui profluuium, aut ſudorem, aut quouis alio modo, & per quamlibet aliam uiam Natura intendat aliquam facere uacuationem, ſiue irritata, ſiue regulata & decenter operans: Non ne ab intento iam opere diuertere poteſt, uireſque imbecilles reddens prohibere ſanguinis miſsio, quemadmodum, & ipſa purgatio? Eadem igitur ratione utraque euacuatio ſexta die prohibenda uenit, ſic & frictiones, clyſteria, cucurbitulę, hyrudines, omneſque demùm aliæ uacutionis ſpecies, ad inediam uſque, ſiue quouis modo te-

m. com. 76. *n. cap. 20.* *o. cap. 5. ante med.*

ut noni meth. cap. 4. patet.

nuem

nuem uictum, ut qui ex accidenti etiam euacuat, prohibendæ ſunt in die ſexto, prorſusque à quolibet ſilendum, uel ſi omnes aliæ admittuntur uſque ad ipſam quoque uenæ inciſionem: Igitur & ipſa purgatio per aluum (ubi neceſſariam oculatus medicus iudicarit) admittenda eſt. Cum Galeno igitur concludamus tam in ſanguinis detractione, quàm in pharmaci exhibitione aliiſque conſequenter quibuslibet euacuationibus, ſumendum non eſſe ſcopum à certo dierum numero, ſed à morbo, & uiribus. Ad quos tanquam ad principaliſsimos, omnes alii deinceps ſcopi reducendi ueniunt. Sed ecce plusquam Salamones hic. Nullus fuit antiquorum, neque Græcus, neque Latinus, aut Barbarus, qui huiuſmodi quæſtionē de ſexta die agitarit. Nullus unquam de hoc dubitauit: communiter omnes practicantes, abſque ullo ſcrupulo diem illam, cum aliis maximè paribus, ad euacuationem ſæpenumero, ubi neceſſariam fore apparuerit, obſeruant. Nunc autem noui quidam è cælo ceciderunt Catones, qui mortis cauſam purgationi die ſexta factę attribuunt, Miraculum fuiſſe dicentes, quando ad ſalutem reuocatos inde aliquos conſpexerint. Sicq; communē medendi normam derident, quaſi omnes in aliorum medicorum manibus exiſtentes ægroti moriantur, uel maximè periclitentur, quos uerò curandos ipſi pęoniis manibus aſſumpſerunt, promptè, ac citra omnem laborem citiſsimè liberentur. Mirandum tamen intereà ſummopere duximus, quòd longè celebriores noſtri medici ſint, ac famoſiores, & plus auri, uel argenti, plus denique munerum, honoris, & amicorum ubique ac perpetuò lucrati, magisq; uel inuiti huc & illhùc non uocati modò, ſed magnoperè rogati etiam trahantur, qui ſcilicet abſque certo, determinatoque dierum numero, in ſexto etiam nedùm in aliis quoque præcedentibus diebus, non expectata, ut multi horum ſeruant, octaua, ſed prout neceſſarium fore cognouerint, & ſanguinem mittunt, & propinatis etiam medicamentis expurgant. pannoſos uero, ac fruſtrà ſæpiuſculè per urbem circuentes, & per angiportus, ac uicos potiùs ſpatiantes uidemus eos, qui aduerſam tueri ſententiam conantur.

CAPVT DECIMVM, *In quo aduersorum rationes contra semetipsos reflectuntur, ad apertissimum absurdum reducendo: quoniam scilicet si ueræ illæ essent, nullus ad purgandum idoneus remaneret dies, neque par, neque impar, in morbis præcipuè acutis.*



VOS alia rursùm ratione, sic improbare aggredimur. Si die sexta non conuenit purgatio, penès aduersarios, ea potissimùm ratione, minimè conuenire, dicitur. Quoniam si Natura sexto die moueret, crisimq; aliquam tentaret, ea quidem pessima esset, Medicus ergo ipsius Naturæ imitator minimè debet eodem die mouere. Quòd si mouebit eodem pacto pessimus erit; perniciosissimusque ipsius motus. atque hæc ratio ad ipsam diem sextam per se pertinet, primumque erat propositum argumentum. Alia uerò ratione inconuenire purgationem dicunt, quoniam uel diuerteretur Natura à sequentis diei crisi, uel in superfluam euacuationem præcipitabitur. est autem hæc sequentis diei potiùs, non præsentis causa. atque hæc in secundo, tertio, & quarto argumento continebatur. Tertia demùm ratione probabatur, præcedentis, & sequentis diei causa, quoniam ex utrisque debilitari solet Natura: quibus si intermedia sextæ diei, ob propinatum medicamentum, imbecillitas adiungatur, periclitabitur ægrotans. Hæc autem ratio quintum fuerat ab eis propositum argumentum. Siquidem igitur sexta die purgatio, tribus his de causis minimè conuenit: ob easdem quoque, uel omnes, uel saltem duas, in aliis omnibus diebus, ad primum supra uigesimum usque, nulla unquàm purgatio in acutis morbis conueniet. Satius ergo fuerit simpliciter in omnibus eam interdicere, atque ut exulem publicare. Etenim quæ nam crisis bona unquàm fuit, in primo die (ut hinc exordiamur) ac secundo? Cùm tota medicorum schola reclamet, crisim primo die, aut secundo factam omninò symptomaticam, & uitiosissimam esse? primus enim dies, tertius est, in quo sudores, & quælibet aliæ euacuationes si inceperint, bonæ, ab Hippocrate ponuntur. *p* Nihilominùs tamen eadem, hoc est prima die, Hippocrates *q* (additque Galenus, *r* uel non ultra secundam) purgandum fore, si materia turget, edocuerunt. posset autem iuxta illorum fundamenta, tertiæ diei motus impediri. Prima igitur, secundaq; prætacta ratio, pro duobus his diebus scilicet, primo, & secundo Hippocratis, & Galeni authoritate refrangitur. Præterea quænam crisis bo-

Aduersorum ratio prima.

2

3

Impugnatio.

1

p. quarti aphor. 36.
q. quarti aphor. 10.
r. primi aphor. 24.

na unquàm fuit in octauo,aut decimo,uel duodecimo, aut quintodecimo,siue sextodecimo, aut decimo nono? Eadem igitur ratione prima ab illis posita,primo'ue argumento, in nullo horum dierum purgandum foret.In quibus prædictis diebus,secunda & tertia quoque ratio non secùs,ac in sexto die adaptari queunt.Sed ne in crisimis quidem, aut indicatiuis,siue intercidētibus propter secundam ab illis positam rationem (scilicet ne diuertamus à suo intento opere Naturam, uel in superfluam euacuationem præcipitemus,aut ipsam fortasse indicationem perturbemus obscuremusque) ulla purgatio iniungenda esset.Nunquam ergo purgandi locus relinquetur. Respondent uerò ex aduersantibus nonnulli, quòd idoneus ad purgandum dies est, octauus,aut decimus.In his enim præsertimq; in octauo,ueluti certa quadam lege perpetim purgare,ipsos audiuimus. Aduersus quos iterùm dicemus octauum diem sexti Naturæ apud Galenum comparari: ita & decimum. Quamobrem si in his duobus purgationem fieri posse admittunt: Igitur & in sexto concedere debent. Quòd si in sexto quidem prohibent: ergo in octauo,& decimo illam protinus negare debuerint. Quod autem octauus, & decimus diei sexto comparentur apud Galenum, ipsemet nos docuit: ubi cùm de laudabilibus, proficuisque crisimis diebus locutus iam fuerit,hæc uerba subiunxit. ∫ [At sexti Naturam nullus exactè aliorum dierum imitatur: Si aliquandò autem in octauum diem, uel decimum subitò morbi solutio incidat, similis ferè est quæ in sexto accidit. Verùm rarò in his soluitur: nec cum fide,nec benè, nec perfectè. insuper ad hæc obscurè simul, & citra notas.] Quanuis igitur sexti Naturam nullus dies exactè imitetur: similis tamen ferè est sexto octauus, & decimus. Idcircò, & si non adeò periculosum pharmacum in octauo, & decimo, uelut in sexto fore contenderis: Nihilominùs tamen cùm similis ferè horum dierum motus sexti motui sit: propterea debebant hi post sextum secundo loco octauum, & decimum uituperare, tanquam malos quidem,& ad purgationem ineptos,licet minùs sexto malos.Cum his uerò & duodecimum,decimum sextum, & decimum nonum: quoniam & hos tres alios dies,illis duobus scilicet octauo,& decimo Galenus idem comparat, paulò post prædicta uerba subdens. [Quemadmodum in his (scilicet octauo & decimo) morbus subitò non soluitur: ita nec iis,quos statim recensebimus,duodecimo,decimosexto,& decimonono.]Statimque rursùs ex eodem ordine dierum subitò non soluentium ponit octauum, decimum, duodecimum, decimum sextum,& decimum nonum. Si ergo in his diebus bonum non est medicum

Margin notes: Responsio aduersorum. — Impugnatio. — *∫. primo de diebus decretorÿs cap.5. ante medium.*

cum operari,quia Natura etiam ipſa operari non ſolet: Quòd ſi operetur, pesſimè quidem,ueluti prædictum eſt: Igitur non in ſexta tantùm fugere purgationem debemus,ſed in omnibus quoque aliis prætactis. Itaque cauendum uenit à purgante medicamento in primo, ſecundo,ſexto,octauo,duodecimo, decimoſexto, & decimonono. Præterea neutiquam bonum eſt in diebus uerè criſimis, ut ſeptimo, & decimoquarto,& uigeſimo,ſeu uigeſimo primo,Naturam à ſuo bono opere diuertere: ſic etiam neque in indicatiuis, quarto inquam, undecimo,& decimoſeptimo,ſeu decimooctauo,ne inditium perturbemus,obſcuremusque, ac inde futuram quoque criſim interrumpamus. Neque demùm in ipſis intercidentibus diebus, criſim quoque uel inchoantibus,uel complentibus,ut tertio,quinto,nono,quibus addere poſſumus decimum tertium,& decimum quintum.Si inquam in his minimè congruit pharmacum propinare: Quis igitur reliquus eſt,in acutis febribus dies ad euacuationem idoneus? Videtis ne ad quam perueniat huiuſmodi praua hæreſis abſurditatem? tam celebris tamen effecta, ut uniuerſam ferè inſulam noſtram Siciliam, nedùm urbem hanc Panhormum, ueluti peſtis quædam peragrarit? quanquàm non omnes medicos, ſed imbecilliores duntaxat, ac eos, qui crasſioris Mineruæ exiſtentes ad recipiendam lucem diſpoſiti ſunt, infecit. Verum nihilominùs eſt,quòd auditis tot,tantiſque non aduerſantium modò medicorum,ſed(quibus perſuaſum ab iis eſt) ipſius etiam miſerculi ægrotantis, neceſſariorumque ſuorum calumniis, ac uagitibus, bona operantis, oculatique medici intentio ſæpenumerò confunditur, perturbaturque, dùm ille publicam infamiam & aduerſorum clamores ueritus, abſque neceſſaria iam purgatione, ſuum dimiſerit infirmum. Id quod in maximum illius damnum, perniciemque reuerti conſueuit.

CAPVT VNDECIMVM: In quo repetito quæstionis titulo, tres conclusiones ponuntur circa purgationem sexta die faciendam: tribusque propositis casibus, tertia conclusio declaratur: quando scilicet in sexta die purgandum omninò uenit.



T enimuerò quæ hucusque præostensa iam sunt, satis superque ad prauæ illius nouæ hæreseos destructionem, fuisse compertissimum mihi est. Verùm quia de maximi momenti re, multorumque uita, aut morte pertractatur, quo in casu, nec Hippocratem uirum alioqui in omnibus aphoristicum, piguit idem sæpè sæpiùs repetere, ad memoriam (uti Galenus ait) *t* reuocandam: proinde non ad memoriam modò, sed exquisitiorem ueritatis enucleationem, elucidationemque, altiùs eadem, & quasi nouo rursùs facto principio repetenda sunt, hoc modo. Quæstionis titulus erat, quamprimùm ab initio propositus, An sexto die purgandum sit? Huic quidem propositę quæstioni haud aliter, me hercle, respondendum est, quàm ut ex Galeno *u* didicimus, uidelicet non esse sumendum scopum à certo dierum numero. Hæc igitur est duobus uerbis expedita solutio: Adeò ut ambiguitas nulla circa huiusmodi quæstionem remaneat. siquidem Galeni sectatores esse gloriamur. Maximè igitur aberrant quicunque sextam expectant diem, eamque ueluti certam, determinatamque ad purgationem perpetuò reputantes, ad turgentis etiam humoris euacuationem, uel cum ægrotantis perditione, commorantur. Cùm tamen in prima die, uel non ultra secundam purganda illa (Hippoctatis, *x* Galenique *y* dogmate) sit. Quemadmodùm uerò hi tanquàm segnes increpandi ueniunt: Ita & alii contrà, tanquam plus debito solliciti mirum in modum reprehendendi sunt (ut sponte infirmos ad mortem præcipitantes, uel certè maximum illis laborem inducentes) qui tardum, crudumque morbum, præter omnem penitùs necessitatem, absque ullo periculum portendente symptomate, certa quadam lege in die sexto purgant, ueluti gregarii plures medici obseruant: doctus enim & exquisitus, omnibusque numeris absolutus medicus Galeni sententiam perpetuò celebrat, haud sumendum esse scopum à certo dierum numero. Multi enim purgandi sunt in prima: Alii in secunda: Nonnulli uerò in tertia: Aliqui in quarta, uel quinta: Multi quoque in sexta: Quinimmò in septima, uel octaua. Sicque deinceps in aliis diebus,

t. quinti aphor. com. 64. in fi.

Quæstio.

Respōsio.

u. quarti de ratione uict. acut. 76.

corolariū primum.

x. quarti aphor. 10.

y. primi aphor. 24. et libro qualiter, & quando purg. oportet. cap. 5.

bus, prout exquitißimo prædicti medici iudicio, ac doctrinę pernecessarium fore uidebitur. præsertim ubi aliquid de nouo emergens, nouo etiam indigeat consilio, purgationemq; omnibus neruis efflagitabit. Nihilominùs tamen id ipsum inficias ire nequimus, quoniam scilicet sæpiusculè, ubi non adeò uelox periculum aliquod imminere uidebitur, in acutis morbis, nonnunquam uerò etiam urgentißimo statim apparente morbo, in sexta die purgare, nos etiam coacti sumus: Non quia certum hunc diem, ac lege quadam (ut multi obseruant) sancitum ad purgationem habuerimus. At pro uariis quidem casibus, quorum aliquos hic exempli studio narrabimus. Primus ergo sit, quoniam rarò accidit, quòd medicus in prima die uocetur, ac secunda: cùm expectent homines tertiam, se ipsos interim tenui uictu, uomitu, & clysteribus regentes, quasi à medicorum siue scientia, siue experientia nullum aliud à prędictis remedium sperantes, uel fortaßis crumenæ parcere uolentes: Nonnulli uerò, quia medicos, ac medicinas omnes abhorrent, dicentes, domine si posßibile est, ut transeat à me calix iste. Deinceps uerò increscentibus tertia die symptomatibus, periculumque minitantibus, medicum uel inuiti aduocari præcipiunt. Hic ergo ad uisendum ægrotum accersitus, quamprimùm duarum uidens euacuationum magna ex parte necesßitatem scilicet sanguinis misßionis, & purgationis: Ex iis uerò (iuxta Hippocratis *z*, Galenique *a* decreta) sanguinis eductio præferenda: Idcircò eiusdem tertiæ diei declinationem expectans, prout anteà declarauimus *b*, in ea sanguinem extrahet, quod est (iuxta uulgarem loquendi morem) in die quarta. Qua quidem facta euacuatione, quintam siue accesßionem, siue diem moratur, cùm uisurus, an accesßio, symptomataq; increscant, sæuiant'ue, an potiùs euacuationis ratione mitescant: tùm ut interposito die uires ob sanguinis misßionem exolutæ, recreentur (præsertim ubi quartæ accesßio iam reddita est, ob extractum sanguinem mitior) uel saltem ne superfluò debilitentur, iuncta simul, cum quintæ accesßionis perturbatione, aliqua etiam euacuatione: ni urgentißima quæpiam causa, omni modo festinandum proritet. Quòd si quinta sæuiat, periculumq; non paruum comminetur, aut rem in dubio ponat: cognita humorum infestantium, febremq; gignentium multitudine, aut fortaßis malignitate, seu uenenosa quadam qualitate, uel eius perturbatione, aut motu ad aliquod ex principibus directo, uel saltem de locis ad loca indeterminata uagatione, uel si maximus fortaßè, ac sæuißimus dolor infestet.

In quibus casibus sexto die purgandũ uenit. casus 1.

z. 6. epid. com. 1. tex. & com. 5.
a. quarti de ratione uict. acu. 21. & 22.
b. cap. 3.

His

His inquam omnibus,aut horum aliquo,uel aliquibus periculum uitæ præseferentibus, purgationemq; efflagitantibus causis præcognitis, euestigiò de purgatione in sequenti die facienda deliberat. Quadere in sexta, siue dixisse mauis, in fine quintæ diei purgat, priùs quàm sexto accessio superuenerit, tanto quidem interuallo, quanto & purgari priùs æger, & cibari deinceps, ac cibum concoquere ualeat, usque adeò, ut uentre uacuo, sextæ paroxismo, excrescentiæ'ue occurrat. Idcircò autem in sexta faciendam huiusmodi purgationem, siue in fine quintæ, decreuit, & non in septima: quia statim sibi patefacto periculo, moram omnem rumpere intendit. Vltra quòd sextæ diei accessio secutura est, quæ leuior, quàm quintę, aut septimæ paroxismus esse solet. ne ob purgationem exolutus ægrotans, in accessionis imparis diei, præcipueq; septimi sæuitatem incidens, duobusq; unà laboribus afflictus periclitetur. Et in qua iterùm die sexta condecens nulla expectanda crisis est, quam obseruare medicus debuerit. Haud igitur certa lege in sexta die purgauit nunc medicus: sed quoniam (ut diximus) uocatus in tertia, uel quarta. Ab hora autem, qua uocatus fuit, opportuna (ut sibi uisum fuerit) sollicitudine uti debuit. Quanquam fortasse in prima phlebotomandus, & in secunda, uel tertia purgandus ille fuisset: haudquaquam igitur propterea derelinquendus infirmus ille absque generoso præsidio uenit, quia tardè uocatus medicus fuerit. Sic enim de sanguinis missione Galenus etiam aliquando loquens, testatus est. c [Verùm quoniam quin- „
tum sæpè diem, aut sextum ab initio expectant, priusquam nos ad cu- „
randum accersant, expediet nihilosecius quoque sanguinem detra- „
here, etiam si huius auxilij tempus sit omissum.] Hic igitur unus ca- „
sus est, in quo medicus purgationem sexta die facere cogitur. Secundus uerò casus est, ubi uocatus quidem à prima die medicus fuit, negligens tamen, ac segnis, quanquam ab initio statim humor ipse turgeret: Adauctis tamen symptomatibus intantùm, ut sufferre amplius necessarii nequirent, quin alios ad collegium medicos conuocarent, prout sępè nos uidimus die quinto, quo periculosissimus omninò morbus apparuit, sanguine coniunctos, amicosq; omnes perterrens. Tunc ad concilium conuocati medici, quamprimùm de purgatione sibi iam uisa necessaria loquuntur, quinimmò qui segnis erat primus medicus, coctionem potiùs anteà expectaturus, nunc præ cæteris, relato præcedentium, siue symptomatum, siue remediorum discursu, de purgando homine proponit, si possibile fuerit, eadem hora, nedùm eodem die. Recreatis ergo aliquo modo (prout fieri licebit) uiribus,

c. li. de phlebo. cap. 20.

Casus 2.

ribus, ſedatoq; aliquo ex peſsimis ſymptomatibus, refrigerato (ſi opus fuerit) ipſo ægrotante, & aliquatenùs interim declinante febre, in latitudine diei eiuſdem, in qua uocati ſunt, & ad concilium uniti, quintæ ſcilicet, ad medicamenti propinationem perueniunt. Id quod iam ſexta die propinatum eſſe, alia ratione (ueluti præoſtenſum iam eſt) dicere poſſumus. Tertius deinde caſus fuerit, etiam ſi ab initio ſtatim, & in primo ægritudinis inſultu, oculatiſsimus quilibet, prudentiſsimusq;, non minùs quàm expertiſsimus medicus accerſitus fuerit, uel etiam plures inſimul aduocati ſint. Qui uiderint circa morbi exordia, materiam quietam eſſe, ſymptomata mitiſſima, & quæ nullum prorsùs periculum præſeferunt. Quinimmò paucam eandem materiam putreſcere, hancq; uſque adeò ſegnem, ac benignam, ut acceſsio uix ad duodecim horas peruenerit, quin uel exquiſitè abſoluatur, infirmusq; omninò infebriens reddatur, uel ſaltem ad effatu dignam peruenerit declinationem, ut propè ad infebricitationem acceſserit, (quemadmodum utriuſque modi hanc ſæpenumerò uidimus). In ſecunda uerò die uel ſanus omninò, uel ferè incolumis ipſe infirmus appareat. Tertiaq; deinceps paulo ualidiore febre corripiatur, ſed quæ tamen mitis adhùc ſit, nullumque intereà periculoſum, uel periculo proximum ſymptoma produxerit, uel fortè (ut ſæpiuſculè uidimus) tertiæ diei acceſsio', ſiue etiam ſecunda ſit (prout in intermittentibus, ſimplicibusq; tertianis accidit) ſiue tertia (uelut in continuis, aut tertiana, duplicibusque utriuſque) Ea inquam acceſsio tertiæ diei, ſi alicuius fortè euacuationis ratione, utputà ſanguinis, arte, uel ſponte miſſi, uel clyſteris, aut ſolius inediæ, longè imbecillior, leuior, ac mitior adueniat, quis eſt eo caſu è prędictis prudentiſsimis medicis, qui de pharmaco in quarta die præbendo ſermonem faciat? Morabitur ergo medicus, aut coctionem ſperans, aut reſolutionem. Mox uerò deindè in quarta, ſeu magis in quinta, uel diſcooperta morbi malignitas eſt, uel materia pręcipuum aliquod membrum petere incipiat, puta caput, uel cor, aut pulmonem: ſeu de locis ad loca iam præter ordinem uagari exordiatur, aut multitudinis, ſtrangulationisq; inditia reuelentur, uel dolor quiſpiam intenſiſsimus uentriculum, caput, uel inteſtina, ſiue ipſum quoque thoracem ſummopere infeſtare occeperit: An debeat medicus (uiſis iam periculoſiſsimis huiuſmodi ſymptomatibus, & quę, niſi quàm citiſsimè ſuccurramus, mortem portendunt) coctionem expectare, uel octauam, aut decimam diem ad purgationem deſiderare? Non ne ſtatim habita uacuandi opportunitate, quæ in proxima

Caſus 3.

ma præsentis accesſionis declinatione futura eſt, purgabit medicus? multam ſcilicet minorare intendens, quo minorem eam factam ma
b. ſecundi aphor. 29. teriam (Galeni *b* documento) faciliùs Natura poſſit concoquere, & uenenoſam (ſi uires ſuppetant) eradicare, atque de locis ad loca uagantem, priùs quàm ad aliquod ex principibus impetat, uel iam ad ea irruentem, priùs quàm in illis firmetur, ſuppoſita interim mobilis huiuſmodi materiæ ad euacuationem promptitudine, ſtatim extirpare, prorſusque pro uirium labore eradicare? Quis ergo erit, qui ægrotum perire, atque ad fodinas uehi priùs ſineret, coctionem ex-
Declar. tertii caſus. pectans, ubi timor, periculumque ſeptimæ diei iam imminet? quæ illum (ut coniectura aſſequi poſſumus) interemptura ſit? Verume-
d. ſecundi aphor. com. 23. & ſecundi de dieb. decre. cap. 13. circa med. nimuerò Galeni *d* monumenta, pro huius tertii caſus enucleatione, perpendamus, cùm Hippocratis ſententiam enarrat, dicentis *e* [Acuti morbi quattuordecim diebus iudicantur.] Etenim quia morborum, qui apud omnes acuti habentur, nonnulli quartum decimum diem excedere uidentur, ex quo Diocles etiam non quartum decimum, ſed uigeſimum primum eorum terminum poſuit: inde igi
e. ſecundi aphor. aphor. 23. tur euenit, ut alii ſententiam Hippocratis condemnarint, quattuor decim diebus terminari acutos oſtendentem. Huic igitur obiectio-
Obiect. ni profundiùs, exactiusque rem perpendendo Galenus ita reſpon-
Reſpon. det: Nullum ſcilicet eſſe acutum inuentum morbum, qui quartum decimum diem exceſſerit. Qui enim ab initio ſtatim uelociter moue tur, hunc terminum minimè tranſgreditur. Qui autem ab initio leuis eſt, paruus tanquam ſummerſus, lento motu, grauiq;, ac per hoc ſine ullo apparens periculo: Deinceps uero quarto, aut quinto die uehementior, & acutus fieri, ac per hoc uelox, & periculoſus eſſe incipiens, hic quidem in decimoſeptimo indicabitur. Qui uerò ſeriùs ad huc exacui, puta ſexto, aut ſeptimo die cæperunt, ad uigeſimum hi terminarunt. Adeò quòd morbi continui acuties nunquam poteſt plures quàm quatuordecim obtinere dies. Illum ergo morbum, qui ab initio ſtatim acutus eſt, procul dubiò poteſt medicus, debetq; in prima die, uel non ultra ſecundam purgare, ſi materia proritat, periculumque in mora maximum ſit. Alium uerò qui die quarto exacui inceperit, ac turgere, non ne (per eandem Hippocratis, Galeniq; ſententiam) in prima die, uel non ultra ſecundam purgantes, in quin to aut ſexto à prima morbi origine purgabimus? Qui ſi exacui inceperit, turgereq; die quinto, cui dubium eſt, quòd accelerare uolentes, in ſexto purgabimus, & ſiquidem in ſexto cum proritatione, ac ſti mulo exacerbatur, quis ante ingreſſum diei ſeptimæ, ſiue mauis alia

ra-

ratione in ſeptima dicere, tanquam in die acutiei, turgentiæque, ac periculi, prima (quoniam in declinatione primæ) uel ſecunda, purgandum fore inficias iret? Dicendo enim Hippocrates eadem die medicandum, ſi materia turget, non de morbi principio, aut alio quo uis tempore determinat, ſed quouis die, aut hora materiam turgere uiderimus, morbumque ualde acutum fieri, ſiue ſtatim ab initio talis inchoarit, ſiue priùs mitis exiſtens, nunc autem quàm maximam acutiem, maximumque periculum præſeferat, eadem die medicari, uel ſaltem (ex Galeni uenia) non ultra ſecundam oportet. Hæc autem quæ de nouo quotidiè emergunt, & ſi non adeò in aliis regionibus frequentia: in Sicilia tamen, præſertimque Panhormi, regulares plures methodos, ac illam præcipuè celebratisſimam ſententiam, qua didicimus, concocta medicandum, minimè autem cruda, interturbat. Quamobrem ſi coactam huiuſmodi curationem appellare uolueris, quæ nihilominùs regularibus opponatur, integrum tibi fuerit. Inuiti enim & acutisſimis calcaribus irritati ad purgationem properamus, impellimurque: mitiores intereà morbos illos, quos non niſi concoctos purgandum, deſiderantes. Sed hæc de tertio caſu intantùm dicta ſint.

CAPUT DUODECIMUM. In quo quartus adhùc caſus ponitur, quòd in ſexta die poſſit fieri purgatio, atque unà non modò in principio, & declinatione, ſed in augumento, & ipſo etiam uigore fieri poſſe, ac debere purgationem, oſtenditur: Quæ tempora cum ſexta nonnunquàm die coincidere queunt.



OPERAE PRETIUM uerò me facturum arbitror, ſi purgationem conuenire (coacta ſcilicet cura) cùm oſtenderimus, non in principio modò, ſed incremento, & uigore, ac maximè in declinatione: mox deindè concludamus in ſexta die medicandum aliquandò fore, ut quæ nonnunquàm principii pars eſſe poteſt, interdùm uerò incrementi, aliquandò uigoris, & aliquandò etiam ipſius declinationis. Sintque (ſi lubet) hæc omnia tempora in unum caſum reducta, ut quartũ hinc caſum enodare exordiamur. Celebratisſima igitur, & in omnibus ſcripta exemplaribus illa Hippocratis ſententia eſt. *f* [Quùm morbi inchoant, ſiquid tibi uidetur mouendum, moue.] Si quid tibi uidetur, intelligimus quotiès uideli- Caſus quartus. In principio. *f. ſecundi aphor. 29.*

cet periculum in mora imminet. principium uerò id latitudinem habet. Tamdiù enim durat: quamdiù uel nullum, uel saltem occultum, minimeque manifestum habeat coctionis uestigium. Idipsum quoque (perindè ac alia tempora) tres habet partes, uidelicet principiũ, medium, & finem. Erit igitur ipsius uniuersalis morbi principii pars prima, principium Secunda medium, tertia finis. Quotiès ergo materia maximè proritat: in prima die, uel non ultra secundam purgatio tentanda est. Quotiès uerò in ambiguo res sit, spesque fortassè quædam remaneat, quod ad benignum reducatur, uel coctionis uestigiũ sumere posset. Adeò ut quispiam fortè arripere queat occasionem (iuxta Galeni dogmata) *g* propinandi, pro corporis præparatione, melicratum, in quo decoctum sit aliquid hyssopi, uel origani, uel tragorigani, uel thymi, uel pulegii, siue quod huiusmodi uim habens extenuandi: ut potè quia minoris turgentiæ, minorisque periculi materia hæc sit (melius enim fore Galenus innuit, ubi potest talis fieri præparatio) in his quidem (nisi quid obstet) satius fuerit in medio quàm in principio, aptiusque interdùm in fine, quàm in medio ipsius uniuersalis principii, medicamento purgante uti. cum aliqua in fine præparatio, & aliquod tametsi gregariis medicis occultũ coctionis uestigium factum sit. His ergo prælibatis, pone quòd sex dierum interuallum aliquandò principium morbi uniuersale sit (id quod in absolutè acutis contingere, magisque in his, qui acuti non absolutè sunt, potest.) u.g. primi duo dies initium, prima'ue pars principii sint: tertius uerò, & quartus, medium: quintusque demùm & sextus, finis existant eiusdem uniuersalis principii. À quibus deindè diebus incrementum septima die ingrediatur. Hoc igitur in casu, cur in sexta, uelut in fine principii purgare, ad futuri incrementi, uigorisque refractionem, obtusionemque (stante mediocri necessitatis urgentia) non liceat? Quòd si medicamento purgante uti, aptius (ubi tamen quadan tenùs immorari liceat) in fine principii conuenit: Quo in tempore Natura, tametsi occultè, dominari tamen materiæ occeperit, & quæpiam insimul corporis præparatio effecta sit, Quantò igitur satius in crescente morbo, medicari congruit, ubi euidens iam coctio facta est, magisque preparatum corpus fuerit? presertim uerò in secunda incrementi, media'ue parte, atque etiam ultima? (semper quidem intelligendo si necessitas urget, coactique sumus, ob imminens aliquod, superueniensque maximum periculum.) Quamobrem Hippocrates *h* non modò ait [concocta medicandum] quæ scilicet perfectè concocta sint, ut in declinatione, sed etiam addidit [non cruda.] quæ scilicet

g. primi aphor. 24.

In augumento.

h. primi aphor. 22.

cet parùm (puta occultè) cocta, uel in fine principii, uel si manifestè, quia tamen incompletè decocta, ideo sub nomine [non cruda] intelliguntur quæ scilicet in augumento. Non cruda inquàm, uti quæ nullum penitus coctionis exordium, neque etiam occultum sumpserunt: Ideò rursùs addidit [Neque in principiis] scilicet primis, hoc est prima principii parte, ubi prorsùs cruda materia, imparatumque corpus est, nisi materia turgeat, proritetque, ac proposito præ oculis periculo, ad festinandum cogat, usque adeò quidem, ut eadem die purgandum, quouis interim morbi tempore, sit. Non cruda etiam, ueluti si crassa, lenta'ue pituita, nec non terrestris humor ille melancholicus in causa febris sit. pro quibus etiam & exceptio illa ualet [nisi materia turgeat.] hoc est (ut alibi ostendimus) nisi periculum sit in mora: In illis enim tametsi crassis, lentisque humoribus, purgationem aliquandò circa initia fore necessariam (quæ ni cito fiat, hominem strangulabit) Nos alibi uberrimè declarauimus. *r* Siquidem igitur tres principii partes quarta die, uel quinta finierint, sitque superueniens sexta ipsius incrementi pars prima, uel si uelocior morbus sit, secunda pars (ut in peracutis morbis uidere licet) Cur tunc ad purgans medicamentum peruenire nequimus? præsertim si iam iam reuelata humoris turgentia sit, nuperque periculum imminere appareat? Quid si uigor in quarto, aut quinto pertransierit (quemadmodum in exactè peracutis sæpenumerò obseruamus) fortassisque nonnulla crisis quarto, aut quinto illo die, quo uigebat affectus, nihilominùs tamen imperfecta, extiterit, quæ licet morbum diminuerit, terminare tamen nequiuit, ac per hoc medici adminiculationem exoptet Natura ipsa, ut complere inceptam euacuationem possit, Quis in sexta die, tanquàm declinationis principio purgationem abnegarit, si medico necessaria uidebitur, Ne forte aut recidiua fieret, iuxtà illud Hippocratis Oraculum *i* [Quæ relinquuntur in morbis, recidiuam facere cõsueuerũt.] aut in nimis longum reliquiæ morbi protrahantur? In principio igitur, augumento, & declinatione, prout necessitas urget, siue absque coctione, siue cum coctione, siue occulta, siue manifesta, atq; hac rursùs siue completa, siue incompleta, medicari nos posse prædictum iã est. Quę omnia cùm in sexta die, quemadmodùm in aliis quoque prioribus, posterioribusque diebus, inueniri queant: propterea non est sumenda indicatio à certo dierum numero, sed prout necessitas urget, quouis in tempore ipsius morbi simus, medicandum est. Pro exquisitiore autem ueritatis emedullatione, de ipso etiam uigore, nonnihil adiungemus. In quo Hippocrates *k* (Galeno *l* enarrante) & san-

r. quæstione nostra de minoratione.

In declinatione.

i. secundi aphor. aphor. 12.

In uigore.

k. primi de ratione uic. acu. tē. 33.

l. in commento eisdem.

guinem extrahendum,& purgandum quoque, nonnunquam præcipit. Dum ſcilicet nullo interim pacto cibandum: ſed ne ptiſanam quidem præbendam fore,niſi priùs uacuato corpore, uoluit, ad ſedandũ urgentisſimum dolorem,qui latus affligat,ac torqueat. Verùm ne rideas fortaſsè admiratus, quoniam in uigore etiam ipſo, Hippocrate uel Galeno enarrante,ſanguinem miſiſſe,ac aluum purgaſſe propalarim, ſententiam quidem celebratisſimo illi oraculo aduerſantem, in

m. ſecundi aphor. 29. quo habetur *m* [quùm uerò conſiſtunt, ac uigent, quietem habere „ melius eſt.] Verba igitur ipſius antiqui ſenis,ac ſui interpretis Galeni contemplare,ſicque ſtatim ab admiratione ac riſu deſtiteris. Nos uerò deinceps contradictionem enodabimus, omnemque obſcuram difficultatem elucidabimus. Quæ nam uerba hæc ſunt, quæ in uigore uacuationem utranque, uel alterutram admittunt? Ea inquam quæ

n. tex. 33. libro de ratione uictus acutorum primo regesſit *n* hoc modo. [præ „ tereà ſi lateris dolor asſiduus eſt,calidisque fomentis non remittitur, „ ſputumque non procedit, ſed ſummè (citra coctibilitatem) glutino- „ ſum ſit, Niſi quis dolorem,uel alui ſubductione,uel ſecta uena, pro u- „ triusuis exigentia ſoluerit,ptiſanam autem ita affectis dederit,præci- „ pitem aget in mortem.] Quod autem in uigore Hippocrates (Gale- „ no uti diximus enarrante) loquatur, in commento hic teſtatur; ſic

o. circa principia commenti. ſcribens *o* [Si igitur cùm in uigore fuerit inflammatio, ptiſanam „ quis dederit,ægrum grauiter offendet.] Quod ſi ptiſanam abhorruit, „ multo peius,ſi quid aliud,ptiſanaque grauius,deteriusq; uel ederint,

p. ibidem tex. 40. uel biberint (eodem Hippocrate inferiùs authore *p*) ſubdit uerò statim Galenus *r* (Ne fortaſsis, quod dicitur de uigore, præter ra-

r. commento præd. ſcilicet 33. circa principia. tionem dictum fuiſſe opineris) [uigentis autem inflammationis „ notæ ſunt, dolor asſiduus, & quod nullo pacto à calidis fomentis „ remittatur.] Quid igitur? Non ne uigente morbo, fortioribusque exiſtentibus ipſis ſymptomatibus, præſertim eo, qui cæteris antecellit, ſcilicet dolores, ſanguinem mittit, aluumque ſubducit Hippo-

Hippocratis contradictio. crates? Sed enimuerò (dices tu) quid ad euidentisſimam contradictionem, cùm alibi dixerit, quieſcere tunc temporis melius eſ-

Reſponſio falſa. ſe? Reſpondebit fortè aliquis dicens, quòd quia in uigore nutriendum non eſt (tunc enim uictu tenuisſimo utendum eſſe per ſenten-

ſ. primi aphor. oct. & ſept. tiam quoque aphoriſticam teſtatus eſt *ſ*) Ideò expectanda declinatio eſt, pro nutritione. Tuncque rursùs non eſt propinanda ptiſana, neque alius cibus, aut ſorbitio, uel potus, quin priùs euacuatio fiat. Qua de re in uigore neque cibus dandus, neque ulla euacuatio tentanda, ſed quieſcendum eſt. Declinante autem

morbo

morbo, utrunque faciendum est prius scilicet uacuandum, deinceps uerò nutriendum. Nulla igitur sic interpretantibus cõtradictio relinquitur. Verùm qui sic responderet, neq; Hippocratis, neq; sui interpretis Galeni uerba, neque mentem percipit. Si.n. declinationẽ expectarimus, tunc per se dolor absq; medico, sedatus iam est. Quòd si dolor sedatus, uel saltem diminutus est, haud indigemus euacuatione tã cita, ut nisi fiat, præcedatq;, nutriẽdum non sit, tùm quia non ob aliud necessaria euacuatio proponitur, nisi quia dolor assiduus, fotibusque minimè remittitur: ex quo priusquã sedetur, minuaturve, nutrire nequimus, tùm quia glutinosa, & summè cruda materia est. Consistente igitur inflammatione, symptomatibusq; ac pręsertim dolore, tunc maximè infestantibus, uel mittendus sanguis est (siquidem ascendit dolor) uel purgandũ quoq; per aluum (si descendit) perindè ut eorũ uerba, & sentẽtias adamussim perlibrãtibus liquet: sedato autẽ dolore, ob factam iam euacuationẽ, inclinatio, sequitur, quo in tẽpore nutrimus. Impugnatio.

CAPVT TERTIVMDECIMVM, In quo purgationem in ipso etiam uigore factam, ex communi omnium medicorum consuetudine (quamquam non aduertant id) urgente scilicet maximo periculo indies permitti comprobatur.


T Cur de huiusmodi euacuatione, morbo uigente, admiraris, siquidem eam tu quoque, quicunque sis, qui abhorres, negasq;, quotidiè tamen facis? Mecum igitur sint hodie cuncti medici uocati practici, & Hippocratem interea, Galenumq;, ac omnes alios medicinæ authores, pro unius tamen horę spatio, dùm in huiusmodi contemplatione sumus, omittamus, ac si nihil illi de hac re scripserint: disputationes quoque, ac pomposas omnes speculationes postergemus: ea duntaxat perlibrantes, & in memoriam reuocantes, quasique ruminantes, quæ passim hunc & illum infirmum medicantes, obseruauimus. ubi iudicio longè magis, quàm doctrina, & experimentis potiùs, quàm ratione utimur. Quæ etiam & à præceptoribus nostris, & à diuitibus, famosisque, non pannosis medicis, siue (rectius dixerim) mendicis: Non dico etiam uniuersaliter legendo, aut disputando, aut scribendo (quę facilia quidem sunt) sed particulatim singulos medendo, curandoq; audiuimus, obseruariq; interim uidimus. In quibus dicendum ue-

rius

rius est. Hoc opus hic labor est. Me hercle omnes bonæ farinæ medicos uidimus, & audiuimus: Nosque ex illis etiam sumus, qui celebrem illã sententiam canimus uidelicet [Cùm morbi consistunt, ac uigent], quietem habere melius est.] At in opere deinceps (abiecta larua) dicamus, palamque confiteamur: Quanto magis ad purgandum solliciti, atque anxii sumus, & ueluti calcaribus irritati, quàm ubi symptomata uehementissima, & periculosissima apparent? præsertim quotiès humor ad caput ascendere inceperit, uel cor ipsum irrepere? Adeò ut non deliria modò, uigiliasq; & uehementissimum capitis dolorem, sed coma, seu lethargum, aut phrenitidem, itemque assidua animi deliquia, cordisq; dolorem, aut tremorem, seu palpitationem, aut demùm quodlibet aliud sæuissimum, periculosissimumq; symptoma inducens, conspicientes siue medicos, siue necessarios perterreat? Tunc enim extemplò accersuntur noui medici: Tunc parantur publica, sumptuosaq;, ac pomposa collegia: Tunc statim ad sanguinis missionem, siue per hæmorrhoidas, siue incisa cubiti uena, uel interna, uel externa, aut media, siue apertis etiam quæ in talo sunt, interna, externaque, uenis (Hanc ischiadicam, illam uerò saphenam appellant) seu demùm per hirudines, aut cucurbitulas, ad reuellendum seu deriuandum, atque unà uacuandum quoque deuenimus. Tunc statim omni rupta mora, purgantia apozemata propinamus, siue electaria, aut catapotia deuoranda præcipimus. Quinimmò usque adeò citæ purgationi aliquandò insistimus, ut duas, uel tres purgantium medicamentorum formulas præparemus. v.g. dicentes, si hanc euomeret, aliam præbeamus. Ne hęc quidem dies transeat, quin purgatus sit, quæcunque illa fuerit, seu quarta, seu quinta, uel sexta, uel etiam septima. periculum enim est in mora. Verùm enimuerò unus pro cunctis fidissimus tibi testis erit doctissimus, atque ingenio, & sollicitudine rarissimus conciuis noster, Iulius Melatius (ut qui præ cæteris omnibus nobiscum diutissimè hic, & Neapoli conuersatus est) quot homines huiusmodi sollicitudine, ac solertia à morte (Dei Opt. Max. gratia) liberauimus, ab omniq; periculo immunes reddidimus: ocyssimeq; ad pristinam salutem reduximus. Facta nihilominùs interim protestatione, quoniam si sic dimittimus, uenient presbiteri, & tollent eum. Factis autem opportunis euacuationibus, aut reuulsionibus, spes est quòd miserculus infirmus euadet [Melius ergo fuerit (iuxta Thucididis, Galenique sententiam t) nonnulla fiducia, & spe, uel cum periculo facere, quàm spè adempta certò perire.] Quamobrem prædicare astantibus,

t. x. meth. cap. 10.

tibus, necessariisq; solemus: omninò hic deploratus est. unica duntaxat spes reliqua est in huiusmodi, quam hoc uesperi ordinauimus purgatione. Si enim hoc deuorato medicamento purgabit, saluandum eum speramus. sin uerò nihil educet, actum est de eo. Nec ullus unquam in huiusmodi casu, uisus est collega, siue Galenicus, siue Auicennista, uel fortasse Hippocraticus nomenclari desiderans, qui à talis purgationis sollicitudine, ubi ex repletione periculum imminet, deriuauit, sic (quicunque sit) dicens. Nihil de hoc ad Hippocratem, quoniam ille suis cum sectatoribus, de regulari loquebatur curatione: sed hæc omnibus numeris coacta est. Quòd si quispiam fortasse occurrat, sollicitudinem hanc, uelocemque euacuationem reprobans, mortem potiùs coctionis uice expectaturus, hic non à me dicis modò collegis, sed ab astantibus quoque necessariis, tanquam piger, ineptusq; Naturę minister, nec oportunus adminiculator, explodetur. Econtrà uerò diligenti, ac exquisita iam facta omni sollicitudine (ut decet) quanquàm moritur æger, Amicorum tamen, sanguineq; coniunctorum animis adeò satisfactum est: ut illi non minùs ferè contenti sint, ac si sanitati restitutus æger suus fuerit. Longum uerò, ac difficile interim foret hîc referre, quot mortuos uidimus, ob medicorum potiùs segnitiem, dùm in crudissimis, periculosissimisque huiusmodi morbis, coctionem, aut crisim expectantes, mortem priùs conspexerint.

CAPVT QVARTVMDECIMVM, In quo Hippocratis de purgatione in uigore facta, Galenique insimul contradictio soluitur. Aphorismusq; sec. libri. 29. elucidatur.



ERVM quid ad Hippocratis, Galeniq; propositam contradictionem? Nullam esse (respondemus) in eorum sententiis repugnantiam. Atque etiam nos, eo modo, quo supradictum iam est, obseruantes, practicantesq; neutiquam reprehendẽdos fore, contendimus. Etenim quando Hippocrates ait u [Inchoantibus morbis, siquid uidetur mouendum, moue: cum uerò consistunt, ac uigent, melius est quietem habere.] Imprimis uerbum illud [melius] Græcè βέλτιον, Galeniq; aliud in commento [συμβουλεύει] quod est latinè [consulit] (haud enim præcipere, sed consulere Hippocratem uoluit) perpendendum est. Inde igitur

Contradictionis solutio uera.

u. sec. aphor. 29.

Simbuleuei.

tur compertisſimum nobis fiet, minimè uelle Hippocratem, quod nullo pacto mouendum in uigore ſit: ſed quod melius eſt quieſcere, abſtinereq; ab euacuatione, ſiquidem fieri poteſt. Fieri autem poteſt, ubi minoratio circa principia prçceſſerat, coctioq; tunc temporis perficitur. Melius quoque eſt (Galeno enarrante) in his, qui ſaluari debent, & ſperamus omninò ægrum conualiturum, quieſcere, atque abſtinere ab omni euacuatione, ac materiei motione, in principio duntaxat ſiquid mouendum apparuerit, uacuantes, minoremq; materiam reddentes. Speramus autem, ubi coctionis indicia apparuerint: Cui uerò unquam dubium eſſe poterit, quòd Natura concoquente, aut ſegregante, uel rectè iudicante quieſcendum? prçſertim quia uirtus animalis imbecillior tunc reddita eſt, & ſæuisſimis etiam
Nota. ſymptomatibus torquetur? Sed neque interim à criſimis illis ſymptomatibus terrendi ſumus, ubi coctionis ſigna præceſſerint, ipſoque in uigore augeantur, uiriumq; uitalis, ac Naturalis unà robur interſit. Itaque cùm tunc Natura maximè concoquat, ſuperfluum eſt, pernitioſumq; potiùs aliquo modo euacuare, ne à præſenti coctione, bonoque opere, ac futura etiam bona criſi reuellamus, aut impediamus. At enimuerò ſi de ægro plurimum timebimus, ob morbi ſæuitiem, nulloq; interim coctionis uel minimo inditio apparente, at malis undequaque inſurgentibus, increſcentibusve ſymptomatibus, moriturum potiùs, niſi quædam euacuatio fiat, ambigamus, ſed neque demum futuræ unquam coction is ſpes adſit, uel ob materiæ multitudinem, uel malignitatem, uel motum, ſiue inclinationem ad principalia, uel denique ob urgentisſimum, ſæuisſimumque dolorem, à quo uirtutis proſtrationem timeremus, purgare quidem eo caſu debemus. Tunc enim plures deſunt rationes, quibus melius eſſe Hippo-
1 crates quietem habere (Galeno interprete) dixerat. Quoniã ſcilicet
2 ab initio uel non mouit, uel non ſufficienter, ut oportebat, neque coctiones fiunt, neque ſaluandum ægrum ſperamus, ſi ab euacuatione abſtinebimus, ęgrum ipſum Naturæ duntaxat arbitrio dimittentes.
3 Neque meliorem, ſuauioremq;, ſed peiorum omninò morum, ipſum morbum eſſe cognoſcimus. Melius ergo, at tutius eſt quamprimùm uiſa necesſitate minorare, aut eo modo, quo poſſumus, & decet, purgare, ſiue etiam eradicare, ſiue ſanguinem educere quouis in tempore morbus ſit, ut inſtantisſimum periculum deuitare queamus: Indeque anſam Naturę præbeamus, qua reſiduum concoquere, aut ſi
Obiectio. minimum remanſerit, diſcutere ualeat. Quòd ſi obiicias hoc pacto, 1
præter iam dictas tres rationes, quibus melius eſſe dicebatur in ſtatu

tu quieſcere,quarum prima erat,quia in principio facta ſit (ſi uiſum 2
ipſi medico fuerit) minoratio. ſecunda, quia in ſtatu & circa ipſum 3
Natura coctioni maximè uacat. tertia quia ſalubris morbus eſt, & in
ſtatu melior,ſuauiorque,ac minimè urgens,ut cum morbi,& ſympto
matum uigore, medicamenti etiam purgantis laborem adiungere de
beamus.præter has inquàm tres, duæ adhùc rationes ſuperſunt. qua- 4
rum altera ab Hippocrate expreſſa eſt, ſcilicet quia in ipſo ſtatu om- 5
nia fortiora: Altera uerò ab ipſo Galeno declaratur,quoniam uirtus
animalis tunc imbecillior reddita eſt.Quid igitur ad hæc, ſi medica-
mentum eo tempore propinandum uolumus?Reſpondeo melius eſſe
quietem habere,dicens,propter has,atque alias etiam rationes, regu
lari quidem ratione: Secus uerò de coacta determinandum.Vbi mor
tis periculum imminet,neceſsitasque omninò cogit,quemadmodùm
in prætactis caſibus liquet. Vbi ubi ſcilicet compertiſsimum habe-
mus, niſi purgetur ægrotans, aut alio oportuniori modo euacuetur,
ſeu reuulſiones quædam à principalibus fiant, omninò ipſum mori-
turum.Nihilominùs tamen aliquam in eiuſmodi euacuationibus re-
uulſionibusque ſpem, ac fiduciam ſalutis adeſſe. Satis ergo tunc eſt
(iuxta Thucididis,Galenique totiès repetitum,ac repetendum conſi
lium) nonnulla fiducia,etiam cum periculo aliquid agere, quàm ſpe
adempta certò perire. Eſt ſiquidem in uigore, ob ſymptomatum ue-
hementiam,purgare faſtidioſum,ac moleſtum,& non ſine aliquo pe-
riculo. Ad maius tamen periculum euitandum, remque ex certa de-
ſperatione,in ſpem uel certam,uel ſaltem ambiguam conuertendam
tentare huiuſmodi, atque alia etiam omnia generoſa remedia opor-
tet.Sed ne uirium quidem animalium imbecillitas obſtat,ut quę(prę
ter reſpirationem, ad quam uel imbecillimæ ſufficiunt) ad uitam a-
deò neceſſariæ ſecundùm robuſtiorem (Galeno *u* etiam teſte)non *u.7.meth.*
ſunt,modò naturalium,præcipueque uitalis robur conſtet,ac talem, *cap. ulti-*
quam paramus euacuationem ſufferre poſſe uideantur. Non infre- *mo.*
quenter autem uidimus neceſſaria iam euacuatione peracta,non mo-
dò naturales,uitalesque uirtutes exoneratas,leuatasque,ſtatim robu-
ſtiores euadere, ſed ipſas quoque animales. Peregrina igitur mente
iam iam præaſſumptum Hippocratis contextum perpende, ex primo
de ratione uictus acutorum: *x* ubi uigente morbo (uel Galeno in- *x.tex.33.*
terprete ualidiſsimoque, ac ſedari contumace ipſo dolore, qui inter
ſymptomata urgentiæ primatum obtinet, coactè uacuandum, tam
per uenæ ſectionem præcipit, quàm per ſubductionem quoque per
aluũ.Sed enimuerò & ſi quoad morbi eſſentiam,& ſymptomata uigor

adsit: Quòad materiam tamen, quia cruda illa est, in principio adhùc esse dicitur. Quam cruditatem ipsemet Hippocrates in textu ostendit, sic dicens [καταγλισχραινόμενον ἀσαπέως] quod est [summè glutinosum, citra coctibilitatem.] Quamobrem, & in alteram incidimus aphorismi partem scilicet [inchoantibus morbis, si quid tibi uidetur mouendum, moue] In principio enim adhùc morbus est, quòad materiam, quoniam summè cruda est (trifariam uerò dicta uniuersalia morborum tempora, quomodo uel coincidant, quæ ad materiam, & quæ ad morbum, seu symptomata referuntur, uel interdùm separantur: ut cum horum uigore illius principium perduret, uberrimè alibi à nobis præostensum est y). Quam tamen purgationem, siue quomodolibet factam euacuationem minimè exequeremur: si omninò ut deploratum ægrotum haberemus, ne præsidium, quod multis conferre solet, infamaremus. immò nos ipsi non mali medici modò, sed macellarii, trucidatorisq; nomenclaturam nancisceremur. At quia cum conditione prognosticamur, hominem dicentes, nisi purgetur, opportunaque fiant alia remedia, prorsùs moriturum: unicam uerò spem remanere, si purgetur. Idcircò audacter ad ipsam purgationem deuenimus. Ad quam etiam minimè accelerandum uolumus, siquidem in uigore essemus, quòad bonam materiæ coctionem, tùm quia noluimus Naturam ab ipsa concoctione auertere, tùm maximè quia periculum non adest. Quanuis enim ualidissima adsint symptomata, stantibus tamen bonæ coctionis inditiis, ac uirium robore optimum esse inditium, iuditiique celeritatem, ac salubrem securitatem, ex Hippocratis monumentis, z sæpenumerò Galenus a testis est. Terrent ergo ignaros, rudesq;, & inexpertos medicos ea crisima symptomata, quæ uel coctionis uehementiam, aut segregationem boni à malo, aut denique ipsius uitiosi humoris expulsionem insequuntur. Quanquã & in huiusmodi etiam uigore si ob aliquod impedimentum incepta iam bona concoctio perturbari, atque impediri uideatur (puta propter multitudinem, uel alicuius portionis materiæ ex alia particula (ueluti noua minera) motæ, ut interdùm accidit, malignitatem, ac rebellionem, uel ob aliquod etiam erratum, aut alicuius nouæ, ac uitiosæ materiæ, in toto perturbationem, putredinemq;) medicus pro Naturæ subsidio nonnihil operari etiam uacuando debet. Quanuis enim à ueteribus nullibi prætactum foret: Nihilominùs tamen experimento sæpè obseruauimus id euenisse, ut dum prior materia concoquitur, uel iam concocta est, nouus alter humor moueatur, ac (ut Neapolitanorum uoce utamur) refundatur, uel ex altero membro, quasi (uti prædi-

catagliſchrænomenon aſapéos.

y. in quæstione nostra de diæta cap. 2. articulo 6. notando. sec. & sexto.

z. primo epid. com. 2. te. 45.

a. primi aphor. com. 12. & primo de crisi sæpè et sexcentis alijs in locis.

Nota.

prædiximus) noua quadam minera,uel ex eodem (ob aliquod tamen erratum,siue cælitùs, aut ex aere,uel terra, siue demùm ex quauis occasione) irritato,puta capite, uel liene,uel iocinore, aut uentriculo: Quam ob causam morbi morem (oborta noua morborum complicatione) Indeque prognosticationem, & curationem, ac ipsius etiam Naturæ paratum,inceptumque bonum opus perturbari necessum est. Adeò, ut ex tuto, nunc in ancipiti uita ponatur, ac periculo (Hinc enim & famosissimi quilibet medici uel apparentibus exquisitis coctionis inditiis, prognosticari tamen certò uerentur.) Si id inquàm contingat,non impediens tunc,sed adiutor, ac oportunus Naturæ minister, dicendus est medicus,aliquam faciendo oportunam euacuationem,Naturamque leuando, non clysteribus modò, glandibusve, aut leuiore uomitu, sed alui etiam, per leniens aliquod medicamentum, facta subductione. præcipuè in corporibus quæ suapte naturà prompta,lubricave sunt,& absque ulla perturbatione,uel agitatione, minimo quouis medicamento propinato subpurgant.Id quod indies etiam doctos,expertosque medicos practicantes obseruare uidimus. In dubiis enim (ut lege sancitum est) pro amico. Est autem amicus, ipsa Natura, quam omnibus neruis adiuuare, desistendum non est. præsertim uerò ubi nullum,uel quàm minimum imbecillimumq; crisis futuræ inditium in diebus indicatoriis apparuerit: unde nulla,uel minima spes futuræ crisis adsit, Naturaque potiùs adminiculum aliquod exoptet. Sed ne coctiones quidem,purgatorii nostri medicamēti (quod ex benedictorum lenientiumque numero sit) propinatione perturbantur. prout ex Galeno unà cum quarti libri de ratione uictus authore, *a* contra nos collegisse aduersarius poterit. Etenim quod authores illi dixerunt,uerum esse cōfitemur,ubi quietus humor est, nihil penitùs proritans,stimulansque. Quem undequaque complectens Natura,concoquere perseuerat. Neutiquàm igitur,si uictrix & benè operans sit,in augumenti etiam principio perturbanda uenit, præsertim ualidioribus illis pharmacis,quibus prisci utebantur. De quibus quidem loquebatur Galenus dicens *b* [Quòd si hæc (scilicet quæ leniunt, mulcentque, neque uehementer calefaciunt, neque frigefaciunt, sed humectant, contemperantque) coctioni humorum conferant,purgationes contrariæ existunt. Nempè corpus uehementer mouentes frangunt. Tali siquidem uirtute prædita sunt omnia, quæ purgant medicamenta. Hæc est ergo causa cur purgationes coctionibus aduersentur.] Verùm enim uerò ubi coctiones iam à Natura inceptæ siue in augumento,siue etiam in uigore,præcipueq; in pri-

Obiectionis solutio.

a.tex.& com. 44.

b.com.prædicto 44.

ma illius parte: Item siue ob medici, siue ipsius ægrotantis, aut astantium, uel exteriorum errata, siue intereà ob nouæ materiæ motum, aut illius etiam primæ, ad aliquod tamen imbecillius factũ, uel principale, uel saltem uitæ momentaneum membrum agitatæ, aut malam putredinis qualitatem, ut in malignis, deceptoriisque febribus uidetur, perturbatæ, impeditæque sint: Cui dubium esse unquam debet (etiam si candidatus, nouusq; medicus, quotidianisq; experimentis minimè instructus sit) quòd comminutum nostris benedictis, leuissimisq; medicamentis humorem exactiùs multò, citiusq;, ac tutiùs Natura concoquet, perficietq; ? tantum abest, ut lædat, impediatq; purgatio concoctionem? His itaque omnibus exquisitè perpensis, ut ad intentum propositum reuertamur, purgare nos posse liquet, in principio, incremento, ac maximè in ipsa declinatione, quinimmò in ipso etiam uigore, ac præsertim circa illius initia. Potest autem sexta dies adhùc cum principio morbi esse, puta cum medio, uel fine uniuersalis principii, præcipueq; in absolutè acutis morbis. potest uerò etiam, & cum augumento esse eorundem, potest autem & cum peracutorum uigore coniungi. Quinimmò, & cum declinatione esse potest morborum exactè peracutorum. Haud igitur sumenda indicatio, desumpto scopo à certo dierum numero: sed potiùs à necessitate, morbo, Natura, & materia.

CAPVT DECIMVMQVINTVM, In quo purgatio in uigore facta, ex ipsius etiam Arabum principis uerbis, urgente scilicet necessitate comprobatur.

Pulchra comparatio. *c. primi aphor. com. 4. & 9. item decimi meth. cap. 3. & cap. 2. 5. & 6. eiusdem.*



QVEMADMODVM igitur in accessionis principio, aut uigore, atque in augumento regulariter cibandus non est ægrotus: Interdùm tamen urgente necessitate, ne scilicet uirtus succumbat, exoluaturque, in quolibet horum temporum particularium nutrire, tanquàm expediens eligimus: Ita in principio, uel augumento, uel etiam statu, seu uigore uniuersali (tametsi non conueniret purgatio, nisi postquàm exquisitè cõcocta est materia, quod est, iuxta Hippocratis sententiam, in declinatione.) urgente nihilominùs necessitate, ne uirtus aliquo modo opprimatur, supereturque, purgationem, nedùm sanguinis aliquandò eductionem, tanquàm utilissimam optamus, eamque nostris medicamentis aliquandò etiam catà epicrasim facimus, quod

est

„ est contemperamentum, partim scilicet uacuando, partim uerò uires „ instaurando (uti Galenus *d* edocuit). Quam quidem uacuatio- „ nis cum nutritione comparationem perbellè Arabum princeps ex- „ presit, his uerbis *e* [Et talis est ista euacuatio necessaria, quę non est „ in hora sua, sicut cibatio necessaria, quæ non est in hora sua. & propor „ tio istius euacuationis ad prohibendum acuitatem materiæ, est sicut „ proportio illius cibationis ad prohibendum uirtutem à casu suo.] Cu „ ius etiam alia uerba, quæ antea scripta sunt, perpendamus, quùm ait „ *f* [Apud statum uerò non moueas aliquid, donec uincat Natura, & digerat. Et si ipsa non mouet, moue tu, hora motus eius.] uel ut alia habet litera [moue tu, motu conueniente motui eius.] sequitur postea [Et, si ipsa mouet, aut mouit, tunc dimitte eam, & operationem eius.] In quibus uerbis, nota quòd tametsi princeps non aliud „ dixisse fortasis uoluerit, quàm quæ in aphorismis duobus, scilicet ui- „ gesimo, & uigesimo primo libri primi docuit Hippocrates. Quorum „ primus habet *g* [Quæ indicantur, & indicata sunt integrè, neq; mouere oportet, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere.] *h* secundus uerò [Quò maximè Natura uer „ git, eò ducendum, & per loca conuenientia.] Et sic magis staret ad „ propositum alia littera, quæ sic habet [si ipsa non mouet, moue tu, mo „ tu conueniente motui eius.] uelut tertia quoque littera dicens [moue tu ad partem, ad quam ipsa mouet.] q.d. ad quam ipsa Natura mouit, sed non integrè, ac perfectè, seu ad quam ipsa Natura decenter mouere solet. Quod Hippocratis dictum iam est *i* [Quò maximè Natura uergit, eò ducere oportet, & per loca conuenientia.] Quanuis inquam aphorismorum prædictorum duorum sententiam complecti uideatur Arabum Princeps: Nihilominùs tamen, iuxta literam quæ habebat [Moue tu, hora motus eius] interpretandum proculdubiò uenit [hora motus eius] hoc est hora, in qua ipsa mouere conuenienter solet, uel in qua mouere debet, quod est concocta materia. Mouet autem Natura non modò in declinatione, sed in statu etiam. Animaduertens igitur medicus Naturam nullum motionis inditium præostendere in diebus indicatiuis, puta septimi quarto: quartidecimi undecimo: & uigesimi decimo septimo. Quinimmò perspiciens idem, (ut sæpè accidit) alterius nouæ materiæ agitatione perturbatam Naturam coctione perficere non posse, aut si perficit, minimè tamen ualere ipsam à iuuatiuis, bonisq; humoribus segregare, ut expellat, uel potiùs, si secreuit, crisim malę permutationis facere, ad nobile tamen membrum, præsertim quotiès aliquod erratum interci-

d. 9. meth. cap. 10. in fine.

e. 1. quar. tex. 2. cap. 7. uersus fin.

f. ibidem paulo prius.

g. primi aphor. 20.

h. ibidem aphor. 21.

i. aphor. 21.

derit, uel sui ipsiusmet medici, uel ægrotantis, siue astantium, aut exteriorum (id quod nostro præcipuè luxurioso æuo sæpissimè contingere solet) An debeat ligatis manibus dormire? præsertim uigentibus aliquibus symptomatibus periculum hinc inde minantibus. An potiùs Naturam adiuuare, quæ adminiculum alicuius trahentis desiderat? uel eam ab imperfecta, multisq; numeris culpata, uel permutationis mala crisi diuertere, & ad conuenientem locum retrahere? Melius hercle (Galenus inquit) k iuxta Thucididis consilium, aliquid agentes periclitari, quàm hominem certæ perditioni derelinquere. Quoniam uerò tempestiuum est, ut huic quæstioni colophonem imponamus, receptuiq; dulciter canamus. Igitur concludamus omni tempore uniuersali, ac temporis uniuersalis qualibet parte, modò accessionum declinationem obseruemus, ubi hæc adsit, omni etiam die, atque hora, prout necessitas urget, purgationem non infrequenter licere, haudquaquam desumpto scopo, indicationéue à certo determinatoq; dierum numero. Quamobrem non commitendam esse medicinam hominibus debilis capitis, sed oportere medicum esse Natura prudentem, atque exercitatum, appositissimè Galenus, atque uniuersa Medicorum schola reclamat.

K. noni. meth. cap. 10.

Totius quõnis cõclusio.

CAPVT DECIMVMSEXTVM, In quo sextæ diei purgatio ex communi medicorum præsertim famosiorum Panhormitanorum consuetudine, comprobatur.



De his igitur intantùm, & ad nauseam usque. Quanuis enim noua hæc medicinę hæresis cælum conturbasse appareat, pannosos tamen potiùs, ac nescio quos habuit obscuro, & tuguriolis, uicis, atque angiportubus, non autem palatijs cognitos authores. Aduersati enim semper his sunt primates, ac non iniurià famosissimi, celeberrimiq; medici nostri: quibus solis permissum est proregum, atque Ducum, Marchionum, Comitum, ac denique illustrium omnium uirorum limina calcare: Galeni decretum perpetuò concinentes l, Non esse sumendam indicationem à dierum numero desumpto scopo. Et ut sileam Signorellum Salangam Hennensem uirum omniquaque doctissimum, & nonagenarium, nunc temporis ob senij imbecillitatem in patria quiescentem. Vt sileam quoque oculatissimos illos, expertissimosq; medicos celeberrimum in primis famosissimumq; Iacobum Pisanum, &

l. quarti de ratione uict. acut. com. 76.

Fran-

Frãciſcum Falconium dignißimum olim huius Regni uocatum protomedicum, ac celeberrimum Ioannem Baptiſtam à Petra, & Ioannem Iulianum, quorum omnium animas Deus Opt. Max. beare dignetur. Horum enim quilibet experimentorum multitudine ad minùs quatraginta annorum ſpatio, maximam ſibi nactus eſt apud Proreges, Illuſtresq; omnes uiros, famam, ac celebritatem. Cuncti tamen in ſexto die (quotiès neceßitas urgeret) abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, cum maxima ægrotantium utilitate, ſuoq; honore, ac lucro, purgarunt. Vtilitatis uerò inditium, ac certißima coniectura fuit innumerabilis, ac perſeuerans languentium concurſus. Vt illos inquam ſileam, abſentem, uel mortuos, eiuſdem quoque opinionis, ac ſententiæ nobiſcum ſemper fuerunt, ad hodiernum uſque diem, oculatißimus, celeberrimusq; noſter ſocius Pompilius Ianſiceus, uir quidem ingenio fulgens, doctrinaque, & experientia conſummatißimus: Itemque noſter tanquam communis pater Ioannes Petrus Aparus, propè ſeptuagenarius & quinquaginta ferè annos Panhormi, maxima cum celebritate, ac fama medicatus, doctrinaq; ſemper, & experientia ſingula indies, in publicis, priuatiſque collegiis comprobans. Nullus igitur horum potuit unquam tam apertißimum damnum ex purgatione in ſexta die, animaduertere. At quid dicam de aliis multis doctißimis, expertißimisq; medicis Panhormitanis, ſiue quos nouimus mortuis, ſiue adhùc uiuentibus? præter duos (ut aiunt) aut tres, quos me ignorare adhùc fateor, niſi quòd per urbem quotidie huiuſmodi zizaniam ſatam eſſe audiuimus. Omnes igitur prædicti maximam in eius diei (quando oportuna, & neceſſaria ſibi uiſa fuerit) purgatione conferentiam, utilitatemq; inuenerunt, obſeruaruntq;. De Panhormitanis medicis loquor, eoſquè dumtaxat in teſtes adduco (tametſi Neapolitani illi fulgentißimi, & omnibus certè numeris abſolutißimi medici nobiſcum ſint, ſemperque fuerint) quoniam Panhormitanis hominibus, præcipueq; tibi (mi doctißime, corporeq;, & anima illuſtris Comes) hæc ſcribere decreui, quò prauam eam, pernitioſißimamq; medicinæ hæreſim, ac luem, ex animis omninò aboleam, cuius ratione tibi cognitorum, præcipueq; famoſiorum (quibus non tu modò, ſed etiam uniuerſalis urbs meritò confiſa diutiùs eſt.) medicorum teſtimonium aſſumpſimus, in medium q; adduximus. Quam etiam obrem & ingenioſißimum, celeberrimumq; iuuenem (cui plurimum quoque non temerè confidis) Franciſcum Abiſſum, doctißimosq; Tantillos, & Vitales ad noſtræ ſententiæ teſtimonium ſuſcipe.

CA-

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM, In quo ad rationes authoritatesque Aduersorum sigillatim respondetur.



ERVM enimuerò ne in delendis, extirpandisq; aliorum fatuitatibus frustrà tempus conteramus, Ad rationes in oppositum ab aduersariis adductas conuertamur. Quò deinceps ad altiora pergere, ac ea, quæ maioris sunt momenti, contemplari ualeamus. Itaque sigillatim cuncta perpendentes: Ad primam rationem sic respondeamus, dicentes, quòd medicus est imitator Naturę, non semper, at rectè duntaxat operantis, & inquantùm potest. Cur enim debet medicus Naturam malè operantem imitari? Cùm inde multa inferantur damna? Quemadmodùm igitur in perturbationibus uētris. *m* Et uomitibus sponte sua factis, atque aliis omnibus per quamlibet partē factis euacuationibus, si talis euacuatio fiat, hoc est huius, uel illius humoris scilicet qui peccat, noxiusque est, confert morbis, & benè tolerant ęgrotantes: si uerò non, contrarium succedit, quia scilicet nocet, malaq; illi ferunt. Sic & omnis uasorum inanitio ab arte facta, si talis fiat, qualem fieri oportet, hoc est huius, uel illius humoris, qui noxius est, similiter confert, & benè ferunt, sin minùs contrarium euenit. Lædit enim, uiresque imbecillas reddit. Naturam ergo rectè operantem circa noxij humoris electionem imitari debet medicus, pariterq; circa loca conuenientia, iuxta illud *n* [Quo maxime Natura uergit, eò ducere oportet, & per loca conferentia.] Quanuis autem circa materiæ electionem, & regionem, siue locum euacuationis, conueniant Natura, & ars: Haudquaquam tamen propter id in aliis omnibus congruunt. Etenim circa euacuationis tempora, diesq;, uel horas (de quibus impræsentiarum loquimur) summopere differunt. Quoniam Natura crudos, impactosq;, humores, & nullo modo coctos, nunquam rectè educere ualet: Necessarium enim est, ut priùs concoquat (Galeno docente) *o*. secundo à bonis, utilibusq; segreget, tertio expellat. Medicus autem ab initio statim euacuare conuenientissimè potest, ubi materia turget, iuxta illud *p* [Medicari in ualde acutis, si materia turget, eadem die, tardare enim in talibus malum est.] priùs uidelicet, quàm robur corporis dissoluatur, uel febris caliditas augeatur. uel ad aliquod membrum principale decumbant ij, qui per corpus uagantur humores. Rectè igitur inquit Aristoteles

Ad primā

m. primi aphor. 2. & quarti. 2. & 3.

n. primi aphor. 21.

o. primi aphor. 22. quarti eiusdem. 22 & 23. & ter. de diebus decret. 18.

p. primi aphor. 10.

teles, *q*, Ars alia quidem perficit quæ Natura non potest operari: Alia uerò imitatur, ueluti econtrà. Multa sunt quæ ars neutiquam efficere potest, quæ tamen promptè à Natura fiunt. perindè ac & aliqua à neutra harum scilicet neque à Natura, neque ab arte fieri queunt. Quemadmodùm perbellè Galenus ait, per hæc etiam uerba *r* [Earundem igitur rerum alii impotentes existunt, Alii potentes, eæque fieri alio nequeunt tempore, alio queunt. Causa itaq; eorum est, quæ circa corpus boni gratia fiunt, Natura, & Medicus, sed sunt quædam Naturæ, quædam Medicis negata. Os adeò fractum, ut diuaricent eius particulæ, peruersumque membrum sit, corrigere, ac conformare, Naturæ non licet, at medico licet. Sic luxati reponẽdi, medico adest facultas, Naturæ non adest. Contrà uerò cauum ulcus carne implere, Naturæ datum est, Medico minimè. Quemadmodùm & semicoctorum, & incoctorum quidquam concoquere. Verùm in hæc quoque adminiculatur, opitulaturque Naturæ medicus tùm purgantis medicamentis impositione, ulcus repurgando, tùm quæ commodè calefaciant, iis quæ cõcoqui possunt inserendo. Sunt item multa, quæ Natura ipsa, cùm anteà ab ea effecta sint, facere denuò non posit. Vt uenam, & arteriam, & colligamentum, & neruum, & quæcunque eius generis alia.] Hæc Galenus. E' quibus eius uerbis patet, nequaquàm ualere consequentiam hanc. Si Natura facere non potest, uel minimè facit, sine læsione, & periculo purgationem in sexta, ergo nõ debet facere medicus. Etenim Natura facere non potest. Tùm primò 1 quia interdùm cruda est materia, quam nullo pacto mouere potest, nisi eam concoquat, posteàque segreget: Medicus uerò eam trahere sæpe etiam ab initio medicamentis ualet. Tum secundo, quia sexta dies 2 non est unquam Naturæ motui dedicata: Quamobrem si certi sumus nos quòd in ea die Natura mouere non debuerit, mouere quidem nos (urgente necessitate) possumus. Quòd si ex quartæ indicatione dubitarimus, an ea moueat in sexta, quia motus eius imperfectus est, proculdubiò nos eum dirigere, ac regulare cum medicamentis temperantibus, roborantibusq;, ac roboris uestigium post purgationem dimittentibus, aut diuertere (si oportuerit) debemus. Non ergo ea die silendum. Quòd si ea consequentia ualeret, scilicet Natura non facit purgationem bonam in sexta, ergo in ea die non debet facere medicus. uel sic: Natura non potest in sexta rectè operari, ergo neque medicus. Eadem quoque ratione ualeret de sanguinis missione, quod quia Natura non benè facit in sexta, sanguinem aliquo modo euacuans, ergo neque medicus. Sed expressè de sanguinis missione in sexta

q. secundi physicorum tex. 79. & uide te. 22.

r. lib. de constitut. ar. med. cap. 12 uers. finem.

s. noni meth. cap. 5. & libro de phlebotomia ca. 20.
t. supra ca. 9. circa principia.
u. supra cap. 10.
x. cap. etiam 10. uersus finem.

ta à Galeno *s* didicimus, ueluti prætactum iam est. *t* eademque
ratione iterùm ualeret de octaua, decima, duodecima, sextadeci-
ma, decimanona, & prima, & secunda, uelut anteà iã uberiùs enuclea-
tum est. *u* Immò potiùs oppositum sequitur quòd scilicet in his die
bus, Natura non rectè aliquid facit, seu operatur, uel nullo pacto mo
uere solet. Igitur tunc medicus operari debet. Sic enim securus est
quòd illam minimè impediet. Prætereà ex iis, quæ dicta sunt, *x* li-
quet, non ualere consequentiam scilicet Natura rectè operatur in se-
ptima, nona, undecima, quartadecima, decimaseptima, & uigesima,
uel interdũ, uigesima prima: immò etiã in quarta, tertia, & quinta. Er
go tunc medicus potest, uel debet operari. Si enim illa ad motum pa-
rata sit, Medicus impedire, ac perturbare posset. In quibusdam igitur
imitari, in aliis opitulari debet Medicus. In quibusdam uerò potiùs
opponi debet, ac impedire ipsius Naturæ opus. Sed prolixior quàm
Ad 2. oportuerat factus huiusmodi sermo est. Ad alia igitur conuertamur,
dicamusque ad secundum pariter benè ualere quod dicitur. Vbi septi
1 mus quidem instat, in quo uigor sit, & ubi crisim ueram, perfectamq;
2 futurã speramus, tùm primo quia coctionis perfectæ signa apparẽt,
3 tum secundo quia alia facta est in quarta die indicatiua quædam eua
4 cuatio, tùm tertio quoniam uires fortes, esse cognouimus (illis enim
imbecillioribus existentibus, aut promptè resolubilibus, illicò cibus
est dandus, quodcunque tempus, siue uniuersale, siue particulare ad-
a. sup. cap. 8. circa principia. sit) & demũ ubi omnes sex conditiones bonæ crisis prænarratæ *a* ap-
parent. Eo inquàm casu non cibus modò abnegandus, sed quodlibet
etiam euacuationis genus interdicendum. Ne ipsius quidem Naturæ
1 opus perturbemus, diuertamus, aut præcipitemus. Verùm si neque
2 coctio appareat: uel si quæpiam adsit, obscura tamen, & imperfecta,
3 Nullaque interim indicatio ex quarto desumpta fuerit: Ac uires uel
4 ex malignitate, uel multitudine oppressæ, aut doloris uehementia pe
riclitantur: Aliæque desint conditiones, uel omnes, uel plures, aut a-
liqua ex præcipuis (ut coctio est) Quandoque cibandum, atque e-
tiam purgandum κατὰ ἐπίκρασιν, ut in malignitate, & corruptione.
Quandoque autem (ut in multitudine, aut doloris uehementia) ta-
metsi abstinendum à cibo est, quamprimùm tamen seu sanguinis mis
sione, seu purgatione, uel utraq; corpus euacuandum uenit, cùm præ
cipuè necessitas urget. Qua quidem urgẽte fortassis in sexta, uel quin
y. 4. aphor. 10. ta eadem statim die (iuxta Hippocratis *y* decretum) fieri euacua-
tio debet. Quemadmodùm enim urgente necessitate in septima etiã
die, nedùm alia ante illam, cibare permissum nobis est: Ita materia
qui-

quidem turgẽte, ac necessitate urgente, (uelut anteà ζ ostensum est) in septima quoq; nedũ sexta die purgandum, sanguinemq; mittendũ fore, omni prorsùs abiecto timore, compertissimũ fuit, perindè ac ex ipso etiam Arabum principe *a* huiusmodi similitudinem comprobaui mus *b*. Atque hæc ipsa, ut Naturã imperfectè operantem adiuuemus, exoneremus, eleuemusque, semotis iis omnibus, quæ ipsam distrahunt, impediuntq;, ac dissoluere queunt, ut perfectè deinceps operari ualeat. Ad tertium uerò argumentum accedamus, dicentes Auicennam rectè locutum esse, ubi crisis futura est. Nos uerò ubi hãc futurã speramus, neutiquã mouendum forè, contendimus. Quinimmò neq; dandum esse (ut paulò ante diximus) ipsi Naturæ grauamen, aut impedimentum, minima etiam quauis data sorbitione, aut potu. At ubi nulla Crisis futuræ spes est, quinimmò periculum in mora, necessitasq; prænarrata iam urgeat, in sexta, & septima purgare, atque euacuare possumus. Nec aliter ad quartum quoque argumentum dicendum est, quòd cùm morbus secundùm sui rationem (uti Galenus ait) finiturus est in septimo, tunc minimè debet medicus Naturam ipsam irritare, ne occasio sit faciendæ, anticipandæq; crisis in sexto. immò potius ipsam recreare: Morbi uehementiam (eo modo, quo potest) retundendo, febremq; refrigerando (intelligendo interim de bona crisi, quæ quidem supradictas *c* sex habeat conditiones). Sin uerò periculosum uiderit morbum minantem potiùs in septima die mortem, nisi aliquo ingenio succurramus (uel multitudinis inquàm ratione, uel malignitatis, aut quia fortassis principale aliquod irrepserit, uel nunc irrepere incipiat. Seu urgentissimi demùm doloris occasione). Cur Thucididis, Galenique *d* præscripto *e*, & celebrato dogmate, potiùs tentare, quàm ocyssimè queat, uacuationem non debet, quàm impiè ueluti omninò deploratum derelinquere? Quod si nouerit in diebus paribus maiorem habere afflictionem, adeò ut de sexta uerendum sit: An deplorandum ægrum immisericors ipse medicus condemnabit: An potiùs aliquod pręsidium, in quo tamen dubia spes sit, tentare, ipsique Naturæ adminiculari conabitur? Cauens interim, si possibile est, à secunda, quarta, & sexta die. Tunc enim aptiùs in tertia, uel quinta, tanquam in diebus minoris laboris, ea quæcunque aptior uidebitur, siue sanguinis missio, siue purgatio per aluum: Itemq; siue ad euacuandum, siue ad reuellendum (prout oportunum apparebit) ab ipso fiet. Nisi certò desperata salus sit. Tunc enim futura prognosticari satius esse Galenus *t* ait, ac omninò ab eis fugere, ne euentus rerum medici errori ascribatur,

ζ sup. cap. 7. & 8. Itemq; cap. 13. 14. & 15.

a. 1. quar. te. 2. cap. 7. uers. fi. §. il lo [& talis est ista euacuatio] &c.

b. sup. cap. 15.

Ad 3.

Ad 4.

c. sup. cap. 8. circa prin.

d. 9. meth. cap. 10.

e. sup. cap. 13. & 15.

t. 2. aphor. 29.

u præ-

u. pri. pro- gnost. 4. lib. de const. art. medicæ cap. 16. & duo decimi meth. 3. x. xi. meth. [illegible]

u præsidiaq; interim, quæ aliis conferre solent, infamentur x. Ad quintam denique rationem respondere, cuiuis promptissimum est. Etenim si usque adeò imbecillis reddita est uirtus in quinto, ut medicamento, faciendam purgationem sufferre nequeat, nullus herclè ita demens medicus erit, nisi medici nomen duntaxat nudum, omnisq; effectus uacuum habuerit, qui eam faceret in sexta. Propterea medicis, qui sani capitis, rectiq;, & incorrupti iudicij sunt, committenda est medicina, expertiq; in pulsuum cognitione extiterint, aliisq; omnibus indiciis, quæ uirium robur demonstrant. Nanque uiribus resolutis, quęcunque dies instet, ab euacuatione prorsùs desistendũ est. Haud igitur quia in sexto, sed in omnibus eadem ratio est tàm paribus, quàm imparibus diebus. Quòd si uires sufferre queunt, non imbecillæ quidem sequenti die à purgatione euadent: sed morbi respectu ualidiores, cùm scilicet talia purgantur, qualia purgari oportet. Confert enim morbo ea euacuatio, & leuiter eam ferunt ægrotantes. At perpendant quęso hi, qui talia nugantur, quòd idem quoque de octaua die, quæ septimam sequitur, cui nona deinceps succedit, dicendum ueniret. Idemq; rursùs de die decima, duodecima, sexta decima, decimaoctaua, atque etiam quarta proferri potest. Quandò igitur purgandum est? Satius porro fuisset, si morbus omnes acutos Naturæ discretioni (ut sic dixerim) dimittendos fore, nullumq; à medico purgandum pronuntiassent, idq; ueluti decretum statuissent, quàm de sexta dumtaxat disputare ausi essent. Tanquam si omne illi diei enecantium medicorum crimen, infortuniumq; inditum sit. Sed tu interim uale, ac me, uti solitus huc usque es, perama. Panhormi. IIII. Idus Decembris. M. D. LVIII.

Τέλος.

QVOD VETERINARIA MEDICINA FORMALITER VNA, EADEMQ. CVM NOBILIORE HOMINIS MEDICINA SIT,

Materiæ duntaxat dignitate, ſeu nobilitate differens:

Ex quo Veterinarij quoque Medici, non minùs, quàm Nobiles illi Hominum Medici, ad Regiam Protomedicatus officij iuriſdictionem pertineant:

IOANNE PHILIPPO INGRASSIA PHILOSOPHO, AC MEDICO AVTHORE:

Ad Illuſtr. Excellentiſsimumq; Metymnæ Cœli Ducem.

VENETIIS, M. D. LXVIII.

MARIANI PIPI NEETENSIS
Epigramma ad Lectorem.



ATVRAE *Seriem nouit, qui, & semina rerum:*
Plurimaq; inuenit, quæ latuere diù:
Quid sit opus Medicum, studio quæ pharmaca longo,
Humanis docuit congrua corporibus:
Hic tibi, plura docet, ne quid sibi fortè supersit,
Trinacriæ Antistes totius & Medicus.
Qui nimis ingenio pollens, humana reuoluit,
Postquàm ad Brutorum se bene vertit opem.
Brutorum, ac hominum Ingrassias vna Philippus
Quòd sit, non plures, En medicina docet.
(Non igitur mirum) si huic Rex hanc iure Philippus
Imposuit curam, Numine dignus erit.

IO. ANTONII MVSSI SICVLI
Nouocastrensis ad eundem.



VNCTIS *Natura vna, eademq; alimenta ministrat:*
Vna, eademq; simul est medicina data.
Brutaq; natura, æquè humanaq; corpora viuunt:
Et senio, & morbis cuncta animata cadunt.
Cuncta animata sibi Phœbi meditamina poscunt,
Quæq; suis fuerint congrua corporibus.
Non ergo est duplex nobis medicina, sed vna
Corpore pro vario pharmaca iusta parit.
Nec tamen ipsa solet per se exercere, ministro
Vtitur in Medico, quam meditatur ope.
Quòd si sic, vtq; est, doctus tibi iure Philippus
Archiater brutis vtile prompsit opus.
Rectè etiam statuit, quicunq; animalia curant,
Submitti Archiatro, & iura verenda pati.

IESVS MARIAE FILIVS.

ILLVSTR. EXCELLENTISSIMOQ.

DOMINO, D. IOANNI A CERDA, DVCI METHYMNAE COELI. &c.

In hoc Siciliæ Regno Serenissimo Viceregi, atque integerrimo, Iustissimoq; Monarchæ, ac Imperatori Generosissimo,

Ioannes Philippus Ingrassias Victoriam, Fælicitatem, Salutemq; sempiternam.



CVM Drepani, pro Inuictissimi nostri Regis PHILIPPI Seruitijs, urbis eius mœnia, & castra, cæterasq; munitiones omni sedulo reuisurus commorareris, resideresq;, Anno ab hinc propemodum quarto (Illustrissime, atq; Eccellentissime Principum Coriphæe) Dum, à publicis negotijs, vniuersalibus quidem, & particularibus, tàm ciuilibus, quàm criminalibus lassus iam, à distributa quidem in singulis condecenti iustitia: pro spirituum, animæq; (ut dici solet) recreatione, ad aucupium, venationemque, extra vrbem, unà cum Illustrissima, Excellentissimaque Duce, uxore tua, nec non filijs, ac filiabus tuis progrediens, Ecce charissimam intereà genitam tuam Illustrissimam Donnam Caterinam deorsùm, in terram ab agitata Mula proiectam, in castrum reuerti à me ibi commorante curandam præcepisti. cui quidem sanguine misso, alijsque adhibitis, ac propinatis idoneis præsidijs, in forum me contuli. Quo in loco dùm cuiusdam seplasearij officinam, unà cum Magnifico Hieronymo de Luca tunc temporis in Regio Protomedici officio Locumtenente uisitaremus. Ecce iterùm Accipitrem quendam ad me ab Excellentia tua remissum: cuius alterum crus inter venandum effractum est, eo quidem fracturæ modo, in femoris medium illato, quem Græci raphanidon, & sicyedon, & cauledon, ex raphani, siue cucumerum, aut caulium fractorum similitudine, appellare consueuerunt: ut illius ef-

fracti partes ab aliquo è nostris Chirurgicis reponendas,accommodandas,ac perfectè demum colligandas præciperem, Chirurgiæque modum illos docerem. Quo quidem audito; uisoque, mirum in modum, quasi de nouo quodam monstroso spectaculo, admirati sunt assistentium, & circunstantium quamplurimi: Quoniam scilicet ad me (ut uocabant) honoratum, nobilemque, & excellentem Medicum, Auem curandam transmitteres, quasi innuere uolentes, quod me uel derideres, uel floccipenderes, brutum, irrationaleque animal curandum mihi proponens. Subridentesque nonnulli, ac mussitabundi in memoriam intereà reuocabant, quòd sæpenumero etiam uiderant, audiuerantq; Illustrissimum Don Petrum a Luna, Bisbonæ Ducem, non de curatione Accipitrum modò, sed equorum quoque suorum, consilium a me petiisse: Nec in Chirurgicis tantùm actionibus, sed in uictus etiam ratione, atque medicamentorum, siue purgantium, siue alterantium usu. Velut etiam de aliis pluribus topicis, localibus'ue tùm fotibus, tùm inunctionibus, alijsq; demùm remediorum generibus. Ego autem subridentes illos, siue medicastros, siue cuiusuis alterius professionis, summoperè deridebam. Præsertim cùm in hac medicinæ parte, atque exercitio, non uiles, grægariosque Medicos socios haberem: sed imprimis teipsum Excellentissimum Principem. Vt qui Alexandrum quoque Magnum, & Marcum, optimum Romanorum Imperatorem imitatus: uelut hic, uir prudens ada mussim corporis tui conditiones, ac temperaturam, (ex humanorum corporum anatome, quàm me dissecante inspexisse pluriès gauisus es) intelligere enixus: Velut ille autem, inter tot, tantaque tam ciuilia, quàm bellica negotia, Naturas quoque animalium, & proprietates, (ex eorum quoque proprijs interdùm tuis manibus facta anatome), discere concupiuisti. Nihil dico de Aegypti Regibus, qui etiam suis ipsorum manibus confectionem aggredi, non dedignati sunt: Mox deindè autem prædictum Illustrissimum Bisbonæ Ducem in Accipitrum anatome, atq; curatione doctissimum, ac Illustrissimum Don Ambrosium à Sancta Pao Lichudię Marchionem: Aliosque Demùm plurimos Illustres, ac Spectabiles equites ueluti commilitones sortitus sim. Qui quidem non equos modò suos, sed uenaticos etiam canes, præcipueque accipitres, atque hos eorum quoque proprijs manibus quotidie, quùm opus est, medicari magnoperè lætantur. In quo quidem exercitio, tantum abest, ut uerecundentur, dedecori'ue attribuant: Quin potiùs se Medicos esse glorientur: Dum uel suos, uel sociorum quoque accipitres, canes'ue

nes'ue, aut equos, siue mulas curare se scire profitentur. Scientiam in horum curatione, & artem summoperè optantes, quibus possent methodicè præsidiorum genera cuncta admouere. Cuius rei testimonium perhibet prædicti accipitris effractum crus. Quod tametsi à Drepanitanis illis Chirurgicis concinnè aptatum, restauratumque fuerit: ob inordinatum tamen Auis motum, rursùs distractæ partes, ab Illustrissimo deinceps Lichudiæ Marchione, una cùm Spectabili Guccettæ Barone exquisitiùs denuò accommodatæ in pristinam, perfectamque adglutinationem, ac sanitatem peruenerunt. Id quod an omni potiùs laude, quàm uituperio dignissimum sit, testes quidem sunt Philosophi ferè omnes, præcipueque omnium protogymnasiarcha Aristoteles. Qui quidem scribendo Philosophiam Naturalem, tunc se ad extremum huius, summum'ue terminum peruenisse, gloriatus est, medicinæq; primordia ingressum, quando ad suum *a*, canum *b*, boum *c*, equorum *d*, Asinorum *e*, Elephantumq; *f*, & ipsorum etiam insectorum animalium, ac præcipuè apum *g*, morbos, quos pati hæc solent, medicinamque, siue eorum morborum curationem, libro de animalium historia octauo, iam peruenit. Tuncque quasi ad metam, portum'ue reductus, encomium cecinisse potuit: Ea quidem sententia quàm alibi *h*, regessit. * Vbi scilicet Physicus desinit, inde Medicum suorum principiorum exordia sumere. * Quid autem admiratione dignius est, quàm id, quod in Aristotelis progressu obseruauimus; quoniam scilicet statim habito sermone de Elephantorum morbis, & eorum curatione, capite uigesimo sexto: de morbis insectorum, & præcipuè apum subiunxit, locutusq; est, capite uigesimoseptimo (prout interpretes capita distinxerunt, Aristotelis enim germanus, Græcusq; sermo continuus est, sine distinctione.) Elephantos interim cum insectis, minimisque animalibus componens? Innuere per id uolens, eandem esse magnorum, nobiliumque, & paruorum, ignobilium'ue animalium medicinam, artem'ue, ac scientiam, tametsi diuersæ nonnunquam sint remediorum species, siue simplices, siue compositæ extiterint, pro diuersa quidem animalium natura, diuersisque morborum speciebus: prout hæc, uel illa animalia pati solent. Quanquàm in apum medicinam desinere alia ratione præstantissimum fuit: ut è quibus præcipuè boni Regis, Principis'ue aculeo quidem armati, sed eo tamen nunquàm utentis, Atque ex opposito bonæ Reipublicæ suum Regem, aut Principem reuerentis, obseruantisque exempla capiantur: ut aliàs dicemus. Omitto quòd maior est, uelut in creandis,

a. cap. 21.
b. cap. 22.
c. cap. 23.
d. cap. 24.
e. cap. 25.
f. cap. 26.
g. cap. 27.
h. in primo libr. de sensu & sensato.

creandis, ita in curandis his minimis animalibus, quàm in maioribus, ars, & ſapientia. Maiorque etiam in brutorum, mutorumque, & irrationalium animalium regimine, quàm rationalium loquẽtium, & ſua ipſorum neceſſaria exprimentium, ac tàm ſermone, quàm pluribus quoque alijs inditijs morbos ſuos, ſedesq; affectas exponentium, aut ſaltem aliquando indigitantium, præceptisque Medicorum ſua ſponte obedientium, prudentia exiſtit. Quemadmodum aliàs uberrimè præoſtendimus, ac nonnihil de his poſteà, in preſenti ſermone determinabimus. *i* At enimuerò ex hac uana, falſaque nonnullorum opinione (prout ex ipſo etiam Vegetio collegimus *k*) quòd ſcilicet dedecus ſit ueterinariæ medicinæ incumbere, illamq; ſcribere, ac magis ipſam exercere maximum humanæ Reipublicæ incommodum, damnumque infertur. In primis autem ſic dicamus, Nullam cuiuslibet rei quantumuis uiliſsimæ ſcientiam, uilem dici poſſe. Quinimmò ut ſcientia, uel ars nobiliſsima quæuis eſt. Ex quo hominem doctum ab ignaro, ueluti rationalem à lapideo, uiuumque à mortuo, ſeu uerum à picto differre, unà cum Auerrhoe *l* dicemus. Præterea cùm in humanis conuerſationibus, aliquid inſequendum, aliquid uerò fugiendum occurrat (illud quidem tanquàm bonum, Id uerò tanquàm aliquo modo malum) perfectus dici non poteſt, niſi quiſquis utrumque pernouerit. In hoc enim formalis ratio perfectionis ex ea cognitione conſiſtit: uidelicet ſciendo bonum à malo diſtinguere, quæcunque illa ſint. Id quod iam in equorum medicina, aliarumque etiam beſtiarum, uelut in aliis omnibus ſcientijs, artibus'ue contingit. At quis dedecus eſſe reputauerit, iis ſiue rebus, ſiue ſcientiis, aut artibus uacare, atque incumbere, quæ damnum homini remouent, utileque potiùs, ac maximum ei lucrum inferunt? Veterinariorum autem animalium ſanitatem, maximum homini lucrum: Aegritudinem uerò, ſeu mortem illi damnum afferre, compertiſsimum eſt. Quod quidem lucrum, præcipueque ex equo, atq; interdum etiam ex mula, ſæpenumerò longe maius, quàm ex homine ſeruo dominus habere ſolet. Cùm uilius equo uendi ſeruus homo, quantumuis exquiſitus, & in ſeruiendo ſagaciſsimus, uendi conſueuerit. Quis.n. unquam emit ſeruum talentis tredecim? quæ ſunt ſeſtertia trecenta, & duodecim, noſtris uerò uocabulis coronatorum aureorum millia ſeptem, & octingenti: (ſeruum inquam, ob ſeruiendi munus inquiſitum, emptumque, non captiuum aliquem illuſtrem uirum, ut interdùm contingit) Quo tamen pretio Philippus Macedonum Rex Bucephalon uocatum equum (ſiue ab aſpectu toruo,

i. frà. ca. 13
k. in prox. ueterin.
Argu. Primum.
Secundũ
l. in prox. 1. et 8. phyſicorum.
De equis Tertium.

tuo, siue ab insigni taurini capitis armo impressi) Alexandro filio emit, Quemadmodum Plutarchus *m*, Aulusque Gellius inquiunt *n*. Quinimmò, apud Plinium *o*, Sexdecim talentis ferunt, ex Philonici Pharsalij, seu rectiùs (ut ex Plutarchi Vitis legimus) Thessalij grege emptum. Vt pretium sit æris nostri coronatorum nouem millium, atque sexcentorum aureorum, quanquam nonnulli Demarathum Corynthium Alexandro donauisse referunt. Cornelium quoque Dolobellam, Aulus idem Gellius refert *p*, consulem in Syriam proficiscentem fama cuiusdam equi pretiosissimi adductum, Argos diuertisse, cupidineque eius habendi exarsisse, emisseq; cum sestertijs centum millibus. (quamquam eius, suæq; prolis, uelut aliorum quoque possessorum mortem protenderet, prout multorum experientia comprobauit) Id quod nostra etiam hac ætate obseruamus. Etenim quemuis excellentissimum seruum uix centum aureis coronatis, equos tamen plurimos quingentis quoslibet, & mille etiam aureis coronatis, plus, minus'ue, ab Illustribus uiris emptos conspeximus, aut audiuimus. Nullum prætereà seruum unquam legimus ab Imperatore, seu Rege ita honoratum, quemadmodum de Bucephalo Alexandri equo scriptum inuenimus. Præter sumptuosum enim tumulum, in quo sepeliri eum uoluit Alexander, atque exequias ei defuncto ductas, Vrbem condidit, quam equi nomine circundedit: Vt scilicet Bucephalos quoque Vrbs ipsa nuncuparetur. Fecit & Diuus Augustus equo tumulum, De quo Germanici Cæsaris carmen est, Plinio authore *q*. Boristenes equus fuit Adriani Imperatoris. Dion Cassius ait Imperatorem mortuo equo sepulchrum fecisse, columnamque erexisse, cum epigrammate inciso. Iulius Cæsar (authore Tranquillo) utebatur equo insigni, pedibus prope humanis, quem maxima cura aluit, honorauitque statua. Hac enim effigie inquit Plinius *r*, uidelicet hominis similes pedes priores habens, locatus ante Veneris genitricis ædem fuit. Agrigenti complurium equorum tumuli pyramides habuerunt. Sed hæc de equorum honoribus intantùm dicta sint. Quòd si deinceps equorum necessitatem perpendamus, in pace, in bello, in ludis, triumphis, & quibuslibet festiuitatibus, apud doctos, & indoctos, religiosos, & tumultuosos, Iuniores, & seniores, unicum proculdubio nobilitatis, & honoris, ac fortitudinis inditium equus est. Iam quis non miretur equorum robur, qui constantissimè intueantur exercitus militum, & fulgentia arma non exhorrescant? Quid quod noscant quando consistendum sit, quando rursus irruendum, ac nimirùm præclarè intelligunt militare

m. in uita Alex. circa princi.
n. libro. 5. cap. 2.
o. libro. 8. cap. 42. in principio.
p. libro. 3. cap. 9.

Quartũ. 1.
2.
3.
q. libro. 8. 4. cap. 42. circa prin.
5 *r. ibidem.*
Quintũ.

tare signum, mirificoque quodam sensu hostem instantem, uel longinquo interuallo præsentiunt. Solertis enim Naturæ munere, cauto, & prudenti animo affecti sunt, suum sessorem cognoscunt, & ad eius conspectum hinniunt, illiusque causam in bello grauissimè dolent. Iam quanto ardore sint in pugnando, Tiberii Cæsaris equus declarat, qui in pugna ore flammas interdùm emittere cernebatur. Instituti in theatris se inclinant, & erigunt, & saltatorios motus, uel homini ipsi difficiles, memoriter imitantur.

Sextum. SED eorum amorem erga dominum, siue dominos suos perlibremus. Eodem nanque amore, diligentique cura remunerandus, compensandusque est.
1 Author enim apud Volaterranum Aelianus est, equum Nicomedis Regis Bithyniæ tanto fuisse in dominum affectu, ut eo mortuo, oblatum recusauerit cibum, & inedia se confecerit, uitamque lachrymas etiam (Authore Plinio *s*) fundens finiuerit.
2 Quid quòd Scythæ quidem equitatus, & equorum gloria strepunt? occiso denique ipsorum Regulo ex prouocatione, dimicantem hostem cùm uictor ad spoliandum uenisset, ab equo eius, ictibus, morsuque confectum referunt, scribuntque.
3 Philarchus refert Centaretum è Galatis, in prælio, occiso Antiocho, potitum equo eius, conscendisse ouantem. At illum indignatione accensum, domitis frænis, ne regi posset, præcipitem in abrupta isse, exanimatumq; unà.
4 Philistus testis est, à Dionysio Syracusanorum tyranno relictum equum in cæno hærentem, ut sese euellisset, secutum uestigia domini licet ingrati: Examine apum Iubæ inhærente, eoque ostento
5 tyrannidem a Dionysio occupatam. Sed aliorum omnium equorum amorem erga dominum suum Bucephalus Alexandri superauit. Qui quidem tametsi quantisper nudus erat (Plutarcho *t* teste, ipsoque etiam Plinio *u*) conscendendum se etiam equisoni dabat, ornatus tamen Regis iam aulæis, collaribusque ephippiatus, neminem admittebat: Alexandro tantùm excepto, cæteris periculum facturis, aut alioqui propiùs accedentibus, ingenti hinnitu occurrere, insultareque, ac nisi cederent, fugaque sibi consulerent, proterere solitus. Alexandro uerò sua sponte, & nullo impulsu astabat, & ut facilior conscensio esset (prout alij retulerunt) ei ascendenti sese corpore demittebat. Quo usus est ad omnia Asiatica bella Alexander. Idemque equus in prælijs memoratæ cuiusdam perhibetur operæ, Thebarum oppugnatione uulneratus, in alium transire Alexandrum non passus. Multa prætereà eiusdem modi. Idem enim in bello Indico sagittis undique perfossus, Regem è mediis hostibus (licet exanguis,

s. libro. 8. ca. 24.

t. libro de animalium industria uersus med. & libro de brutorum ratione

u. lib. 8. ca. 42.

uis, & moribundus, quàm ita sese persensit) uiuacissimo cursu retu-
lit, atque ubi extra teli iactum portauit, Domini iam superstitis secu-
rus, ibidem expirauit. Propter quæ Rex defuncto ei duxit exequias, ur
bemque tumulo circundedit nomine eius. At quem præterea pude- Septimũ.
ret equorum curationem scire, atque exercere, cùm gloriosum sit
eos possidere, eorumque exercitio uti? ut ab eo illustres quilibet ui-
ri nomenclari, ab equo inquàm equites glorientur. Id quod Græco
etiam, ac uulgari, maternoque nostro Idiomate obseruatur. Vt enim
latinè ab equo equites, ita Græcè ab hippo, idest, equo, etiam hippe-
es, hoc est, equites, uernaculaque, seu materna nostra lingua, Caualie
ri, à Cauallo nomenclari gaudeant. Condecens igitur, honestissi-
mumque est, equorum medicinam non discere modò, aut scribere,
sed etiam exercere. Sed equi adhùc castitas, ac uirtus omnem curam, Octauũ.
ac laudem meretur. Ferunt enim (præter Aristotelem *x*, Plinio *y* 1.
quoque, ac Aeliano *z* testibus) Regi Scytharum fuisse equam egre- *x.9.de hist. animalium cap.47.*
giam, ex qua mares generosi omnes gignerentur: Quorum unum,
qui præstantior haberetur, cùm ut ex matre procrearet, placeret, ad- *y lib.8. ca. 42.*
missum omninò recusasse, opertam deinde latuisse matrem, ut impru-
dens superueniret. Verùm ubi à concubitu faciem matris detectam *z libro.4. cap.10.*
agnouerat, fugam properasse, atque seipsum actum præcipitem inte- 2.
remisse. Quo mortis etiam genere simul se interfecisse matrem Aelia
nus addit. Sed equam, eadem ex causa, in Reatino agro, laceratumq;
pariter aurigam inuenimus, inquit Plinius. De alia uerò loquens sic
Aelianus *a* ait * Equam Eudemus inquit adolescentem, ac armen- 3.
ti præstantissimam, tanquam omnium formosissimam puellam ab e- *a.libro.4. ca. 18.*
quisone adamatam fuisse, primumq; sui amoris hunc flagrantiæ mo-
deratum fuisse, deindè libidine inflammatum, usq; eò processisse cum
equa, ut uenereo complexu iungeretur, remq; tandem perficeret tur-
pem. Vbi uerò equæ pullus incæsto stupro, matrem contaminari per
spexisset, eam sic a domino tyrannicè tractari, acerrimè tulisse. Itaque
impetu facto, uirum interemisse. Atque cùm obseruasset, ubi humare
tur, eò profectum refodisse, omnibusque suppliciis cadauer, iam nul-
lum sensum ex mærore percipiens uexantis, afflixisse. Verùm enim- Nonum.
uerò concludamus, quòd si optimus ille pictor, uel statuarius est,
dicique debet, qui animalium, præsertimque equorum figuram, siue
penicillo depingere, siue scalpro aliquo sculpere adamussim ea, quæ
secundum Naturam sunt, imitando sciat. (Quamobrem quia pilis e-
qui in gena inferiore carent, propterea, ut Aelianus refert *b*, Apel- *b.lib. 4. de animalium hist. cap.4.*
li Ephesio, qui equum quempiam effinxisset, repræhensionem attulis-

ſe ferunt: Alij non Apelli hoc accidiſſe, ſed Niconi aiunt, cùm tamen ſcientisſimè cæteras equi partes pinxiſſet, hanc partem illi uitio uerſam fuiſſe) Si inquam optimus pictor aut ſtatuarius dicendus eſt, nosque uehementer oblectat, qui quidem animal ſcitè pinxerit, aut ſculpſerit: Quantò magis Medicus ipſe à nobis maxima cum delectatione commendandus, ſummisque encomiis celebrandus, quicunque ipſius Naturæ non imitator tantùm, ſed miniſter quoq; exiſtens, animal ipſum, quodcunque ſit, ad hominemuſq;, fabricarit, reſarcierit'ue, aut in eodem ſtatu diutiùs conſeruarit? ut non exteriorem modò, ſed internam quoque pulchritudinem appoſitisſimè referat? Sed hæc pro ueterinariæ medicinæ, præſertimque equorum, nobilitate, intantùm dicta iam ſint. Quòd ſi proculdubio uilitas quædam in publicis ueterinarijs Medicis (quos Maniſcalchos uulgò appellant) exiſtat, qui lucri causâ, uiles etiam aliquas operationes, in ipſis equis, alijsque uilioribus quoque animalibus, exercent, quas in ipſo etiam homine exercere uile eſſet. Haudquaquam tamen ob id uilis eſt ipſa ſcientia, uel ars, neque noſtra conſilia (dum medendo etiam beſtias, præſertimque tres has, ſcilicet equos, accipitres, & canes, noſtro, & non publico uſui, nec ſtipendio, ſiue lucro conducti, niſi interdùm alicui uel amico, uel illuſtri uiro conſilium pro ſuis animalibus præbentes, ſanitatem illarum diſquirimus) uilia ſunt. Præcipuè cum miniſtris, famulisque, aut ſeruis noſtris, ipſisque interdùm uocatis Maniſcalchis, actu facienda, admouendaque remedia præcipiamus, & non ipſi proprijs manibus exerceamus. Niſi ea fortaſsis interdum, quæ delectationem aliquam in opere, nihilque ſordiciei, utilitatisq;, aut dedecoris habeant, exerceamus: Maximeq; in accipitribus: qui noſtro huic ſermoni occaſionem dederunt, nosque deinceps iterum uberiùs de eorum nobilitate, & excellentia loquemur. Idipſum interea pro equorum curatione habenda, concludentes, tantam quidem de his apud ueteres diligentiam, extitiſſe: ut cenſorum munus fuerit, publicè equum equiti adimere *c*, ſi obeſus, corpulentusque ipſe eſſet, & male curatum, ſtrigoſumque haberet equum. Quamobrem ita Aulus Gellius teſtatum reliquit *d* ⁎ Item aliud refert Sabinus Maſſurius in ſeptimo memoriali ſeuerè factum. Cenſores inquit. P. Scipio Naſica, & Marcus Pompilius, cum equitum cenſum agerent, equum nimis ſtrigoſum, & malè habitum, ſed equitem eius uberrimum, & habitisſimum uiderunt. Et cur (inquiunt) ita eſt. Vt tu ſis, quam equus curatior? Quoniam (inquit) ego me curo: Equum Statius meus ſeruus. Viſum eſt parum reuerens eſſe reſponſum: Relatusque

Vtilitas in ueterinar. med. qualis, & quomò.

c. uid. Cælium calcaGninum libello de collectaneis uetuſtatis.
d. libro. 4. capit. ulti.

tusque in ærarios ut mos est. * Diuina me hercle censura, lexq; hæc in equorum tutelam fuit. Postquam igitur de hominum medicina perscripsero, certum mihi est, de brutorum, & præcipuè equorum, ac nonnihil quoque de accipitrum, canumque morbis, ac remediis (quibus teipsum Excellentissime Princeps delectari scio) totaque demùm particulari medicina pertractare.

De quibus quidem accipitribus etiam nonnihil scribere, atque eorum curationem docere, pariter minimè uile fuerit: utpote cum horum nobilitas, excellentiaque tanta sit: ut non modò in Regis, Imperatoris'ue, aut cuiuslibet etiam Summi Pontificis, & Cardinalium pugno, noctu, atque interdiù residere soleant, sed Dijs quoque dicati sint. Id quod in maximum eorum animalium honorem non solum Poetæ effinxerunt: sed ueteres quoque Gentiles obseruarunt. Varium enim, & multiplex cum sit Accipitrum genus, qui quidem Perdicoteros nuncupatur, Apollinis minister esse dicitur. (Quamobrem sacrilegum Medicum Aelianus ait *e*, Delphis, cum in eum incurrisset Accipiter, eius caput conuellens, indicauit) Ossifragam uocatum, & Harpam Mineruæ attribuunt. Columbarium Mercurio dicuut sacrum, Iunoni Tanysipteron, Buteonem Dianæ, Matri Deorum Morphnon. Item alios aliis Diis consecratos esse Accipitres, Historiographi testes sunt. Quanquam Aegyptij (uel eodem Aeliano authore *f*) totum Accipitrum genus Apollini consecrant, & uenerantur. Oron sua lingua Deum hunc appellant: Auem autem eiusmodi, Thaustum nominant. Cum Apolline idcircò conuenientiam habere aiunt, quòd de auibus soli Accipitres semper nullo negotio aduersos solis radios intuentur: neque intentis oculis sursùm uersùs, iter suscipere grauantur, nec diuina flamma offenduntur. Non tàm immanes autem beluæ existunt, quin liberaliter acceptæ, (eiusdem Aeliani testimonio *g*) beneficiorum acceptorum memoriam studiosè, diligenterq; seruent, gratissimæq; nonnunquam sint. Nam eas in eos ipsos, a quibus beneficium acceperint, uehementer gratas esse (omissis Leonibus, alijsque multis animalibus) præ cæteris testimonium perhibet Accipitrum genus, quod escæ illecebris capitur, ijsdemq; mansuefactum posteà nunquam abscedit ab eo, quem experitur in se benignum. Homo autem & rationis particeps, & munere prudentiæ ornatus, tum etiam, quod uel rubor ipse uultus repentè factus facillimè indicat, uerecundia præditus, qui modò amicus erat, nunc repentè hostis, uel leuissimis de causis, grauissimus fit, & quæ illi credita sunt, uel tenuissima suspitione iniecta, euomit. Intereà Accipiter quòad uiuit, cùm apud Aegy-

De Accipitribus. 1 2

e. lib. de histo. animalium. 14. ca. 15.

f. cap. 17. eiusdem.

g. Ibidem cap. 16.

tios egregiè charus Deo esse existimatur, tùm post excessum è uita, futura ostendere, ab eodemque Somniorum significationes proficisci, atque apud eosdem populos tripoda accipitris aliquando fuisse. Vnde oracula consulentibus, diuino instinctu afflata funderentur. Non igitur mirum est, si os tibiæ illorum, quùm ad aurum admoueatur (ut Idem quoque Aelianus ait *h*) sic ipsum illecebra quadam mirabili ad se allicit, quemadmodum Heracleotem lapidem sua ui prædicant, quasi præstigiis, & captionibus, ferrum ad se trahere. Quid quòd fædus etiam cum homine recipiunt? ut enim inquit Aristoteles *i*, ac post eum quoque Plinius *k*, in Thraciæ parte, quæ olim Cedropolis uocabatur, homines societate accipitrum per paludes aucupantur. Cum enim ipsi lignis, quæ tenent, arundines, & fruteta mouerunt, quo aues euolarent, Accipitres desuper insectantur: Quorum metu aues perculsæ terram repetunt: Mox homines percutiunt baculis, itaque capiunt. Tùm partem earum, quas cæperint auium, accipitribus impartiuntur. Quinetiam apud Mæotidem paludem, lupos esse piscatorum familiares aiunt, & nisi partem suam à piscatoribus acceperint,

h. Ibidem. capit. 16. in fine.

3

i. lib. 9. de hist. animalium cap. 36.

k. lib. 10. cap. 8.

4 retia quùm in terra expansa resiccatur, lacerare. Ratio auium talis est. Accipitris autem Natura tota sanguine, & spiritu constat, hominis misericordia mouetur, eidemque iacenti mortuo ingemiscit, illiusque oculos terra obtegit. Neque si unus tantùm homo aquam in sulcum deriuet, aquam ille gustat, quòd sanè existimet illi unico homini incommodare, sua nimirùm potione aquam ex illius usu auferens. Sin plures homines irrigant, uidens affluentis aquæ copiam, uelut ab eis

5 inuitatus, libenter bibit. Quòd si accipitris fortitudinem, atque animum miremur, non modò contra Vultures, sed Aquilam quoque ipsam uolucrum Reginam, audacter, & intrepidè pugnat, ad uictoriam usque. Quasobres ueluti Rex Pyrrhus (Authore Plutarcho *l*) Aquilam: Ita Rex Antiochus Accipitrem potiùs sese appellari non temere gaudebant. Quis igitur Accipitris excellentiam, nobilitatemq; perpendens, eius curationem, atque usum negligeret, uilemq; reputaret?

l. lib. de animalium industria, post med.

De canibus.

Sed fortè dicet quispiam, nobiles esse accipitres, & equos. Verùm de canibus aliter dicendum, quorum uilitatem unusquisq; ostendit, dum peiorem iniuriam contra seruos, siue Mauros, siue Turcas dicere non potest, quàm canes illos nuncupando. Quocircà uilissimum esse uidetur eorum curationi Philosophum Medicum intendere. Nos autem imprimis cum Cicerone *m* dicamus. Canum tàm fida custodia, tamq; amans dominorum adulatio, tantumq; odium in externos, & tàm incredibilis ad inuestigandum sagacitas narium, tan-

m. 2. lib. de natura Deorum uersus finem.

ta alacritas in uenando, quid significat aliud, nisi se ad hominum commoditates esse generatos? Canum igitur tam fida custodia omnibus in propatulo est. Nos tamen aliqua exempla subiungemus, quorum primum ex Aeliano sic scribente *n* didicimus * Romæ bello quodam ciuili, Caluus Romanus cùm necatus esset, huius uiri caput ex hostibus nemo abscindere poterat: cùm tamen summa contentione sexcenti certarent, & facinus istud consciscere pulchrum ducerent, priùs quàm canem, quem is aluisset, interfecissent, ei assidentem, & beneuolentiam erga illum ipsum fidissimè, & amantissimè seruantē. proq; eodem humi strato, & qui iam extremum spiritum effudisset, sic propugnantem, tanquàm uirum commilitonem, & contubernalem bonum, & ad extremum amicitiæ obseruantem. Iam fortiter & præclarè factum, quod non uir, sed profectò canis cùm bonitate eximia, tum robore animi septus fecit, meritò narrandum est. Pyrrhus Epirota cum iter faceret, fortuitò incidit in canem cadaueri domini sui adiacentem, & illud ipsum cum summa diligentia custodientem, ne quis post mortem uiolaret, atq; imminueret. Is autem iam triduum ferens inediam, diligenti custodia illud seruabat. Hoc simulatq; Pyrrhus intellexisset, hunc quidem miseratus sepultura affici iussit: cani uerò plenum cibum ad se amandum allicentem dedit, paulatimq; illum allectans abduxit, atq; adeò attraxit. Sed hæc quidem hactenus. Post paulùm, cum exercitus lustraret Pyrrhus, milites q; recenseret, & uerè canis adesset, is non mansuetus solùm, uerùm cætera quàm tacitus erat. Vt uerò in recensione militum, interfectores domini animaduertisset, tum non se continuit, quin uasto latratu in eos se rumperet, atq; dentibus laniaret, simul se ad Pyrrhum conuertens, quòad poterat, testem in hanc rem citabat, quòd homicidas teneret. Latratum religioni habuit Pyrrhus, eiq; in suspitionem, & circunstantibus hi uenerunt de uiri morte. Itaq; quæstione adhibita, ea, quorum accusarentur, confessi sunt. Non ita homines amicitiarum cultores, qui omni sodalitatum sanctitate spreta, amicos suos cum uiuos, tum mortuos produnt. Quid commemorem qualia facinora contra amicos de retinendo lucro admittant? Quot insidias faciant? quas proditiones moliantur? ut profectò uehementer doleam hominibus fideliorem, & amantiorem canem inueniri. * Hæc Aelianus. Quod canis gestum Plinius paucioribus circunscripsit *o*, Per hæc uerba. * Ab alio in Epiro agnitum in conuentu percussorem Domini, laniatu, latratu, adactum, ut cogeretur fateri scelus. * Sed aliud canum fidæ custodiæ exemplum ab Aeliano intelligamus, quum sic perbellè ait.

canum custodiæ exempla. *n* *lib. 3. ca. 10.*

Nota.

o. libro. 8. capi. 40. circa prin.

p * De

p * De mulo ſupra ætatem ſuam laborioſo ſimul, & de cibo publico ei ab Athenienſibus decreto cum Ariſtoteles *q* meminit, tum uerò nos quodam loco *r* commeminimus. Quòd canis uigilanter quoq;, & fortiter, non modò piè, & humaniter Athenis fecit. non alienum eſt conſuetudine noſtra, inſtitutoq; opere declarare. Sacrilegus primùm obſeruato tempore intempeſto, cum dormientes arctiſsimus ſomnus complexus eſſet, de multa nocte intra Aeſculapij templum ingreſſus eſt. Deindè ut permulta donaria ex æde ſurripuiſſet, re iam, ut putabat, confecta, diſceſſum parabat. Excubitor autem canis (Capparus nomine) intùs aduigilans ad templi cuſtodiam, æditimis, qui noctu ad ſacras ædes uigilias agebant, multò uigilantior, expilatorem, diremptoremq; inſequebatur, quàm maxime poſſet expilationem, diremptionemq;, horribili fremitu ſuo, predicans. Fur primum ſaxis lapidatione facta, canem appetebat, deinde ubi is latrare non deſiſteret, illum allicere conabatur, panes, & offas, canum illecebras, obiiciens. Verùm cuſtos incorruptus canis, cum fur uel euaſiſſet in domum ſuam, uel cum inde exiret, ſe illi implacabilem, inexpiabilemq; præbens, furem latrare non deſinebat. Tandem intellectum eſt, ubi canis eſſet, ac ſimul animaduerſum, quæ ornamenta deeſſent: Is ex hac canis uociferatione eſſe, qui tale furtum feciſſet, in Athenienſium ſuſpicionem adductus eſt. Atq; ut uerberibus, & tormentis in eum quæſiuiſſent, totam rem cognouerunt. Itaq; ex lege hic capite damnatus, extremum dedit ſupplicium. Cani uerò cibus publicè præbitus, & publicæ curæ, ut fidus cuſtos habitus eſt, Nempe qui æditimorum nulli inferior uigilantia fuiſſet, fide etiam ſuperior. Tria huiuſmodi exempla etiam Plutarchus refert *ſ*, quibus Quartum quoq; addit, De Heſiodi illius ſapientis uatis cane, qui quidem Ganyctoris Naucletij filios, quorum manibus peremptus uates erat, prodidiſſet, publicaſſetq;. Sed alijs quamplurimis de canum cuſtodia omiſsis exemplis, Illud de uiro Colophonio impreſentiarum adduxiſſe, ſat ſit. Is (ut idem Aelianus ait *t*) ad nundinas proficiſcens, uti quædam ibi emeret, (nam eius in mercaturis faciendis uerſabatur induſtria) pecuniã, ſeruum, & canem ſecum accepit. Ac quidem ſeruus, qui eam ipſam pecuniam ferebat, quùm uiæ aliquantulùm proceſsiſſent, ad deijciendam aluum ex inſtituto itinere diuertit, quem ſecutus eſt canis. Is poſtquàm neceſsitati dediſſet operam, è terra marſupium tollere oblitus, diſceſsit. At uerò canis ibi remanſit marſupio incubans. Deindè ſimul ut ad Emporium dominus, & ſeruus ueniſſent, re infecta, cùm nummi eis abeſſent ad emendum, eadem uia, qua profecti fuiſſent, reuerterunt:

p. libro. 3. cap. 12.
q. libro de hiſt. animalium 6. cap. 24. & Plutarchus lib. de animalium indu. r. lib. 5. cap. 25.
ſ. lib. de animalium induſt. ante medium.
t. libro 3. cap. 14.

uerterunt: atq; cùm eò uenissent unde priùs ille diuertisset, de recta uia ab itinere suscepto deflexerunt, eodem, ubi sanè nummos seruus reliquisset. Vbi canem marsupio incubantem, præ fame uix spirantem offendunt. Qui uix dùm dominum, & conseruum suum uiderat, a marsupio se remouens, uno, & eodem tempore, & custodia, & uita excessit. O miram igitur, ac fidissimam canis custodiam, quam non nisi cum uita dimittere noluit. Inquit autem Cicero *u* * Tamq; amans dominorum adulatio * Soli enim canes (Plinio *x* etiam docente) dominum nouere, & ignotum quoq; si repente ueniat, intelligunt: soli nomina sua, soli uocem domesticam agnoscunt: Itinera quanuis longa meminere. Nec ulli, præter hominem, memoria maior. Plurima uerò exempla sunt beneuolentiæ, amorisq; canum erga dominos suos. In primis enim contemplemur, quòd Garamantum Regem canes ducenti ab exilio reduxere, præliantes contra resistentes, propter bella Colophonij. Itemq; Castabalenses cohortes canum habuere. Eæ primæ dimicabant in acie, nunquam detrectantes. Hæc erant fidissima auxilia, nec stipendiorum indiga. Canes defenderunt Cimbros, cæsis dominis, eorum plaustris impositi. Canis Iasone Lycio interfecto, cibum capere noluit, inediaq; consumptus est. Is uerò cui nomen Hyrcani, reddidit Durides, accenso Regis Lysimachi rogo, iniecit se flammæ, cùm se seruare quiret: non inuitus enim eadem, qua suus morte dominus, defungi uoluit. Similiterq; Hieronis Regis Canis. Nec secùs etiam Herigonæ canis suæ dominæ sepultura affectæ immortuus est. Ille uerò Gelonis Tyramni *y*, non à sepulchro domini sui, nec ui, nec ullis blandimentis abscessit. Itemq; Dario, qui extremus regnauit apud Persas, in ea pugna, quam contra Alexandrum suscepit, & commisit, cum à Besso, & Nabarzane multis uulneribus confossus esset, & iaceret stratus, omnibus mortuum relinquentibus, canis ab eo educatus solus permansit fidelis, eumq; tametsi non amplius suum altorem, sicut tamen adhùc uiuentem seruauit. Cum Hircanis prætereà *z*, & Magnesijs canes quasi societatem bellorum gerendorum inire solebant: hisq; maximo ad bella inferenda adiumento erant. In pugna apud Marathonem commissa, cuiuspiam Atheniensis canis summa contentione illi tulit auxilium, ac simul ex ea actione uterq; in uariis scriptionibus, honoris memoriam consecutus est.

u. ubi supra l. 2. de natura deor.
x. libro 8. cap. 42.
Exem. 1.
Canis amor erga dominos suos.
2
3
4
5
6
7
y. Ex Ael. lib. 3. c. 6.
8
9
z. ex eodem cap. 17.
10

Hoc sanè admirabilis canum amoris exuperantiam declarat. Cùm Polus, cuius, dum uiueret, munus erat tragædias agere, animã quoq; egisset, & antiquo more cremaretur, canis eius alumnus, in medios 11

rogos

rogos sese immittens, uiuus unà cum altore suo exustus est. Rogo
12 etiam eodem, in quem Mentor impositus fuisset, huius canes uoluntariam mortem sibi consciuerunt.

13 Vt uero Theodorum salutatorem sui propinqui in sepulchrum imposuissent, eius melitensis catellus ultrò se ipsum in cadaueris tumulum inijciens, pariter cum domino, humatione, & sepultura affici uoluit.

14 Quid etiam de Eupolidis Poetæ comici cane dicemus *a* ? qui quidem cùm aliquando seruus nomine Ephialtes dramata quædam Eupolidis domini sui surriperet, Tùm non latuit canem furax seruus. Is itaq; acerrimo impetu, crudeliq; incurrit in hunc diremptorem, mordicusq; comprehendens interfecit. Post autem aliquantò in Aegina Eupolis excessit è uita, ibiq; eius corpus ad sepulturam datum fuit. Huius uerò canis morti illius ingemiscens, non tantùm ululatu primo illius excessum è uita luxit, sed deinde mærore, inediaq; extabuit, in odiumq; uitæ adductus, ex altoris sui morte extinctus est. Ex
15 eo locus hic, ad huius casus, memoriam conseruandam * Canis luctus * appellatur. At Nicias quispiam *b* ex uenatoribus, cùm de improuiso in carbonariam quandam fornacem lapsus fuisset, canes, qui cum eo erant, hoc intuentes, non illhinc discesserunt, sed primò circa caminum ingemiscentes, & ululantes commorabantur: Tandem prætereuntes leuiter, & sensim morsu uestium attrahebant, ad id, quod accidisset, tanquàm auxiliatores domino suo implorantes homines. Vnus igitur uidens hoc idem, suspicatus est id, quod erat, & secutus est, inuenitq; Niciam in fornace deflagratum, ex reliquijs coniectauit rem ipsam. Sed ne in nimis prolixum, tædiosumq; sermonem de canibus protrahamur, alijs omnibus omissis exemplis, illud super
16 omnia, quod in Plinij *c* æuo Romæ actum, maxima dignum est admiratione. Cuiusdam enim canem ait nec a carcere abigi potuisse, nec à corpore mortuo domini sui recessisse, abiecto in gradibus Gemonijs, mæstos ædentem ululatus, magna Populi Romani corona circumstante. Ex qua cùm quidam ei cibum obiecisset, ad os defuncti tulisse. Innatauit idem in Tyberim cadauere abiecto, sustentare conatus: Effusa multitudine ad spectandum animalis fidem. Sed omissa interim canum dialectica, sapientiaq; tantoperè, ac perbellè à Plutarcho *d*, ipsoque etiam Aeliano *e* descripta, canis fidem, quam uenatoribus in uenando seruat, ex ipsius met Aeliani *f* uerbis describamus. Omnis enim Canis venaticus ex eo, quòd cæperit feram, non mediocri uoluptate afficitur, & tanquam præmio, si dominus ei permittat, sic ea capta

a. ex eodem cap. 20.

b. ex eodem cap. 28.

c. ut idem Plinius ait libro. 8. cap. 40.

Canis dialectica.

d. libro de animalium prudentia, siue industr. ante me-

pta vtitur: Siquidem non conceditur, bestiam seruat, quòad uenator aduentarit, de totaque captura pro suo arbitratu statuerit. Quòd si mortuo vel apro, vel ceruo inciderit, non attingit quidem. Nec enim alienis se laboribus adscribit, nec quæ ad se non pertineant, sibi assumit. Ex quo apparet æmulationum uirtutis Natura eum non expertem esse. Nec enim carnes quærere, sed uictoriam amare uidetur. Nec iam alienum est explicare quid vsu venandi peritus canis agat, in eo ipso temporis articulo, quùm uenatur, longo venatoris vinculo alligatus. Antecedit enim & silentio odoratur simul, & quamdiù nulla ei præda occurrit, ante venatorem præcurrit, quia suo sensu narium acerrimo, ad sensum venationis percipiendum gabilior existat, atque alacribus, & promptis ad inuestigandum naribus magnos venandi processus efficiens uenatorem ad pergendum ire vlteriùs attrahit, & allicit. Si uero uestigia deprehenderit, & quodam bestiæ sensu afficiatur, hic se subitò retinens, sistit pedem, & quod venationis prouentus propè sit, gaudio perfusus, venatori blanditur. Eò ille cùm proximè accessit, eius osculatione pedum, & complexu, inuitat ad prædam, ac simul ad institutam venationem incumbere perseuerat, & pedetentim usq; eò procedit, quòad ad cubilis locum peruenerit: quem ultrà non progreditur. Quo animaduerso canis Dux, propria venatorum significatione, prædam adesse his, qui retia ferunt, denuntiat. Hi autem retia circuniiciunt. Canis intelligens uoce opus esse, ad excitãdum feram, latrat, ut ex fuga in casses incidens comprehendatur. Ex hac porrò capta canis, quemadmodum viri, qui ex pugna victoriam retulerint, sic exultat lætitia, triumphat gaudio, & quasi vitulatur. Hæc de captis apris, & ceruis agunt canes. Quid denique pro canam encomio celebrandum restat, nisi quòd Natio Aethiopum *g* est, quæ canem, & habet Regem suum, & illius etiam appetitui paret? Si adulatur, eum non iratum esse credunt: Si latrat, iram agnoscunt: tùm etiam vellicationes, ululatus, discursus coniectantes, ei obtemperant. Alibiq; *h* rursùs. Eos Aegyptij venerantur, ex eoque legem quampiam vocitarunt. Cur id faciant, duplicem causam afferunt: idest, Alteram quòd cùm Isis usquequaq; Osyrim quæreret, canes præcurrentes partim unà cum ipsa puerum inuestigare conarentur, partim feras reprimerent. 2. Alteram quod cum stella canis (quem Orionis fuisse fama celebratum est) exoritur, tùm cum ipso pariter Nilus sese attollens, irrigationem in terram Aegyptum inuehit, in agrosq; redundat. Quamobrem canem ut fertilis aquæ conciliatorem Aegyptij uenerantur. Sed tempus est, vt receptui canamus, Plinij *i* scientiam celebrantes, quùm ait

Margin notes: *dium.* — *e. libro. 5. cap. 8.* — *f. ibidem. cap. 16.* — Canis fides. — 2 — 1. Canũ dignitas. — *g. ex eod. Aeliano, 2. lib. 3. ca. 17. in fine.* — *h. ibidem. cap. 21.*

i.libro.8. cap.40.in principio.

* Fidelissimi ante omnia homini canes, & equi. * Itaque condecens est,atq; honestissimum tàm canum, quàm equorum,& (vt anteà ostendimus)ipsorum etiam accipitrum curam omnem,ac diligentiam compensando,retaliandoque habere. Quas obres ut hi stupescant ,& tanquam omninò rudes derideantur,qui quidem postica sanna subridere nos ausi sunt, Brutorum medicinam ab hominum medicina formaliter,præter omnem rationem distinguentes,impræsentiarum disputationem hanc aggredimur. Nil profectò Veterinariorum , brutorum'ue quorumcumque curandorum artem , medicinam'ue ab hominum sanandorum medicina formaliter differre,concludentes: Sed eandem prorsùs artem esse,eandemque scientiam,iisdem regulis,canonibus'ue,ac methodis omninò innixam,fabricatamque. Quinimmò uelut qui hominum curatores Medici sunt,Ita & qui bestias, bruta'ue, quæcunque sint, medicari uolunt, eadem penitùs ratione , tanquàm verè hos sicuti & illos, Medicos,artificesq; sanitatem intendentes, examinandos fore, nisiq; Doctores, & à publicis Collegiis dignè approbati sint,à Protomedico, tanquàm superiore, primoq; magistro noscendos,examinandosque,& ubi contrauenerint, puniendos uenire, siquidem Medicos sese esse profitentes, lucrum inde reportare desiderant, decretum , compertissimumque habemus. Atque idipsum tunc temporis Drepani cunctis ferè circunstantibus, siue aduenis, siue ciuibus demonstraturos esse,nos quamplurimis rationibus promisimus . Quam quidem sententiam nonnullis rationibus fulcitam cum intellexerint illi cachinnantes Sycophantę,usque adeò perterriti erubuerunt, ut suppresso quamprimum risu pallescerent priùs , deinceps uerò è pallidis rubei euaserint,semetipsos euestigiò retractantes, ueniamque de suo insipido risu petentes.Itaque ut cæteris omnibus,qui de huiusmodi re ambigere possent,satisfieret,quodque tunc temporis diximus, publicum fieret, unde veritas nunquàm anteà ab alio , quem uiderimus , ex proposito disputata, nisi obiter , & ueluti per transennam uix prægustata.posthàc tamen peruestiganda,examinandaque elucescat , hæc scribere decreuimus. Nec alteri, quàm tuo integerrimo, diuinoque potiùs,quàm humano iudicio discutienda, perlustrandaque offerimus. A quo quidem deinceps omnem gratiam, fauoremque expectamus,talem quidem,vt obstrigilatores omnes,ac Philippomastiges floccipendamus.Siquidem igitur non mussitanti, caputque concutienti, sed potiùs admiranti,atque inclinato capite comprobanti Excellentiæ tuæ grata hæc fuisse pernouerimus, Ad maiores, altioresque elucubrationes inlucem ædendas, nomineque tuo publicandas

das accingemur. Vale Principum decus, & Philippum tuum in omnibus, perpetuò obnoxium, deditumque, & oblatum priùs, mox uerò deinde disputationem hanc peregrina mente trutinandam suscipe. Quam sic exordimur.

CAPVT PRIMVM, *In quo Quæstionis Titulus proponitur.*



TRVM veterinaria, seu bestiarum medicina, ad ueram, simpliciterq; dictam medicinam pertineat, seu pars eius sit? An ab ea, quæ hominum sanitatem respicit, intenditque, hæc diuersa formaliter, tanquàm alia scientia, uel ars existat? An potiùs formaliter eadem sola differens materia? Ac per hoc utrum veterinarij Medici, uulgò nuncupati Maniscalchi à Protomedico, tanquàm Medicorum primo Rectore, examinandi, cognoscendique, ac inde comprobandi, vel reprobandi ueniant: & nonnunquàm Protomedicalibus constitutionibus contrauenientes ab eodem, tanquàm suo superiore puniendi sint? An alium potiùs superiorem, artisque suæ primum, siue (vt dicunt) caput magistrum habent, ad quem recurrere debeant?

CAPVT SECVNDVM, *In quo Argumenta veritati opposita adducuntur.*



IDETVR enim quod non: scilicet quod Veterinaria ars, medicina propriè non sit: ac per hoc neque ipsi Protomedico nuncupato subiecta, pluribus rationibus.

Primò quia Princeps Arabum inquit k * Medicina est scientia, qua humani corporis dispositiones noscuntur. &c. * In definitione igitur medicinæ, humanum corpus tanquàm materiale subiectum includitur, non bestiæ, seu bestiarum corpus. Medicinæ ergo definitio veterinariæ arti minimè congruit. Cuicunq; autem non conuenit definitio, eidem non conuenit definiti nomen: Igitur veterinaria non est medicina, quia per eam non humani corporis dispositiones, sed bestiarum cognoscuntur, atque curantur, siue conseruantur.

Arg. pri. *K. Prima primi doc. prima cap. primo in principio.*

Secundò idem patet, quoniam non modò apud Auicennam Arabum *Secundū*

bum medicorum Principem, ſed apud ipſum quoque Galenum, omneſq; alios Medicos, & Philoſophos dicitur quòd Medicinæ genus eſt ſcientia. Definiunt enim medicinam, ſcientiam eſſe dicentes. Quamobrem & libellum quendam compoſuit Galenus, cui titulus eſt * Quòd optimum Medicum, optimum quoque Philoſophum eſſe oportet. * Noſq; plures etiam ſcientias Medico ad perfectionem eſſe neceſſaria, tam Phyſico uocato, quàm Chirurgo, uberrimè, in ſecundo noſtræ Iatrapologiæ libro *l* demonſtrauimus, Philoſophiæq; Naturali ſubalternatam eſſe medicinam ibidem oſtendimus *m*. Sed eas quidem ſcientias Veterinariis, Maniſcalchiſ'ue nuncupatis minimè neceſſarias eſſe, compertisſimum unicuique eſt. Omnes enim quotquot huiuſmodi artem exercent, ignari ſunt, & legere, uel ſcribere plurimi neſciunt. Attamen rectè operari uidentur, optimeque lucrantur. Quod ſi tamen eorum ars ſcientia eſſet, totq;, ac tantis diſciplinis indigeret, neſcirent illi curare, uixque prædicta animalia cognoſcerent. Prorsùs ergo deriderentur, & nihil unquàm lucrarentur, neque boni quidquam efficerent.

l. cap. 7.
m. cap. 6.

Tertium. Tertio per Galenum præterea comprobatur: qùum Hippocratis primum aphoriſmum interpretatur, dicentis *n* * Vita breuis, Ars uerò longa, occaſio præceps, experimentum periculoſum. &c. * Inquit enim Galenus ideò periculoſum eſſe experimentum propter materiæ, ſiue ſubiecti nobilitatem, ſeu dignitatem. Rursusque inferiùs exponit * Neque enim lateres, ligna, lutum. &c. * Ac demum ita concludit * In corpore autem humano illa experiri, quæ non ſunt experientia comprobata, non eſt citrà periculum. Cum mala experientia ad totius animalis interitum terminetur. * Ecce igitur quod de humano corpore, non de brutis intellexit, periculoſum eſſe in illo experimentum aſſerens, propter materiæ, ſiue ſubiecti dignitatem, Nil de beſtiis ibi quoquo pacto ſubintelligens.

n. primi aphoriſ. primo.

Quartũ. Quartò idem probatur ex communi omnium Galeni expoſitorum conſenſu, quùm ipſius definitionem de medicina datam ab omnibus calumnijs liberare, atque defendere conantur. Quando ſcilicet in primo artis medicinalis ait *o* * Medicina eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum. * Ad argumentum enim fieri ſolitum, quòd prædicta medicinæ definitio diminuta, imperfectaq; ſit: quia non poſuit differentiam medicinæ a Mulomedicina, ſeu veterinaria, medicina'ue beſtiarum, & Paſtorali. &c. Reſpondent omnes, dicentes, in ea definitione ſubintelligi, humanum, ſicut etiam ſubintelligitur corpus, cauſa, & ſignum, hoc modo * Medicina eſt ſcientia ſalubrium,

o. tex. 7.

lubrium, insalubrium, & neutrorum. * Scilicet corporum, causarum, & signorum. Corporum inquam humanorum. &c. Quamobrem una cum Drusiano Arabicam interpretationem commendant, quam habebat Haly, quæ sic dicit * Medicina est scientia rerum »
pertinentium, continuatarum cum sanitate, & ægritudine, & cum di »
spositione, in qua non euadit homini sanitas, neq; ægritudo. &c. »
* Ecce igitur quòd ad hominis dispositiones definitio medicinæ a Galeno, siue potiùs ante ipsum ab Herophylo asignata, referenda, ex communi omnium expositorum consensu est, & non ad dispositiones bestiarum.

Quintò idem per eundem Haly Rhodoan p comprobatur. Qui quidem distinctè, tanquàm de scientijs, seu artibus diuersis loquitur, sic dicens. * Nam scientia harum rerum (scilicet pertinentium, & continuatarum) est genus omnium artium factarum à principijs sumptis ex scientia naturali: sicut agricultura, & curatio bestiarum, & pastoralis scientia animalium, & medicina. * Ecce igitur, quòd cum quattuor artes, scientias'ue enumerarit, quæ à naturali philosophia descendunt, illiq; subalternantur, secundo loco curationem bestiarum, quarto autem loco seorsùm medicinam (scilicet hominum) tanquàm ab alijs & ipsa etiã bestiarum curatione diuersam enumerauit, Differẽtiamq; posteà subiungit in ea dictione consistere, Videlicet * Homini. * Sic enim subdit. * Et differentia eius est, sermo »
eius cum sanitate, & ægritudine, & cum dispositione, in qua non eua »
dit homini sanitas, nec ægritudo. Hæc enim differentia discernit es- »
sentialiter artem medicinæ ab omnibus artibus factis à principiis »
sumptis ex scientia Naturali. * Medicina igitur hominum, quanuis »
cum medicina bestiarum communicet, quoad sanitatem, ægritudinemq;, ac neutralitatem, circa quæ ab alijs duabus artibus ambæ differunt: A seinuicem tamen discrepant, per nomen hominis, cum dicebatur * In qua non euadit homini sanitas. &c. * Altera enim hominis, Altera uerò bestiarum dispositiones considerat. Non igitur eadem ars est.

Quinto p. primo artis medicinalis rom. primo circa principia.

Sextò idipsum quoq; roboratur ex eo, quoniam Hippocrates, Galenus, & omnes deinceps medicinæ scriptores, tàm Græci, quàm Latini, aut Arabes, quicunq; sint, in suis libris, quos de medicina scripserunt, non aliud animal, quàm hominem, vt subiectum, intendebant. Hominis enim anatomen, hominisq; duntaxat naturale temperamentum, morbosq;, & curationes, & non bestiarum ubiq; pertractarunt.

Sextum.

Septi-

Septimū Septimoq; demum ſeparandas eſſe has artes tanquam omnino diuerſas,patet:Quoniam abſurdum eſt,nobilem,excellentemq;,& honoratiſsimum Medicum, ac Philoſophum equos, accipitres, aut canes ſiue Aſinos, aut uiliores beſtias curare. Quinimmò ſi beſtiarum curatores, quicunq; ſint, quadantenùs docti eſſe inceperint,ſtatim beſtias negligerent. Sicq; nullus eſſet aliquo modo litteratus,qui beſtias curare dignaretur. Separandi igitur abinuicem hi duo artifices, tanquàm diuerſi ſunt.Idcircò ex ijs concluditur,cum ueterinaria,ſeu mulomedicina alia quædam ars diſtincta à medicina ſit,quòd Protomedicus ipſe de hominum duntaxat Medicis,& medicina, & his,quæ ad illius medicinam pertinent, pertractare debeat, Medicisq; ſolummodò,Medicorumq; miniſtris dominari, & præeſſe: vt aromatarijs, ſeplaſcariis, herbarijs, uenarum inciſoribus, atq; huiuſmodi cæteris ad hominum medicinam pertinentia tractantibus, non autem ueterinarijs, ſeu mulomedicis, aut Maniſcalchis uulgò nuncupatis, tanquam uiliſsimam artem pertractantibus.

Confirmatio. Quamobrem priores omnes, ad noſtrum æuum uſq;, Protomedici,ueterinarios medicos,ſiue dictos Maniſcalchos,recognoſcere noluerunt, uel ſaltem minimè curarunt: ut quos ſibi ſubiectos eſſe non cognouerunt.

CAPVT TERTIVM, In quo veritas ipſa pauciſſimis determinatur, Quoniam ſcilicet beſtiarum, hominumq; medicina eadem penitùs ars, ſcientiaue ſit.



IN oppoſitum ipſa ueritas eſt:quoniam ſcilicet ueterinaria non ſolum pars eſt medicinæ,ſed tota eadem ipſamet medicina formaliter exiſtit,Phyſiologicam partem habens, (Phyſiologica.) quæ de brutorum curandorum (ueluti & altera hominum) naturis, ac temperamentis,elementis,humoribus,membris,ſpiritibusq;, ac uirtutibus cum operationibus ſuis,ac per hoc de ipſa etiã (Aetiolo. Patholo.) anatomia pertractat:Itemq; Aetiologicam,ſeu Pathologicam,quæ de (Simioti.) brutorum quoq; morbis,& cauſis,ac Symptomatibus loquitur. Adhùc partem habet Simioticam,quæ ſigna omnia demonſtratiua,Prognoſtica, & rememoratiua perpendit. Præter quas rurſùs partem habet Sa- (Salubris.) lubrem, quæ ipſorum brutorum conſeruationem, & à morbo conualeſcentiam, reſumptionemq; edocet (Analepticen vocant) & ne in morbum cadant, præſeruationem, quam Prophylacticen appellant.

Deniq;

Deniq; Terapeuticam obtinuit Veterinaria partem, quæ ægrotantes bestias curet, siue in simplicium membrorum temperaturis, siue in organicorum compositionibus, formatione inquam, hoc est, figura, superficie aspera, uel leni, meatibus & receptaculis. Itemq; magnitudine, numero, ac situ, seu demum in natura communi, hoc est, unitate, uel contiguitate ægrotarint. Hancq; curationem non ab aliis instrumentis exequitur, quàm Diætetica, Pharmaceutica, & Chirurgica, Terapeuticæ partibus. Bestiarum igitur non secùs ac hominum medicina quinq; ex prædictis partibus constat, Videlicet Physiologica, Aetiologica, Simiotica, Salubri, & Terapeutica, omniumq; harum partium disciplina eadem, idemq; modus, ac eadem tandem methodus, & eidem omnes eiusmodi partes philosophiæ naturali subalternatæ sunt, siue homines, siue bestias respiciant. Terapeu.

CAPVT QVARTVM In quo Terapeuticæ partes, quòad Diæteticam, Pharmaceuticam, & Chirurgicam, in bestijs, velut in homine, similiter se habere, suis exemplis ostenditur. De quibus iterùm Capite 8.



SED Terapeuticæ partes, instrumenta'ue quibusdam exemplis ostendamus. Bestijs igitur, quùm eas curare intendunt Medici, rationem uictus, diætam'ue, non secùs ac homini conuenientem præcipiunt: In aere, cibo & potu, motu & quiete, somno & uigilia, inanitione & repletione, animiq; accidentibus, ipsaq; demùm Venere (siue hanc inter animi accidentia, siue inter inanitiones & repletiones connumerare velis) in quibus quidem omnibus his sex rebus non naturalibus prædictis, quantitatem, & qualitatem, & tempus, siue modum, similiter bestiis, atque hominibus Medici præcipiunt, pro alterutrius diuersitate, in natura, morbis'ue, aut symptomatibus, siue causis: & (ut summatim diximus) iuxta naturalium, siue præternaturalium rerum diuersitatem. Quæ quidem omnia si minutim, ac sigillatim enucleare uelimus, in nimis prolixum, ac tædiosum noster sermo protenderet. Sat enim superque fuerit impræsentiarum omnium methodorum capita prælibare, è quibus docti viri reliqua considerare queant. Sed omissis quoq; aliis rebus non naturalibus, de cibo & potu nonnihil attingere sufficiat. Haud enim obstat, quod homini panem, oua, pisces, & carnes, ac uinum, & cibos denique multos, ac potus concedimus diuersos, Be- stiis

Terapeuticæ partes Diæteti.

Obiectionis solu.

ſtiis uerò quibuſdam paleam, hordeum, uariasque herbas, aut fruꝰ tices, ueluti & carnes crudas, pluraque alia, quibus uesci homines nequeunt, aut ipſorum Naturæ minimè congruunt. Quodlibet enim animal ſuum debitum, & proportionatum cibum requirit, iuxta uariam illorum Naturam. Alium igitur cibum equis, mulis'ue aut Aſinis, aliumq; Canibus, aut accipitribus, alium quoq; Bobus, aut Capris, ſiue ouibus, Alium deniq; ſuibus, cæterisq; animalibus congruum eſſe nouimus, præbereq; nos illis debemus. Nulla tamen alia ſcientia, uel ars diſtinguere cuncta hæc habet, quàm ipſa medicina, eadem in hominibus, & brutis. Cuius ſcopus, formaleq; ſubiectum, ſiue obiectum, Sanitas eſt, finisq;, Sanitatis poſſeſsio. Cuius quoq; munus eſt, animalium omnium (quorum ſanitatem poſsidere, ſeu recuperare, aut conſeruare uoluerit) diuerſas naturas temperamentaq; uniuerſalia, & particularia conſiderare, atq; omnia deinceps, quæ ſiue ſecundum Naturam, ſiue præternaturam ſunt, perpendere: ut habita ſanitas conſeruetur, & amiſſa recuperetur. Quam porrò ciborum, potuumq; diuerſitatem, non inter diuerſas modò animalium ſpecies medicina conſiderat, ſed in eadem quoq; hominum ſpecie, inter diuerſas hominum Naturas, ac temperamenta, proprias'ue, ac indiuiduales conditiones. Alium enim cibum ruſticis, Alium nobilibus, delicatioribusq, Alium prætereà, ac diuerſum Germanis, aut Hiſpanis, Mauris'ue, aut Turcis, Maſculis, aut Fæminis, pueris aut ſenibus, ſiue iuuenibus, ac demùm diuerſos cibos, & potus, pro uario anni tempore, cæli ſtatu, regione, conſuetudine, uitæ induſtria ſiue ſtudio, aut exercitio, uictu'ue præcedente, ſexuq;, uel ætate. Sicq; pro uarijs morbis, morborum'ue cauſis, aut Symptomatibus ordinamus, præcipimusq;, ſiue hominem, ſiue beſtiam quamlibet curare aggrediamur. Communiter igitur non in diuerſis modò beſtijs, diuerſis'ue animalium ſpeciebus, ſed in hominum quoq; diuerſis Naturis diuerſos quoq; cibos, aut potus præcipimus. Sicq; pro uarijs ſiue naturis, ſiue conſuetudinibus, atq; omnibus prædictis concurrentibus ſcopis, pro uarijs item morbis, aut cauſis morborum, aut ſymptomatibus, uarium quoq; aerem, motumq; & quietem, ſomnum & vigiliam, inanitionem & repletionem, & animi etiam accidentia ordinamus. Et breuiter omnes ſcopos quilibet perpendat, omnesq; methodos ſigillatim ueſtiget, quibus medicinæ ars uictus rationem hominibus præcipit: ijſdem profectò, & non aliis cuilibet bruto animali tàm ſecundum ſpeciem, quàm ſecundum quodlibet indiuiduum, uictus rationem ordinat, atq; edocet.

Sic Pharmaceuticam partem discurras: Inuenies enim Rhabarbarum, Agaricum, Scammonium, Turpetum, Helleborum, Colocyntidem, Aloen, omniaque alia simplicia. Quorum notitiam habere Medicos omnes necesse est, veterinarios quoque usurpare. Ita & syrupos, electaria, pilulas, clysteria, propotismata, inunctiones, emplastra, fotus, & demum cuncta composita medicamenta, quæ apud seplasearios inueniuntur, bestiis non minùs, quàm hominibus, uniuersalis, communisque Medicina præcipit, ordinatq;: tametsi diuersimodè secundum quantitatem, & vsus modum. Neque aliis tamen intereà, sed iisdem semper Canonibus, eisdemque methodis. Vt scilicet semper pro conseruatione similia, pro curatione contraria exhibeantur. Eademque prorsùs methodo, qua ualidiora, difficilioraque medicamenta, siue exterius admota, siue interiùs propinata rusticis, durioribusque corporibus humanis, quàm delicatioribus ordinat. Equis etiam, quàm hominibus fortiora, validioraque omnia, cunctisque animalibus robustioribus, durioribusque: tenerioribus autem leuiora. Nullus igitur unquam erit, qui methodum aliquam curandi in hominibus inueniet, quam in bestiarum quoque curatione obseruare non debeat: Et econtrà, nullus canon, nullaque methodus curandi bestias inueniri unquã potest, quę in hominibus eadem non obseruetur. Quòd enim aliquod particulare medicamentum vni animali congruit, salusque illi esse potest, homini autem mors, uel ægritudo (ut posteà uidebimus) idipsum non est quidem, aliam inuenisse methodum, sed eandem in omnibus obseruare. Nam aliquod etiam uni homini remedium medicamentum'ue salus aliquando est, quod interim alteri homini mors esse inuenitur. Multi enim ex uini potu ab animi deliquio repentè sub- 1.
leuantur. Econtrà uerò multi sunt, qui uel solo uini odore in syncopen, nedùm animi deliquium incidunt. Aliqui ex rosarum odore sta- 2.
tim recreantur: Aliquos tamen uidimus, qui non odoratis modò ro- 3. 4.
sis, sed duntaxat uisis, animo deficiebant. Innumeraque huiusmodi exempla in medium adducere possem: Verùm sat superque fuerit, unum, aut duo tantùm, pro ueritatis agnitione, referre. Sic igitur & nonnulli Rhabarbaro deuorato statim sanantur: Alii uerò quàmprimùm periclitantur. Nonnulli rursùs sanguine misso, euestigiò robustiores euadunt: Alii in syncopen, uel animi deliquium decidunt. Prout quosdam nouimus, priùs quàm sanguis extrà mittere- 5.
tur, solùm ligato brachio, statim in ueram syncopen cecidisse. Quid igitur mirum est, siquidem uni animali quodpiam medicamentum conferat, quod alteri interim animalis speciei obsit, mortis'ue periculum

Pharmaceutica.

Obiectionis solu.

culum inferat? Cum inter ipsos etiam homines, quod uni salutare præsidium est, alteri nonnunquàm uel mortis, uel morbi causa existat? Nonne eadem semper medendi methodus obseruanda in his casibus est? Vt scilicet pro diuersa animalium Natura, tàm secundum speciem, quàm secundum particularia indiuidua, Itidemq; pro diuersa etiam cuiuslibet hominis Natura, seu temperamento, diuersa quidem exhibeantur præsidia: Robustioribusq; Robustiora, ualidioraq;, Tenerioribus autē, & delicatioribus leuiora: Et pro conseruatione, calidioribus calidiora, frigidioribus frigidiora, & sic de alijs similibus. Pro curatione autem calidioribus frigidiora, & frigidioribus calidiora, & sic de alijs contrariis admoueantur? Ita igitur in medicamentorum siue simplicium, siue compositorum exhibitione, seu applicatione: Bestiarum, sicuti & Hominis, partiumq; illarum, & huius ipsum naturale temperamentum perpendendum est. Prætereà in utrisq; formatio, quæ in cauitate, ac substantia rara, vel densa consistit: Itemq; positus, ne uidelicet in profundo, uel in superficie pars affecta, siue affectio ipsa sit, nec non societas, membrorumq; uirtus, munus'ue, ac sensus, consideranda pro methodis sunt, hoc est, pro medicaminum siue deuorandorum, siue exteriùs admouendorum determinandis qualitate, aut quantitate, aut tempore, modoq; usus: Itemq; pro uacuationis specie constituenda, tàm euacuatiua, quàm reuulsiua, seu deriuatiua. Sed de his hactenùs quòad terapeuticam: Sat enim superq; est, capita quædam in singulis duntaxat prælibare.

Chirurg. Ad chirurrgicam ergo partem transcendamus. Quis enim non uidet, quòd sanguinis missione per uenæ incisionem, cauteriis actualibus, potentialibusq; uocatis, uesicatorijs, scarificationibus, seu scalpellationibus, superfluæ, uel emortuæ carnis, aut membri abscissione, remotioneq;, & combustione, Itemq; perforatione, seu paracentesi (ubi opus fuerit) suturis quoq;, & luxatarum partium repositione, fractarumq; concinna constructione, ac ligatura, & apostematum apertione, Atq; omnibus demum manutigiis, non aliter in Bestiis, quàm in homine ipso Medici utuntur? Nec aliis methodis, uel canonibus, quàm iisdem pro ipso homine scriptis, cunctas huiusmodi manufactas operationes perficiunt? Eadem igitur ars, eademq; re, & nomine medicina, cuius idem scopus, idemq; finis, uidelicet sanitas, sanitatisque possessio existit, ex eisdem partibus omnibus constans, iisdemq; utens instrumentis.

CAPVT QVINTVM. *In quo medicinam hominum à Bestiarum medicina materialiter duntaxat, hoc est, penès materiale subiectum differre, non formaliter, nec penès subiectum formale, declaratur.*



VANQVAM penes materiale subiectum differũt, à quo (ut uidebimus) nobilitatem, aut ignobilitatẽ artifex suscipit: ut nobilior scilicet dignïorque hominum, quàm bestiarum curator Medicus sit. Id quod porrò artis rationem minimè uariat. Quemadmodum neque si quispiam Summos Pontifices, Cardinales, Imperatores, Regesque, ac Principes tantùm curet, non aliter, neque magis Medicus est, neque diuersus artifex dicendus uenit, ab eo, qui uilissimos seruos, ignobilissimosq; homunculos duntaxat medetur. Quanuis proculdubiò Pontificum, & Imperatorum, Illustriumque uirorum Medicus, subiecti (circa quod operatur) ratione, dignior, nobiliorque apud uulgus habeatur. Qui nihilominus siquidem indoctior altero sit, uidelicet seruorum, uiliumq; famulorum curatore, Eò ignobilior, uiliorque, apud bonos Philosophos, dicendus ueniret, quò indoctior, imperfectiorque in arte fuerit. Ab inferiore igitur ad superius consequentia, sine ulla fallacia, ualet, scilicet, Est equorum bestiarumve Medicus siue Manliscalchus, Igitur est Medicus, modò perfectus in arte sit. Quemadmodum quoq; ualet. Est uilissimorum seruorum hominum Medicus, Ergo est Medicus. Quamuis consuetudo sit, quùm simpliciter Medici, aut medicinæ nomen profertur, de nobiliore duntaxat (uti uidebimus) intelligere. Sed hominum nomenclandi, aut loquendi consuetudo rerum quiditates, formalesque rationes minimè permutare potest. Ab eo enim quod res est, uel non est, oratio dicitur uera, uel falsa: Nec propter nostrum affirmare, aut negare, res ipsa sic est, uel non est. Vti ex Philosophi *o* etiam decreto compertissimum omnibus est.

o. in post prædicamentis. ca. de priori, in fine.

CAPVT SEXTVM. *In quo ex Apſyrti, Hieroclis, & ipſius etiam Xenophontis authoritatibus, Beſtiarum curationem, medicinam, ipſosque curatores, Medicos, nuncupari oſtenditur.*



VASOBRES Apſyrtus, quamuis ſæpè Hippiatron, hoc eſt, equorum Medicum, ſiue (ut Valerij Maximi *p* nomine utar) equarium Medicum nominet, Nonnunquam tamen ſimpliciter Iatron, ideſt, Medicum nuncupat. Quemadmodum apud eum legimus, quùm in Veterinariæ libro primo *q*, ſic ait * Apſyrtus Statilio Stephano Medico ſalutem * Rurſusq; libro ſecundo *r* * Apſyrtus Hegeſagoræ optimo Medico ſalutem. * Vel enim hi equorum medicinam profitebantur, uel de ea ſaltem delectabantur. Qui tamen Apſyrtum conſulebant, equorum fortaſsis Naturam illi non adeò callentes. Eadem uerò etiam ratione, huiuſmodi profesſionem, ſimpliciter medicinam appellat. Vt quùm ſic ad Achaium, ſcribebat *s* * Cùm tu medicinæ ſtudioſus ſis, petensque à me an equis optima ſit phlebotomia. &c. * Quaſobres & non temerè idem aliquando equorum medicinam cum hominum medicina confert. Vt quùm de uulnerati abdominis ſutura loquitur *t*. Eandem enim Chirurgiam in equis ordinat, quam in hominibus Medici facere ſolent. Quinimmò ſe eundem & homines etiam, non equos tantùm curaſſe præſefert, cùm de malagmate quodam loquens, in hominibus quoque ſe uſum eo fuiſſe, inquit *u*. Aliudque uersùs libri finem, non equis tantùm, ſed hominibus etiam utile poſuit. Hierocles *x* etiam effatu dignum opus ſe facturum propoſuit, ſiquidem excellentisſimum Medicum Dioclem imitaretur. Vt ſcilicet, quemadmodum ille Antigono Regi, pro tuenda ipſius ualetudine, opuſculum conſcripſit, maximaq; laude dignus eſſet, quicunque ea præcepta obſeruarit: Ita & hic ſe dignum quodpiam quoque opus facturum eſſe cenſuit, de equorum regimine in Vere, quonam pacto agendum ſit, ſcribens: Ex quo, ne in morbos incidant, equi conſeruentur, præſeruenturque. Vbi compertisſimum fit, non homines modò uulgares, idiotasque, ſed Regem quoque ipſum Antigonum equis comparaſſe, quòad ipſam inquàm medicinã, medicinæq; methodos. Vterque enim conſeruandus eſt. Quoniam prout ex eodem Hierocle *y* patet, maximum dat homini ſubſidium equus, non modò ipſum portans,

p. libro. 9. cap. 16.

q. cap. 42.

r. cap. 69.

s. lib. 1. ca. 10. in prin.

t. lib. 2. ca. 71. in prin.

u. lib. 2. ca. 129. circa principia.

x. lib. 2. ca. 98. ante me.

Nota.

y. lib. ſecundo in proœmio, uerſus mediũ.

portans, laboremq; leuans, pulchriorem, & honoratiorem, pompo-
sioremq; reddens, sed in bello etiam, siue inimicos prosequendo, siue
ab eis fugiendo, aut etiam contra eos præliando, ab omnibus pericu-
lis tutum, & sepè uictorem, aut inuictum saltem efficit: ijsdem sem-
per periculis semetipsum exponens. Vt non temerè à priscis, non in-
ludicris modò contentionibus, Olympiacis inquam, Delphicisq;,
sed in bellicis etiam, equi, uelut homines, suæ uictoriæ præmiis dona
rentur, ac sepulchris, statuis, columnis, pyramidibusq; uel ab Impe-
ratoribus honorarentur: quemadmodum anteà in Epistola prædixi-
mus. Itaq; mirum non est, si equarium Medicum, Regio Medico Hie
rocles comparauit. Quasobres & ipse etiam Xenophon, in tractatu,
quem de re equestri composuit, sæpè equum homini, tàm in natura
& morbis, quàm in curatione comparauit.

CAP. SEPT. *In quo animalia bruta, uelut ad medicinæ inuentionem suas partes contulerunt, ita ab homine curationem, ac diligentiam sua medicina mereri, declaratur.*



VINIMMO ut communem appareat esse utilitatem
medicinæ, Deus Optimus Maximus uoluit, ut suas utrun
que animal partes, tàm scilicet rationale, quàm irrationa
le, in inuentione poneret. Quemadmodum enim pluri-
ma rationale animal præsidiorum genera, suo ingenio, atq; ratione,
& experimentis inuenit: Ita in plurimis quoq; irrationale animal,
suo naturali instintu artem adiuuit, auxitque. Sed omissis his, quæ
ab homine quotidie inuenta sunt, ac inueniuntur, extunduntur que,
Nonnulla in medium afferemus, quæ à bestijs, irrationalibusque ani
malibus reperta sunt, quibus hæc medicam artem auxerunt. Quis igi Venæ inci
tur uenæ incisionem hominibus, sanguinisve missionem ostendit, sio.
eosq; hanc edocuit, nisi Hippopotamus? * Hic enim (uti Plinius te- *ζ. libro. 8.*
statur ζ) equus fluuialis est, in Nilo Aegypti repertus, & in quadam *ca. 25. & 26.*
medendi parte, etiam magister extitit. Assidua nanque facietate obe
sus, exit in littus, recentes arundinum cæsuras perspeculatus, atque
ubi acutissimum uidet stipitem, imprimens corpus, uenam quandam
in crure uulnerat, atque ita profluuio sanguinis morbidum aliàs cor- Paracen.
pus exonerat, & plagam limo rursus obducit. * Præterea Paracente
sim, perforationemve suffusorum, capra nos monuit, quanuis (iuxta
Introductorij Authorem *a.*) ex accidenti, dùm iunco aculeato in o-
culum

culum impresso, uisum receperit. Aelianus *b* uerò Caprarum naturale instintum id esse uoluit, quotiès conturbatum oculum illæ persentiunt. At quis etiam Clysteris usum ostendit, nisi Aegyptia Ibis? De qua idem quoque Plinius subdit *c* * Simile quoddam & uolucris in eadem Aegypto monstrauit, quæ uocatur Ibis, Rostri aduncitate, ac (uti Author Introductorij subdit) colli cute, tanquàm Clysteris utre, marina, Niliq; aqua impleta, eodem rostro eam sibi ipsi per anum indit: per eam (inquàm) partem se perluens, qua reddi ciborum onera maximè salubre est. Hanc igitur purgationem aduertisse, & imitati posteà Aegyptij dicuntur (inquit Plutarchus *d*) Sacerdotesq; isthic nulla certè aqua lustrantur, quam unde hauserit Ibis, quia medicatam, aut alioqui insalubrem hęc auis non attingat. Neq; hæc sola multis animalibus (subdit Plinius *e*) reperta sunt usui futura & homini. Dictamum enim, herbam extrahendis sagittis cerui monstrauere, percussi eo telo, pastuque eius herbæ eiecto. Statim enim currunt, dictamumq; deuorant. Et sic sagittæ affixæ quamprimùm è corpore decidunt. Ita quidem Plinius de ceruis, quanquam Aristoteles, *f* Dioscorides, *g* Plutarchus, *h* ac Cicero, *i* non ceruis, sed capris Syluestribus in Creta insula huiusmodi remedii inuentionem attribuunt. Vt suspicandum sit Plinij codicem deprauatum esse, ac pro Ceruis, Capras, legendum. Nisi eum errasse determinare uelis, aut utrunq; fortassis uerum esse confiteamur. At quid de Vomitu etiam dicendum? quem Canes, ac Lupi demonstrarunt? Aegrescentes enim (ut ait Aristoteles *k*) herba quadam comesa uomitant. Atq; ita superfluam uentriculi repletionem expurgare solent. Qua ratione Canes etiam ipsi herbam tritici contra lumbricos comedunt, nosq; ex eius experimentis moti etiam aliquando uomitum, seu deiectionem exercemus. Quamobrem sic etiam Aelianus *l* ait * Canibus contra morbos, quibus tentantur herbam Natura præstantem dedit. Nam segetem herbescentem, si lumbricis uexantur, depasti eosdem expellunt. Cùm autem utrunq; uentrem exhaurire habent necesse, herbam dicuntur quandam comesse. Cuius ui partim euomendo, partim deijcienda aluo, superfluentes cibos eijciunt. Vnde Aegyptios aluos suas purgare, didicisse ferunt.* Alibiq; fusiùs hoc modo *m* * Cùm redundantia Canis uexatur, herbam in maceriis nascentem nouit, qua comesa omne id, quo affligitur cum multa pituita, & bile euomit, sibiq;
» hæc uomitio salutem affert, sine ullius Medici opera, quòad expellen
» dam bilem nihil ei opus est: Rabiem hæc (nisi tollatur) facit. Lum-
» bricis uexatos Aristoteles ait herbam edere. Si uulnus acceperint,
» cùm

a. circa principia libri.
b. libro 6. cap. 27.
c. l. 8. c. 27.
Cly. usus
d. li. de animalium industr. uersus me.
e. l. 8. c. 27.
Sagittarũ extru.
f. 9. de hist. animal. ca. 6.
g. li. 3. c. 32
h. l. de animaliũ ind. & li. quòd brutis ratio insit.
i. 2. de natura deorum.
Vomitus
K. 8. de hist. animal. ca. 5. & li. 9. eiusdem. c. 6.
l. l. 3. c. 26.
m. libro. 3. cap. 18.

cùm uulnerum obligationibus, tùm pharmacorum temperationibus »
multam salutem dicentes (ut quibus minimè indigeant) lingua enim »
huic medicinam faciunt, atq; ad salutem plagam reducunt. Nec ue- »
rò canem illa fallunt. Quod etsi fraxini fructus ad pinguitudinem »
perducit sues, sibi tamen dolorem uertebræ coxarum contrahit. Itaq; »
uidens suillum pecus illius fructu exsaturatum, ab his recedit. Contrà »
autem, homines ratione præditi rectè admonentibus non obtempe- »
rantes, pernitiosis sæpè rebus immoderatè abutuntur. * Sed ultrò »
progrediamur, Cerui percussi à phalangio, quod est Aranei genus, aut aliquo simili, cancros edendo sibi medentur. Vt nos docuerint, non in phalangiorum modò morsu, sed Canis etiam rabidi, ac Scorpionis, & Serpentum quoq; ictibus, cancros, & eorum puluerem, optimum esse præsidium. Quod apri etiam comprobant. Chelidoniam quoq; uisui saluberrimam hyrundines monstrauere (quæ Græce Chelidones uocantur, unde nomen herba sumpsit, ut Chelidonia diceretur, hoc est, hyrundinaria) vexatis pullorum oculis illa medentes. Ita quùm ex oculis laborat Accipiter, (Aeliano *n* teste) syluaticam lactucam euellit, eiusq; acerrimum succum expressum suis oculis imponens, ad sanitatem restituitur. Hoc uti medicamento, ad sanandos oculorm dolores, Medici dicuntur. Vnde oculorum medicina Hieracia, quasi accipitraria appellatur (Hierax enim Græcè, Latinis accipiter est.) Vnde uidere licet homines se auium discipulos profiteri, atq; etiam præseferre non uereri. Anguis quoq; feniculum oculis proficuum esse, nos docuit. Dùm illius quidem succo & uisum sibi fouet, & senectam faciliùs exuit. Testudo etiam aliquid ad medicinæ inuentionem conduxit: Origani uires ueneno contrarias, amuletum'ue quoddam esse, demonstrans. Etenim uiperam quandam edens, statim ad origanum edendum accedebat. Quod cum ita sæpiùs factum quidam animaduertisset. Vt scilicet gustato origano ad uiperam, & ex uipera ad origanum testudo repeteret, herbam ille euulsit. Quo facto testudo interiit. Atq; idipsum fuit origani potentiæ, uirtutisq; inditium. Quod uulneribus etiam conferre ciconia, pluresq; aues demonstrarunt, quùm scilicet uulnus accipiunt. Origanum enim plagæ apponunt. Sed omissis quamplurimis aliis medicamentis, quorum uires Bruta nos docuerunt, Illud mustellæ documentum, de Rutæ uiribus uenenum retundentibus, perbellum est. Vt quæ illam herbam edit, quotiès cum serpente dimicatura est: cuius uel solus odor est serpentibus infestus. Præcipuum uerò, mirabileq; admodum est, quod à Panthera didicimus. Etenim pardalianches dictum,

Ad Phalãgiorum Morsus.

Ad oculorum affectus.

n. libr. 14. cap. 15.

Origani uires contra uenenum.

Rutæ uires.

Latinè

Latinè aconitum (quo Leones etiam,& Lupi intereunt) carnibus illitum cùm deuorarit, indeq; faucium angorem, ac strangulationem patiens,humanis excrementis sibi medetur: illaq; statim,pro sua salute, hinc & inde diligentissimè uestigat, quæritq;: ut singularissimum anginæ præsidium homini (vel Galeno *o*, præter quotidianum experimentum, comprobante) demonstrarit. Longum profectò, ac tædiosum quoddam superpondium esset,cuncta remedia,quibus medicinam irrationalia,bruta'ue ampliarunt,auxeruntq;,hìc referre. Vltra quòd semetipsa curant, annuumq; fastidium,propriis cuiusq; Naturæ medicamentis, expurgant: uti Palumbes, Gracculæ, Merulæ, Perdicesq;, lauri folio: Columbæ autem, Turtures,& Gallinacei, helxine: Anates, Anseres, & aliæ aquaticæ aues, herba siderite. Grues, & similes, iunco palustri sua corpora repurgant. Ceruæq; (ut Cicero etiam inquit *p*) paulò ante partum,perpurgant se quadã herbula, quæ seselis dicitur. Vt non modò in repletione purgationem esse necessariam ostendant, sed quòd uaria quoq; fore oporteat medicamenta, pro uaria animalium Natura. Sicq; in hominis particulari medicina obseruandum etiam est.Quamobrem & Vrsus quoq; post incubatum diutinum,lustrum exiens,syluestri aro,aluum constrictam, intestinumq;, acrimonia sua ciente,laxari, atq; hiare facit.Narrant enim (ut præter Plutarchum *q*, Aristoteles *r* anteà dixit) intestinum per inediam ita conniuere, ut adductum propè cohæreat. Idem cùm cæperit nausea, præsertim quùm mandragoræ mala (uti Plinius *ſ* etiam ait) degustauerit, myrmeciam, formicarum'ue labyrinthum adiens, afsidensq;, linguam humore dulci fluentem exertam leuiter tandiù tenet,dùm scatere formicis uideat,eas deglutit postea,uehementerq; iuuatur. Elephas chameleonte concolori frondi deuorato,occurrit oleastro huic ueneno suo. Iam Chirurgicem callere Elephantos certò traditur, quippè spicula, hastasq;, & tela uulneratorum corporibus astantes extrahunt, idq; citra conuulsionem, & damnum. Hoc inquam medendi genere animalia non solo utuntur: Quandoquidem & cibi se moderatu pleraq; curant: Leones enim & Lupi carnibus nimiùm farti,abstinent,cubandoq;tantisper se fouent, donec percoquant. Tigrim igitur etiam ipsam narrant, quo tempore diætam certam præstituerat, obiecto hædo, biduum totum abstinuisse, tertio die æsurientem postulauisse aliud,felemq; datum discerpsisse.Cùm hædo ceu domestico,& familiari parceret.

Siquidem igitur ad medicinæ perfectionem animalia bruta contulerunt,hominisq; curationi brutorum medicinæ profuerunt: cur & ipsis

Humanorum excr. uires.

o.x.simpl. cap.22.

Propria irrationalium expurgatoria.

p.secundo de Natura Deorum longè post medium.

q. libro de animalium industr. circa medium.

r.8. de hist. animalium ca.17.et 9. eiusdem. c. 6.

s.l.8.c.27.

Elephan. Chirurg.

Brutorum in cibando moderatus.

ipsis mederi, conferreq; ab homine inuenta, hominiq; dedicata medicamina non debent? ut pro remediis remedia alteri animalium generi alterum recompenset? ultrà quòd sibimetipsis utraque animalia opem vestigantia communem medicinam perfecerunt, suisque inuentis auxerunt? Quòd si Deus Optimus Maximus bestias creare, & hominum quidem (ueluti perbellè inquit Cicerò t) gratià, immò, quod maius est, eas curare, à morbisque liberare (ut Aelianus u ait) dedignatus non est, cur, homo, cuius causà Deus eas creauit, curare illas dedignabitur, sine quibus commodè uiuere non potest? Sed hæc ueluti parerga quædam intantùm prælibata hic sint: Ad nostrum igitur propositum conuertamur.

t. ubi sup u. libr. 1 capite. 3 secundum nouam impressione

CAPVT OCTAVVM. In quo eadem repetuntur, licet alijs verbis, aliaque semita, quæ in capite quarto prædicta sunt, scilicet eandem esse hominum, & bestiarum medicinam formaliter, vt de ijsdem ambæ pertractent, & vide simul Capite 10.



QVAS obres medicina, siue rationale, siue irrationale animal gubernet, triplici completur instrumento, Diæta, Medicamentis, & Chirurgia. Vt in tres tandem partes curatiua pars distinguatur: Diæteticam scilicet, Pharmaceuticam, & Chirurgicam, sicque in quolibet animali, conseruatio per similia, curatio uerò per contraria fiat, eademque curandi methodus in omnibus sit. Videlicet ut temperamentum uniuscuiusque speciei, ac particulare etiam cuiuslibet indiuidui perpendamus: Illudque tanquàm scopum in conseruatione, habeamus: præterea formationem in quolibet consideremus scilicet figuram, superficiem asperam uel lenem, uias, & receptacula. Itemq; magnitudinem partium, numerumque, & situm, & præterea sensum, ac uirium robur. Atque hæc omnia priùs, ut sunt secundùm Naturam, deinceps uerò, ut sunt aliquando præter Naturam. Videlicet morborum essentiam constituentia, siue in intemperie, siue in natura organica, puta mala compositione, quod est, mala figura, superficie, meatu, uel receptaculis, aut in magnitudine, uel numero, uel situ: aut denique in Natura communi. Vltra quæ rursùm causas perpendamus in utroque animalium genere, procatarcticas, antecedentesque, siue etiam continentes, ac tandem symptomata, Videlicet actiones læsas (siue diminutas, siue ablatas, aut depra

uatas) affectus corporis mutatos,& exeuntia mutata (siue in quantitate,siue in qualitate,aut tempore) perlibremus. Præter quæ etiam,concurrentia,tàm in rationalibus,quàm in brutis animalibus, pro conseruatione, & curatione, præuisione, seu præseruatione, aut refectione, seu conualescentia,nedùm pro morbi exquisita cognitione perpendamus: uidelicet anni tempus,cæli statum,regionem,consuetudinem,vitæ industriam,siue exercitium,uictum præcedentem, impetum exuperantium morborum,ætatem,habitum,& sexum,cæteraq; demum omnia, quæ in homine eadem, & in equo, aliisque brutis disquiramus. Quid est igitur, quod in homine consideratur, considerabileque est, quod quidem in aliis etiam animalibus perlibrandum non ueniat? & econtrà, quid in illis est, quod curandi intentionem excitat, attamen hic etiam scilicet in homine non aduertendum, seduloque uestigandum ueniat? Nil profectò,sed una, eademque in omnibus methodus, ijdemque Canones,atque eadem denique ars, uel scientia existit. Et vt particulariùs adhùc singula percurramus, non hominis modò, sed aliorum quoque omnium anatome præmittenda est.Idcircò Aristoteles,anteque eum plurimi,& post eum non pauci quoq;, de animalium omnium historia,& partibus,ac generatione loquentes,anatomen singulorum, si non exquisitè ut oportebat, diligenter tamen ut potuerunt,pertractare conati sunt. Quamobrem & specialius descendendo Vegetius *t*, & è recentioribus Augustinus Columbus *u* equorum Anatomen pro uiribus ostendere enixi sunt. Prætereà de elementis, de humoribus,de membris tàm simplicibus, quàm compositis, & eorum actionibus, atque usu: De uirtutibus quoque, & spiritibus illorum:Itemque de morbis tàm vniuersalibus, ut febre quacunq;, quàm particularibus,siue ad quamuis partem indifferenter uagantibus, tumoribusque præternaturam, & aliis quibuscunque à capite ad pedes usque siue sporadicis, siue epidemiis, aut etiam pestilentialibus, siue endemiis,aut quouismodo pandemiis. (tot enim morbis equum, atque etiam ouem infestari, quot hominem, Aristotele *x* teste, periti referunt) ac,ut paucis me expediam,non de morbis modò cunctis homini aduenire solitis,sed de remediis quoq; omnibus uniuersalibus, & particularibus, quòad Diæteticam scilicet Pharmaceuticã, & Chirurgicam,eodem modo,iisdemque Canonibus,atque eisdem quoque methodis, eademque demum philosophandi ratione, in omnibus animalibus,tàm rationalibus,quàm irrationalibus,quæcunque sint, pertractarunt Doctores,& uiri quidem clarissimi scripserunt.

t. lib. 4. ca. primo. 2. 3. & quarto.
u. li. primo ca. 19. et sequentibus.
x. 8. de hist. animaliũ. capit. 24. post medium.

CAPVT NONVM. *In quo veterinariam medicinam à quàmplurimis authoribus excellentissimis scriptam esse, Atque eosdem fuisse illius, sicuti & hominis, medicinæ inuentores demonstratur.*



AVD enim verum esse confitemur, quod nonnulli dixerunt, præsertimque Diuinus ille, ac noster olim præceptor Manardus *y* (cuius manes in hoc, pro ueritatis elucidatione, nobis parcant) quod scilicet in consortium disciplinarum quæ à sapientibus tractabantur, pedem ferre non auderet Mulomedicina, sitque à sapientibus neglecta. Siquidem sapientissimi viri quàmplurimi de ea vberrimè, ac seriò pertractarunt. Videas enim in primis librum illum Veterinariæ Medicinæ, qui non Græcè tantum, sed Latinè etiam, atque Vulgari Tuscoque idiomate traductus passim uenalis est, quot authores eum aggregarunt. Videlicet Apsyrtus, Hierocles, Theomnestus, Pelagonius, Anatolius, Tiberius, Eumelus, Archedemus, Hippocrates, Aemilius Hispanus, Litorius Beneuentanus, Himerius, Africanus, Didimus, Diophanes, Pamphilus, Magon Cartaginensis, Itemque Chiron, Agatotychus, Niphon, Ieron, Casius, Hieronymus, Gregorius, Celsus, Archelaus, Xenophon, Micon, Publius Varon, maximeque omnium Simon antiquissimus, qui in templi parietibus Eleusiniæ Palladis Athenis equorum documenta, tùm figuris, tùm sculpturis quoque præsertim æneis, demonstrauit. Quemadmodum Hierocles *z*, atque ipse etiam Xenophon *a*, dixerunt. Præter hos autem Aristoteles Philosophorum Spirarchus de Bestiarum medicinis multa pertractauit. Atque etiam Plinius. Itemq; Constantinus Cæsar appellatus, quisquis fuerit author ille Græcus, & quidem doctissimus, prætereà Columela, Marcus Varro, Palladius, atque Vegetius, multique demùm recentiores vberrimè Brutorum, sed præcipuè equorum medicinam scripserunt. Vt Nigressius, Laurentius Romanus, Iordanus Ruffus Calaber, Augustinus Columbus, aliique plures, qui doctè, & rationibus, & experimentis innixi de hac veterinaria medicina pertractarunt. Quinimmò eandem esse tùm hominum, tùm equorum medicinam, ex eo liquet, quoniam idem utriusque inuentor fuit Aesculapius, anteque ipsum (præcipueque partis Chirurgicæ) Chiron Centaurus, Aesculapii nutritor, ac Magister. Sic enim Hierocles dicebat *b* * Priùs uerò nostro sermoni propitius sit Neptunnus equestris, atque Aesculapius humanæ genera-

y. in commentario suo in librum artis medici. com. 13. uersus finem.

z. in proœ. Veterinariæ lib. primi.

a. libro de re equestri circa prin.

Primi ue[…] te. medi[…]

a. lib. 1. ueterinariæ in proœm post principium.

rationis seruator, cui & equorum cura inest. Modò memor hic sit Chironis Centauri, conuersationisq;, ac disciplinæ, quam ab illo in monte Pelio habuit. * A manuum igitur opere dictus Chiron fuit, Centaurusque interim à Poetis effictus, quoniam ipse non hominum modò, verùm & iumentorum quoque medicinam, & præsertim (uti dictum iam est) Chirurgiam adinuenerit. Idcircò tanquam hominis, & equi filius, semihomo, & semiequus depictus est.

CAPVT DECIMVM. In quo veterinariam ab hominis medicina materialiter duntaxat, non formaliter differre, ostenditur, pluribusque exemplis elucidatur.



ON alia igitur ars, uel scientia Bestiarum medicina ab hominis medicina est, sed formaliter eadem: Nec distinguuntur nisi ex parte subiecti nobilioris, uel ignobilioris. Quæ distinctio formalis non est, sed materialis: quæ non facit artis, siue scientiæ diuersitatem. Quotiès enim dicitur, quod scientiæ distinguuntur quemadmodum & res, non de quacunque distinctione intelligendum fore, compertissimum est, nisi de formali. Distinguũtur igitur abinuicem scientiæ formaliter, quemadmodùm & res ipsæ, de quibus scientiæ sunt, formaliter sumptæ distinctæ sunt. Secundùm diuersam enim formalem rationem considerandi, scientiæ distinguuntur. Adeò ut de re eadem diuersæ scientiæ, secundum diuersas considerandi rationes pertractent. Econtrà uerò, de diuersi generis rebus eadem scientia, secundùm eandem considerandi rationem, eundemque scopum pertractet. Aliter non solùm hominis medicina à Bestiarum medicina distingueretur, sed cuiuslibet animalis, & cuiuslibet etiam hominis particularis scientia ab alterius animalis, siue hominis scientia separaretur. Sicque tot essent scientiæ, uel artes, quot animalia, non solùm secundum speciem, sed secundum etiam indiuidua, sunt. Quinimmò ipsamet medicina infinitæ esset artes, seu scientiæ, cùm infinitas res consideret. Id quod absurdissimum omninò esset. Quæ tamen omnes, ut à Medico perpenduntur, ad unum scopum, unamque rationem considerandi formalem reducuntur, quæ est Sanitas. Aut enim quia sanitatem recipiunt, aut quia sanitatem efficiunt, uel conseruant, uel eam remouent, eiq; opponuntur, aut ipsam quoque

quoq; sanitatem præsentem, uel absentem, siue præteritam, siue futuram significant. Quæcunq; igitur ad sanitatem referuntur, quatenùs scilicet arte hæc fit, uel conseruatur, ea omnia ad medicinam pertinent, tanquam unam artem, aut scientiam, siue rationalia, siue irrationalia animalia sint, quæ suscipiunt, modò uiuentia sint. Impossibile est enim fieri sanitatem, aut ægritudinem carentibus uita (ut inquit Aristoteles *b*). Non secùs igitur medicina hominum materialiter distinguitur à medicina bestiarum, quàm medicina Hispanorum à medicina Gallorum, siue Germanorum. Quinimò sicuti medicina Petri à medicina Ioannis, uel Pauli, Nec pars alia medicinæ formaliter dici potest Veterinaria medicina, à medicina hominum distincta, sed eadem est ars tota, quæ in quouis etiam animali, triplici utitur instrumento, diæta, medicamentis, & Chirurgia. Sicut enim sculptoria ars eadem est, statuariaq; siue in luto, siue in auro sculpat, statuasq; efficiat, Eademq; pictoria, siue pretiosissimis coloribus super marmore, siue duntaxat carbone super uilissimo quouis lapide pinxerit. Eadem quoq; fabricatoris ars est, siue ex marmoribus, pretiosissimisq; quibusuis lapidibus, siue ex ignobilibus, uilibusq; quibuscunq; domum fabricet. Quinimò, quod magis ad propositum conducit, eadem fabricatoria ars est, quæ aulas, camerasq; pro hominum, ipsorumq; etiam Regum, & Imperatorum, Pontificis Summi, aut Cardinalium habitatione, & quæ stabula pro equis, aut mulis, siue etiam bobus, aut ouibus fabricat, Ita eadem ars est medicinæ: quæ siue in homine, siue in quauis bestia sanitatem fabricat. Deniq; sicut eadem Sartoria ars, nec alia est, quæ sericum, aut telam auream, uel argenteam, siue brucatum (quod uocant) incidens, ac sarciens, suensq;, ex iis uestimenta Imperatoribus, aut Regibus conficit, ab ea, quæ ex uilissimo panno, aut lanea tela incisis, consutisq;, uilioribus seruis, aut famulis indumenta præparat, Quanuis altera nobilior, altera uerò uilior materia sit: Quodq; maius est, nostrumq; magis comprobat intentum, eadem ars, idemq; artifex est, qui non homines modò nobilissimos, aut ignobiles, sed ipsos etiam equos, ex uariis pannis, aut telis, seu prætiosis, seu uilibus uestit. Quemadmodum præcipuè in publicis hyppomachiis prætiosissimas ephippias quotidiè præparari uidemus, Eademq; ars ualdrappas uocatas pro equorum, aut mularum ornamento, ac decore, ex serico, aut pannis conficit, inciditq;, ac suit, resarcitq;, nec non simias aliquando, & cercopitecos, hominum instar, uestire solet. Sicq; eadem ars (formaliter inquam semper intelligendo) quæ hominum, siue brutorum uestimenta

b. libro de sensu & sensili circa principia.

Exéplū. 1. 2 3 4 5 6

ſtimenta reſarcit: Ita demum & eadem medicina, eademq; ars, & ſcientia eſt formaliter, quæ ſiue hominis, ſiue brutorum ſanitatem conficit, atq; reſarcit.

CAPVT VNDECIMVM. In quo totam medicinam tàm hominum, quàm Beſtiarum Naturali Philoſophiæ ſubalternatam eſſe, eodem modo, enucleatur. Zimaræq;, & Gazæ authoritate comprobatur.



ADEM igitur ſiue hominis, ſiue Brutorum medicina formaliter una duntaxat exiſtens, tota Naturali Philoſophiæ ſubalternata eſt. Quamobrem perbellè, atq; appoſitiſsimè Ariſtotelis Theorema interpretatus, noſtri temporis celeberrimus, ac diuinus Philoſophus, Marcus Antonius Zimara *c*: quùm ſcilicet ita in principio libri de ſenſu, & ſenſili Ariſtoteles ait * Rerum Naturæ interpretis partes ſunt, prima ſalutis, atq; morbi cognoſcere initia: cùm minimè fieri poſsit, ut uitæ expertia aut ægrotent, aut ualeant. * Quæ uerba in antiquiore translatione, quam Zimara habebat, ſic legebantur (ut omnes quod dicimus promptiùs percipiant) * Phyſici eſt de infirmitate, & ſanitate prima inuenire principia. Nec enim infirmitatem, nec ſanitatem poſsibile eſt fieri carentibus uita. * Qua de re ſequitur Ariſtoteles per hæc uerba * Naturæ igitur interpretum, & medicorum, qui ex flagrantiore Philoſophiæ ſtudio artem exercent, magna è parte alii in præcepta medicinæ deſinunt, Alii ex naturæ interpretatione res ordiuntur medicas. * In ueteri autem traductione quam allegare omnes hucusq; conſueuerunt, ſic habetur * Quare Phyſicorum plurimi, & Medicorum, qui magis phyſicæ artem proſequuntur, hi quidem finiunt ad ea, quæ de medicina, hi uerò, ex iis quæ de Natura, incipiunt de medicina. * Paſsimq; hinc theorema deduci ſolet tale * Vbi Phyſicus deſinit, inde Medicus incipit * Pro hoc igitur theoremate inquit Zimara * Inde contingit, quòd quòad poſtremam ſui partem, quæ eſt, de animalibus, Ariſtoteles interponit aliqua, quæ pertinent ad actum practicum. Vnde in libris de Natura animalium ponit multa medicamina cõferentia uariis, & diuerſis ægritudinibus animalium. Patet autem quòd notitia illa, quæ docet modum, & qualitatem operandi, practica eſt, ſicut inquit Princeps in principio primi Canonis *d*. Nam in octauo libro de hiſtoria animalium, agit Ariſtoteles de ægritu-

c. theore. 77. circa finem.

d. doc. 1. c. 1.

ægritudinibus suum, eorumq; remediis, capite uigesimo primo, sed "
in capite uigesimo secundo, agit de ægritudinibus canum, & capite "
uigesimo quarto, agit de morbis equorum, & remediis eorum, & in "
capite uigesimo sexto, agit de morbis Elephantum, & eorum reme- "
diis. Vnde sicut contingit in naturis temporum, quòd finis unius sa- "
pit Naturam principii alterius, & econtrà. Sicut principium ueris sa "
pit Naturam hyemis: Sic finis Naturalis scientiæ sapit, & ostendit a- "
lium modum considerandi medicinæ. * Hæc Zimara: In quibus uer "
bis manifestè ostendit, quomodo Medicus inde, idest, ab illis princi-
piis incipit, in quæ Philosophus desinit, idest, in quæ, tanquàm in
conclusiones Physicus ipse terminatur. In exemplum uerò portat,
pro medicinæ principio, medicamenta bestiarum ab Aristotele, in ul
timis Philosophiæ libris descripta. Cui quidem Zimaræ Doctissi-
mus etiam ille, Latinorum, & Græcorum recentiorum decus alte- e. In præfatione libri de animalib. uersus finem.
rum, Theodorus Gaza astipulatur, sic scribens e * Medicus au-
tem quod fatetur se sua inde ordiri, ubi Philosophus desinit, nus-
quàm pleniùs, quàm hic uiderit (scilicet in libris de animalibus)
quodq; à Galeno Medicorum principe traditur, Aristotelem pri- "
mum anatomen, hoc est, membrorum dissectionem scripsisse, hìc "
agnoscet, Et quòd idem & primus, & optimus fuerit author, perci- "
piet. * Hæc Gaza. pauloq; anteà sic ad propositum dixerat. * Nam "
ut omittam artes libera les, quæ & ipsæ ingeniis animalium non pa- "
rùm iuuantur, ualetudinis exempla quæso unde commodius peti "
quàm ex animalibus possint? Loca pro temporis conditione solent "
immutare. Non plus edunt, aut bibunt, quam sibi salubre sit: Non "
diutiùs dormiunt, quàm ratio ualetudinis postulat: Modum mouen- "
di, quiescendiq; seruant: Nouit sua quodq; medicamenta: Viuit sua "
quodq; sorte contentum, & gaudet. Hæc latè à Medicis præcipiuntur.
* Ex iis inquam præostensis patet, quomodo tota medicina, siue ho
minem, siue bestias curet, Philosophiæ naturali subalternata est (eo
modo, quo, etiam nos uberrimè iam, in secundo nostræ Iatrapologiæ
uolumine, demonstrauimus. f) Patetq; etiam, quomodo Philoso- f. cap. 6.
phus in brutorum medicinam suam Philosophiam finiens, eandem
cum hominum medicina eam esse intellexerit. Hinc deniq; liquet,
cur tot Excellentes prædicti uiri medicinam Veterinariam scriben-
tes, non ea tantùm omiserint, quæ ex Philosophia originem ducunt,
sed quinq; medicinæ partes omnes diminutè, ac satis imperfectè, &
breuissimè, ac sine ullo, uel pauco tandem ordine declararint: tan-
quàm scilicet eas omnes à nobilioribus Medicis uberrimè in suis de

re

re medica libris enucleatas præsupponentes. Quamobrem ad ea dun taxat exprimenda deuenerunt, quæ propria brutorum Naturis sunt, ab hominum Natura omninò differentia.

CAPVT DVODECIMVM. in quo Veterinariam medicinam, hominum medicinæ subalternatam dicere, ridiculum esse, ac falsissimum ostenditur.



AVDQVAQVAM uerò dicendum est id, quod a rudibus quibusdam audiuimus, quòd scilicet medicina bestiarum sit subalternata medicinæ hominis, sicut bestiæ sunt subalternatæ homini, iuxta illud * Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues uniuersas insuper, & pecora campi, uolucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. &c. * Haud enim capitur in Veterinaria, seu bestiarum medicina, subiectum sub subiecto, uel idem fortassis subiectum, addendo conditionem accidentalem. Equus enim sub homine formaliter non capitur: Nisi iocosè id dixeris, quùm equitamus: Nec equus homo est, nec hominis species. Nec accidentali conditione abeo differt: sed ut homo, & equus essentialiter differunt, ut sanabile uerò, & ægrotabile utrunq; idem est. Multoq; minùs ab essentia hominis equus, uel Asinus fluit. Minimeq; unum fit per se ex subiecto superioris, puta homine, & equo, uel alia quauis bestia. Neq; demùm Veterinariæ medicinæ principia ab hominum medicina probantur, sed à Naturali Philosophia. Ridiculum ergo est, subalternatam dicere Veterinariam medicinæ hominum. Quòd si medicinæ subiectum formale consideramus, scilicet sanitatem: Idem in utrisq; esse inuenimus, in quouis corpore sit, siue rationali, siue irrationali, prout hæc scilicet arte fit, conseruaturq;, aut possidetur. Itaq; compertissimum iam est, medicinam omnem siue brutorum, siue hominum, eandem esse scientiam, & artem, neq; partem esse hominum medicinæ integralem ipsam Veterinariam medicinam, sed totam ipsam esse eandem artem, quæ scientia est salubrium, insalubrium, & neutrorum: corporum scilicet tàm rationalium, quàm irrationalium, itemq; signorum, & causarum, in prædictis corporibus significantium, aut efficientium, siue conseruantium salubritatem, uel insalubritatem, uel neutralitatem.

CAPUT DECIMUM TERTIUM. In quo totius quæstionis determinatio habetur, præsertimque de eo quod Veterinarij Protomedico subiecti sint, ab eoque recognoscendi, & examinandi veniant.



EMPESTIVUM igitur est, ut in oppositum nostræ sententiæ præadducta argumenta dissoluamus. Pro quorum nihilominus resolutione, præaduertendum hic est, quod hāc debemus distinctionem assignare. Videlicet quod Medicina bifariam capi potest. Vno modò uerè & secundùm se totam, & simpliciter, ut medicina est, proprium obiectum formale respiciens, quæ est sanitas. Et sic (ueluti præostensum iam est) omnem medicinam comprehendit tàm hominis, quàm brutorum, sicque in rei ueritate omnis Medicus, quicunque sit, sub Protomedico est, illumque hic recognoscere, & examinare potest, ac debet, an sufficiens, idoneusque sit, uel non: Non modò inquam examinare illum quanuis Veterinarium Medicum potest Protomedicus, sed debet. Etenim quanuis in mala, falsa'ue, aut imperfecta brutorum curatione, hominis uitæ periculum nullum prima fronte appareat, neque tàm magni momenti sit, sicuti hominum curatio: Adest tamen interdùm multæ perditionis, iacturæque periculum. Vt si pretiosum equum, uel mulam imperitus Veterinarius Medicus, Manischalchus'ue uulgò nuncupatus, malè curās interfecerit. Quæ prætii iactura, siue ob inductam domino tristitiam, siue ob defectum commodi, quod habebat, tàm equitando, laboremq; euitando, quàm ubi oportuerit, fugiendo inimicos, aut eos prosequendo, aut præliando, uitæ periculum, maximumque damnum potest domino inducere. Cuius utilitates uberiùs anteà in epistola tetigimus. Quòd si (ut ibidem prædiximus) quùm Dominus equum suum malè tractaret, strigosumque, ac macilentum dimitteret, equum illum perdebat, ultrà quod in ęrarios tanquam multandus remittebatur, cur multandus acriùs non est, & ad equi, uel equorum pretium non condemnandus, quicunque ob imperitiam, siue incuriam equos multos publicè, uel in peiorem morbum, uel in mortem quoque perduxerit, præcipitaritque? Condecens igitur est, pro Reipublicæ utilitate (præsertimque belli tempore) ut equorum curator, Veterinarius'ue Medicus idoneus, peritusque sit. Quamobrem non cuiuis mederi, atque impunè equos interficere licebit, nisi approbato Medico Veterinario. Quam approbationem habere non potest, nisi à docto quopiam

Medicina dupliciter.

Philosopho, ac Medico examinatus priùs sit. Hic autem alius esse non debet, quàm ille Medicorum primus. Cui Medicos omnes examinandi potestas à Rege nostro data est, quem Protomedicum uocamus. At cur immunes ab examine Veterinarii Medici esse debent, in arte tanti momenti, quam nonnisi doctus Philosophus exquisitè assequi potest? Nihilominùs tamen imperiti Ferrarii, ac rudes Idiotæ illam exercere publicè audent? Cùm uel minimæ quælibet artes mechanicæ id obseruent, ut nullus eas publicè exercere audeat, nisi qui sufficiens, idoneusque est, per quinquennium, aut septennium, plus, minus'ue (ut apud eos artifices lege quadam sancitum est) sub aliquo optimo Magistro exercitatus fuerit, & à Consule suo deinceps, siue magistrorum capite nuncupato, priùs examinatus approbetur. Quòd si reliquæ omnes artes mechanicæ, quarum plurimæ sunt longè minoris momenti, & rem uilioris pretii tractantes, in huiusmodi tamen examen ueniunt, & obseruantiæ legem quandam, superioremq; habent artis Consulem, siue caput, à quo regulantur, atque gubernantur: non in suis modò functionibus, sed in lucris quoque, ac emolumentis taxantur, cur Veterinaria medicina, ars & ipsa proculdubio mechanica etiam existens, rerumque pretiosissimarum, præcipueque equorum, aut mularum, tàm Reipublicæ necessariorum animalium discrimina pertractans, exlex esse hæc sola debuit? Aut quæ ipsorum Veterinario
2. rum Medicorum fortuna est? Præsertim quia aliter capitur medicina strictiùs, & non pro tota (ut paulò ante diximus) medicina, secundum suam ueram latitudinem, sed pro honorata, & nobili medicina. Estque ea duntaxat, quæ ad homines refertur. Quòd si igitur hæc dignior, nobiliorque, & à doctissimis Philosophis uberiùs pertractata, & exercitata, legibus tamen Protomedici, nedùm examini submittitur: Et pretium quoque eis, uelut aliis mechanicis artibus, constituitur, taxaturque, & imponitur: Cur Maniscalchi rudes, & ignaui, quorum maxima pars legere, ac scribere proprium nomen ignorat, ita impunè, sine lege, sine censore, ac sine ullo pretii termino, medicinam exercere queunt? Si non directè, indirectè tamen pecunias extorquentes, non pro medicinæ artis (ut aiunt) labore, sed pro medicamentis, medicamentorum'ue pretio nummos petentes. Cùm interim maluæ succum aureo uendant. Haud enim Physici tantum, uel Chirurgici, sed utriusque munus subeunt, atque insimul etiam seplasearii. Cùm tamen ne nimiam quidem harum professionum portiunculam norint. Sæpenumerò etiam equi, uel mulæ siue cuiuslibet curatæ bestiæ prætio maius stipendium, pro falsa fortassis, malaque curatione,

tione, efflagitantes. Maximam profectò causam haberent rationales, honoratiq;, & nobiles Medici hominum curatores. Vt non de legibus modò conquerantur, sed ut omnem penitùs doctrinam, omneq; studium negligant: siquidem ipsos iustæ leges cogunt, & à Protomedico tanquàm superiore, uel ab aliquo Doctorum Collegio in arduum examen perducantur, multoq; interdùm labore, aut fauore, aut nummis approbari uix mereantur, potiriq; ualeant: Ipsi autem Veterinarii ab omni labore, atq; examine soli inter artifices mechanicos immunes sint, cùm fortè difficiliorem, uel non minùs difficilem artem illi, quàm nobiliores Medici exerceant. Difficiliorem inquàm, cùm irrationalia curent, quæ muta quidem sunt, nec eorum interiora, abditaq; inditia, dolorum species, affectas sedes, causasq; occultas manifestare ualent. Non etiam adeò sunt Medicis obedientia: nec ita commodè pulsum tangere, uel urinam colligere, aut conspicere queunt sui Medici, uel alia signa quamplurima exquisitè, uelut in homine, perpendere. Quemadmodum Hierocles, Vegetius, atq; Augustinus etiam Columbus appositè dixerunt. g Omnino igitur concludimus Veterinarios Medicos alicui legi supponendos, & examinandos, ac demùm (si periti sint, idoneiq;) approbandos, priùs quàm artem publicè exerceant, propter Reipublicæ utilitatem. Quo quidem præostenso, nulli alteri Consuli, aut capiti, uel rectori, siue examinatori supponi debere, ac presentari, compertissimum est, nisi Protomedico. Cùm uerè Medici sint, non æquiuocè, sed uniuocè, & secundùm eandem rationem formalem iidem cum hominum Medicis, quamquam uilioris subiecti materialis ratione, uiliores quoq; ignobilioresq;, cæteris paribus hi, quàm illi sunt.

g. in suarum Veterinariarum proœmijs.

CAPVT DECIMVMQVARTVM. In quo veritati opposita argumenta in secundo Capite adducta soluuntur.



QVIBVS omnibus determinatis, ad Argumentorum contra nostram determinationem circa principia adductorum solutionem conuertamur. Itaq; ad primum argumentum ita respondemus. Quoniam scilicet de nobiliore medicina, seu de medicina secundo modo sumpta, uidelicet strictiùs capta, & quæ in communi Philosophorum usu magis est, intellexit Princeps, eamq; definire sic angustam uoluit, qua etiam nobiliores Medici utuntur. Ideò addidit in definitione ipsius * Humani corporis. &c. * Excellentissimi enim Philosophi, licet ueterinariam

Argumentorum so[...] Ad prim[...]

medicinam inuenerint, cognouerintque, & scripserint, eamque sciuisse, inuenisse, ac scripsisse gloriati sint, Eam tamen publicè exercere (nisi pro particulari, proprioque suorum animalium commodo) nō temerè dedignati sunt. Præsertim cùm inde minimum lucrum, minimumque honorem se reportaturos aduerterint. Idcircò non hanc, sed hominis medicinam definire uoluerunt, deque ea speciatim ac seorsùm pertractarunt. Brutorum intereà medicinam sub illa generatim intelligentes. Cùm in omnibus partibus (uti diximus) eadem sit. Quanuis igitur secundum speciem duplex subiectum materiale existat, scilicet rationale, & irrationale animal, siue corpus, nobile'ue, aut ignobile (secundum speciem inquam, nam secundum totum genus, materiale subiectum, animal uiuens est) Quotiès tamen absolutè profertur medicinæ nomen, pro potiore, nobilioreque significatu sumi solet, scilicet pro nobiliore illa parte, seu consideratione, quæ humanum corpus respicit, quam quidem Philosophi exercere delectati sunt. Haudquaquàm uerò propter hæc negari potest Veterinariam sub medicina generatim, & secundum suum uniuersalem significatum capta, comprehendi.

Ad secundum. Ad secundum quoq;, per ea, quæ præostensa iam sunt, similiter respondemus, dicentes, quod Veterinaria non minùs, nec aliter scientia, siue ars est, quàm hominis medicina, nec minùs, neque aliter Philosophiæ naturali subalternatur: aliisque omnibus uel propriè dictis scientiis, quæ à nobis in Iatrapologia prænarratæ sunt, indiget, quā nobilis medicina: siquidem perfectus esse, ac exquisitissimè cuncta pernoscere, rectèque curare debeat. Quia tamen uulgò spreta, neglectaque est, uilisque reputata bestiarum curatio, paucique lucri est, Idcircò à nobilioribus, honoratioribusque Medicis neglecta cùm sit, Rudibus inde Idiotis, ignarisque ferrariis fabris omissa est. At quid mirum est id, si quidem non hi modò, sed hominum quoque curatores plurimi nec legere, nec scribere proprium nomen sciunt? Sæpenumerò tamē (quod peius est) doctissimis quibuslibet apud ignarum uulgus præferuntur? Haud igitur ob id, quòd ita consueuerunt Medici opus suum distinguere, ac laborem & lucrum impartiri: propterea scientiæ, siue artis quiditas, subiectum'ue formale, siue obiectum, aut considerandi ratio formalis destruitur, aut distinguitur.

Nota. Quemadmodum non hunc solummodò laborem, ac lucrum sibi ipsis impartiuisse Medicos uidemus, sed Chirurgicum quoque opus, quodque peius est, etiam doctrinam Chirurgiæ negligentes, nauseantesque honoratiores Medici, & componendorum medicaminum usum,

vsum, aliis sibi subiectis famulis, ac Ministris omiserunt. Præcipuè cùm uita hominis breuis, ars uerò longissima sit: ut nec unius uita, neque corporis uires tales, tanteq; sint, ut in omnibus exerceri, cunctaq; perfectè scire, complereq; unus homo queat: ultrà quod honoratiores partes sibi Doctores, nobilesq; Medici elegerunt, atque reseruarunt. Quamobrem dicebat Abenzoar *h*, quòd tres sunt nobilium, honoratorumq; Medicorum ministri, quibus minùs honorata munera dimittere debemus, scilicet Chirurgici omnium modorum, Aromatarii, siue seplasearii, ac Barbitonsores, seu uenarum incisores. Qui rursùs inter se distincti sunt: ut ocularii dicātur medici nonnulli: Alii uerò herniarii, seu herniarium dissectores, lapidumq; uesicæ extractores, Nonnulli uerò luxatarum, seu fractarum partium repositores, atque unitores, Aliiq; demùm nasi abscisi restauratores. Ab omnibus uerò prædictis distinctæ sunt obstetrices. Itemq; qui simplicia colligunt, herbarii nuncupati. Alii uerò eadem uendunt, atque alii tandē ea componunt. Ac rursùs ex iis nonnulli confectiones ex melle, aut saccharo conficiunt, quæ ad diæteticā potiùs partem pertinent, & bellaria quædam efficiunt. Alii uerò, qui siue ex melle, siue ex saccharo medicamēta potiùs ad pharmaceuticam partem spectantia componunt. Deniq; alii tonsores tantùm, ac barbæ solùm, & capillorum, siue comarum concinnatores existunt, Alii uenarum quoque incisores, Aliiq; tandem stupharii, & cucurbitularum scalpellandarum appositores sunt: Præterea alii sunt puerorum, præcipueque mulieres uetulæ, alii uerò prouectiorum Medici: Aliiq; masconum (ut uocant) atq; alii (ut dicunt) matronum, & alii demùm lumbricorum Medici inueniuntur. Quid quòd alii incantatores, aut incantatrices, aut fascinatores, aliiq; (ut aiunt) venenatorum curatores, Atque alii sunt psylli, quos Chiraulos nostri uulgares nuncupant, non ii tantùm, qui diuina Pauli Apostoli gratia in eorum natiuitatibus à Deo Optimo Maximo infusa, sed alii etiam sunt medicamentis, atque incantationibus, manuumque dexteritate, & arte quadam, serpentes capientes, aut fugantes, interficientesque, & illorum denique uenena curantes. At alii quoque sunt dentium extractores. Quanuis igitur una, eademque formaliter ars tot particulares artifices distinctos habeat, Haudquaquam tamen ob id dicendæ plures artes formaliter sunt. Sed iuxta diuersas actiones, operandique modos, diuersi particulares artifices euaserunt. Quæ partium, siue artificum distinctio formalis non est, sed duntaxat penès diuersos operandi modos. In omnibus tamen idem finis est, Videlicet sanitatis possessio, idemque scopus, quæ est sanitas, præ oculis

h. colligitur. 2. theysir. tr. 6. c. 1. uersus fin.

Medicorum, medicinæq; distictio.

oculis, ac mente offertur. Quòd si aliquem pro his, quæ determinata sunt, testem desideras, ipsum Abenzoarem perlegas. Cuius uerba hæc sunt: Et scias quod omnia ista pertinent ad Medicum nobilẽ, & honoratum. Sed alias operationes manuum dimitte ministris Medicorum: Sicut est Phlebotomia, & cauterium, & incisio arteriarum. Et adhùc nobiliora istis debent facere isti Medicorum seruitores, sicut est incisio palpebrarum, & eleuare uenas, quæ oriuntur in albedine oculorum, & prosternere catarratas: omnia hæc ad dictos seruitores habent pertinere. Ad medicũ autem honoratum nihil aliud pertinere dicimus, nisi ut consilium præstet solummodò ciborum, medicinarumq; infirmi, absq; aliqua operatione manuum, Quemadmodum non conuenit ei facere Syruppos, & Electuaria suis manibus, nisi esset in magna necessitate. Et pater meus fuit ex istis, qui temporibus uitæ suæ permansit sic, sine alia operatione tali exercenda. Quòd si uoluisset, nihil facere sciuisset, quia non erat assuetus. Sed ego quanuis sim in animo passibilis, amore tamen artis, & ex delectatione, quam habui in ipsa, uolui hęc exercere. Et primò studui in addiscẽdo facere Syruppos, & Electuaria, & uolui etiam per experientiam scire operationes medicinarum, & etiam ingenium extractionis uirtutum medicinarũ, & compositionis unius cum altera, & uolui similiter scire loca ossiũ, & compositionem eorum adinuicem, & omnia hæc scire uolui, & non solùm scire, sed propriis manibus exercere. Et hoc cum appetitu maximo, & desiderio. Et semper secutus sum uiam istam, quanuis sit uilis, & contempta apud Medicum honoratum. Quemadmodum laboratores terræ in illo opere delectantur: Et uenatores in uenando, & sic de aliis similibus Quod autem memoratus sum de his, non feci causa pro mouendi aliquem honoratum Medicum, ad exercendum prædicta opera suis manibus, sed si fuerit necesse in seipso, uel in aliqua dignissima, uel charissima persona, quòd sciat facere, & exercere, & etiam ex misericordia, & pietate Dei, alicui pauperi sciat facere, hæc uel aliqua leuia. Ea autem, quæ sunt turpia, & abominalia, & misera, sicut est extrahere lapidem de uesica, & similia, non tantùm facere uerùm etiã uidere; non apparet conuenire honesto, & puro uiro. Et puto etiam quòd honesto uiro non liceat, neque conueniat secundum legem uidere pudenda. * Hæc Abenzoar. In cuius uerbis totum, quod determinauimus, expressum habes. Etenim si multa prætacta Chirurgicorum opera manualia, tanquam turpia, & abominabilia & misera, ab honorato, nobiliq; Medico dimittenda, postergandaq;, & negligenda fore determinat, Quantò magis bestiarum curationem præcipueq; Chirurgiam

(margin: ibi supra)

giam ab illius honorati Medici usu alienam fore determinaret? Hinc igitur euenit, ut diuisæ à seinuicem multæ medicinæ partes sint, non Veterinaria modò ab hominum medicina, sed quæ ad homines rela tæ sunt, ad multos diuersos artifices (uti præostensum iam est) distributæ fuerunt. Præsertim quia (uti etiam diximus) unus, idemq; homo in tot tantisq; exercitiis, ac laboribus sese intricare, nec intellectu, neq; corporeis uiribus, sufficiens est (De qua nihilominùs distinctione, proprioq; interim Chirurgicorum munere, plura nos, uberrimeq; in secundo nostræ Iatrapologiæ libro declarauimus k.) Haudquaquam tamen ob hæc in se ars formaliter distincta est. Sed omnes hi imperfecti mediculi sunt. Solus. n. perfectus, omnibusq; numeris absolutus ille est, quicunq; omnia medicorum munera cognouerit. Ita. n. de Naturali quoq; Philosophia, cæterisq; etiam scientiis dicendum uenit. quòd una eademq; formaliter scientia sit, quanquam alii de anima potiùs, Alii uerò magis de generatione, & corruptione, Aliiq; de Physico auditu, Nonnulliq; de meteorologicis, uel de cælo, & mundo, aut quibusuis aliis Philosophiæ partibus, libris incubuerint, seseq; exercuerint, & in illis præualuerint. Perfectissimus tamen (uti prædictum est) tam Philosophus, quàm Medicus ille dicendus uenit, qui omnes philosophiæ, aut medicinæ partes adamussim pernouerit, atq; exquisitè calluerit. Ad Tertium similiter dicendum, ueluti ad primum: quoniam scilicet neglecta Veterinaria, Nobiliores Medici, qui simul & Philosophi sunt, sermonem suum, ueluti & exercitium ad hominis medicinam, tanquam digniorem, nobilioremq; direxerunt. Hæc tamen illorum particularis consideratio, medicinæ uniuersalis definitionem destruere non potest (ueluti prædictum iam est) Propterea nonnunquam aliquas sententias generales inuenimus. Sicut in alio aphorismo, quùm dixit Hippocrates l * Ventres hyeme, & uere calidissimi sunt Natura * De omnibus enim animalibus ibi intellexit, quemadmodum ex Galeni commento collegimus.

k. cap. 4. & 5.

Ad terti.

l. primi aphorismorum. 15.

Ad quar.

Ad quartum similiter, ueluti ad primum, & tertium diximus, responderi potest.

Ad sextũ & septi.

Nec aliter ad sextum, & septimum, dicendum uenit. Quoniam scilicet ita ex consuetudine factum rectè est, atq; obseruatum, propter medicorum ueram nobilitatem, & excellentiam. Vt bruta negligerent, ne in illorum curatione uilescerent: Indeq; exercitia separarint, Quanuis enim formaliter eandem esse medicinam, ueluti, & eandem quoq; hominum, & bestiarum philosophiam concluserimus, ipsiq;

Medici nobiles ab igno. distingu.

siq; Protomedico subditos esse medicos omnes, determinarimus: Haudquaquam tamen ob id eundem Medicum uolumus utrunq; ex ercitium profiteri, sed distingui omninò præcipimus nobiles honoratosq; hominum Medicos, ab ignobilibus, uilioribusq; Bestiarum Medicis. Quam ob causam & nos quoq; sæpè recta consilia pro illis dantes, curationi tamen adesse dedignamur. Dum præterea per Regnum uisitandi gratia discurreremus, aliquos inuenimus Maniscalcos, quibus a prædecessore nostro medendi quoq; homines licentia data fuit. Quos tamen à medendi homines exercitio priuauimus, Turpe esse dicentes hominum Medicum, bestias etiam lucri causa curare. Sint igitur exercentes artifices distincti ac omninò diuersi, ut nobiles ab ignobilibus. Quanquam unam eandemq; artem esse formaliter statuamus. Cùm præcipuè non posit unus, idemq; homo, in breui suæ uitæ spatio, tot laboribus sufficere, quanuis omnia cognoscere, in illisq; doctus esse ualeat: cuiusmodi uniuersalis esse dignus Protomedicus debet. Propterea etiam Galenus ipse, quanuis Chirurgiam, Chirurgicam'ue partem optimè calleret, Aliquãdo tamen opus aliquod, ac operandi, medendiq; modum Chirurgicis remisit *m*: quasi lassus ipse, ut tot laboribus, atq; exercitiis incumbere non ualeret. Quemadmodum etiam simias nonnunquàm famulis excorticandas, ob eandem rationem, & quia dedignabatur, omittebat. Ex quo musculum quendam sub axilla latescentem ignorabat *n*, donec propriis ipse manibus eam decorticaret. Abenzoar *o* quoq; multa Chirurgicorum manutigia dimisit, eorum exercitium aborrens, tanquam (ut ait) pusillanimis existens. Meritò igitur distincti artifices sunt: Quemadmodum in responsione ad primum paulò ante dictum iam est. Quanuis una, eademq; tota uniuersalisq; medicina sit.

m. 6. methodi capite ultimo circa finem.
n. ut. 1. de anat. administ. cap. 3. uersus finem.
o. 1. theysir. tr. 8. c. 23.

Ad quintum.

Ad quintum uerò dicendum eodem modo, ꝙ Haly ad communem consuetudinem respexit, hominum medicinam à bestiarum medicina distinguens; quatenùs scilicet ex parte materialis subiecti, ac per hoc nobilitate, & ignobilitate ab inuicem differunt. Quòd si formalem in duabus his artibus differentiam intellexerit, omninò falsus, deceptusq; foret: quemadmodum ex præcedentibus compertissimum est.

Ad confir matione.

Ad confirmationem deniq; dicendum, quòd cùm præteriti Protomedici hæc ignorarint, talem Veterinariorum medicorum possessionem perdiderunt: Minimè quidem aduertentes ad sese, & non ad alium superiorem artificem, siue Magistrum, illorum examen, atq; gubernationem pertinere. Id quòd tamen ob illorum ignorantiam adue-

aduenicns, nullum uel ipsius artis, uel Protomedicatus officii latitu-
dini, uel authoritati, siue Regiæ iurisdictioni detrimentum, aut præ
iudicium inferre potest, nec debet. utinam uerò plura, quæ longè ma-
ioris momenti sunt, prædecessores quidem Protomedici, ob negli-
gentiam non perdidissent. Sed de his aliàs.

CAPVT DECIMVMQVINTVM. In quo totius sermonis conclusio, & quædam Peroratio ponitur.



VM nulla igitur consuetudo formalem artis, siue scientiæ
rationem, uel tantillum immutare queat: Idcircò tamquā
compertissimum fore posthàc concludimus, Medicinam
secundum totalem, intrinsecam'ue, ac formalem rationē,
& per se, ut Medicina est, omnium bestiarum medicinam quoq; com
prehendere, omnesq;, quantuncunq;, & quomodocunq; secundum cō
suetudinem inter se, & à seinuicem diuisos, separatosq; particulares
Medicos, siue Mediculos, aut medicastros sub Protomedici lege, ac re
gulis existere. Eoq; magis, quia ob talem diuisionem, imperfecti om
nes medicastri euaserunt, destructaq; est tota medicinæ perfectio.
Iuxta illud etiam Saluatoris p * Omne regnum inseipsum diuisum p. Matth.
desolabitur * Protomedicum autem, qui omnibus præesse debet, a- 12. Marc.
liosq; tanquam primus Magister docere, doctissimum, & omnibus 3. & Lu
numeris absolutissimum, in prædictis cunctis particularium Medico ca. 11.
rum muneribus esse, necessum est: Ne cæcus cæcum ducens, ambo in
foueam cadant. Omnia igitur prædicta uelut in quendam epilogum
reducentes, hoc epigrammate concludamus.

CVR si eadem, finis, methodus, formaleq; dictum
Obiectum, si eadem sit medicina petis?
Cur si eadem (Sophiæ pariter subiecta per omne,
Dicta subalterna) hæc, ambigis esse queat?
Si brutum haud aliter curat, conseruat, & omni
Constat parte, hominis quam medicina tenet:
Inuentorq; idem Chiron Centaurus, ut inde
Sumpserit agnomen, cur noua facta putas?
Materia distant: Sed ab artibus hæc fore nullus
Distantes artes, doctus in arte feret.

Nobilis

Nobilis est hominis Medicus: Non dignus at ille
Brutorum Medicus: Ambo tamen Medici.
Vnicus esto igitur Medicorum primus, & ambos
Archiater dictus puniat, ac doceat.
Quilibet huic Medici subdantur quodq; medentes,
Qui legem imponat, Quæq; timenda uolet.

HAEC (Principum non iniuria Princeps) tunc quidem temporis, tùm ueritatis, tùm exercitij gratia scripsimus. Quæ quidem omnia impræsentiarum, pro Regiæ Iurisdictionis nostri Protomedicatus officii elucidatione, ac tutela, comprobamus. Cùm adhæc obnoxios Excellentia tua nos reddiderit, talem indignis humeris Prouinciam à Serenissimo, inuictissimoq; Rege nostro PHILIPPO à carceribus ad metam procurans, integerrimoq; animo patrocinatus. Quæquidem omnia cùm ab Excellentia tua exquisitè, atq; adamussim intellecta fuerint, usq; adeò commendata sunt, ut interea non exhortata modò nos ea sit, uerùm expresse etiam nobis mandauerit, ne ab incepto iam utilissimo opere destiterimus, tùm in regendo illos, docendoq;, tùm etiam ob hæc scribendo quod promisimus: perfectam scilicet illorum medicinam. Quam Deo Optimo Maximo Duce quàm citiùs poterimus, typographo ædendam præbebimus. Valeas igitur perpetuò, ut nos etiam ualere queamus. Panormi, pridie Idus Martii. 1564.



REGESTVM.

a b c d e f.

Omnes ſunt duerniones, præter f, qui eſt ternio.